INDIAE
Orientalis
Descriptio
Tom 2.

Dupl.
3a pars Indiae
4a pars Indiae
5a pars 1601

28-2
31-2 107_4

272-4

271-3

88-5

8
5302 192-4

273-4

106-4

76-3

78-1-13

# TERTIA PARS INDIÆ ORIENTALIS:

Qua continentur

I. *Secunda pars nauigationum à* IOANNE HVGONE LINTSCHOTANO *Hollando in Orientem susceptarum; & maximè situs illarum regionum, & in his insularum, fluminum, riparum, portuum, &c. tum in transitu, tum ipsa* INDIA *sitorum: vbi iuxta etiam vniuersa, quæ autor illic, & postea in reditu versus Hollandiam vidit & notauit, diligenter designantur.*

II. *Nauigatio Hollandorum in insulas Orientales,* IAVAN *&* SVMATRAM*: vbi pariter de moribus, vita, & religione incolarum quædam haud iniucunda traduntur.*

III. *Tres nauigationes Hollandorum in modò dictam Indiam per Septentrionalem seu glacialem Oceanum, vbi mira quædam & stupenda denarrantur.*

FIDELI STVDIO ET OPERA DE GERMAnico in Latinum translata, & bono ordine disposita à

BILIBALDO STROBÆO SILESIO.

*ADIECTÆ SVNT HVIC OPERI MVLTÆ EÆQVE AC-curatissimæ tabulæ seu mappæ chorographicæ, cum iconibus alijs quoque elegantissimis, exacta industria in æs incisæ per* IOAN. THEODOR. *&* IOAN. ISRAEL. *de* BRY *fratres: quorum sumptibus quoque hoc opus editum est.*

ILLVSTRISSIMO PRINCIPI, AC DN. DOMINO FRIDERICO IV. Comiti Palatino ad Rhenum, S. Imp. Archidap. & Elect. &c. nuncupata.

FRANCOFVRTI excudebat Matthæus Beckerus,

*Anno M. DCI.*





# BENEVOLO LECTORI, RERVM NOVARVM STVDIOSO. S.



*IBERALE sane & laudatißimum istud maiorum nostrorum institutum fuit, vt, si qui Rempubl. inuentis nouis meritisq; solennibus liberaliter excoluissent, aut fines patriæ gestis bellicis extendissent, eos non solum singulari laude & honore exornarent, verum etiam memoriæ ipsorũ Templa, Colossos, triumphos, & monumenta huius generis alia magnis sumptibus erigerent statuerentque: vt illis commonefacti posteri tam virtutem istorum admirabundi deprædicarent, quam ad facinora similia egregia feruidi excitarentur. Etsi vero multa eademque generosa & Heroica facinora priscis seculis, paßim à diuersis diuersa designata sint: ex illis tamen omnibus nullum adeo sublime aut tanta commemoratione dignum, quam ars tentata & inuenta nauicularia est. Cuius quidẽ beneficio his postremis temporibus à parta humana salute non solum omnes terræ & regna rebus omnibus necessariis cumulatißime instruuntur, verum etiam indies nouæ regiones & tota recentia regna, antea incognita, gratia diuina latißime aperiuntur & deteguntur: adeo, vt iam sanctum Dei nomen in omnibus terrarum angulis lætißime personet, & inter barbaras gentes quoque religiose colatur inuoceturq;. Pro quo immenso Dei bono nullæ laudes, nulli hymni, nulla erecta monumenta satis esse queant. Illustri huiusce rei documento inter cætera hæc quoque nauigatio est, quæ à nobili & experientißimo Heroe Joanne Hugone de Lindtschoten in Orientem instituta fuit. Cuius iam partem secundam,*

*quæ totius historiæ Orientalis pars in ordine tertia est, Lectori beneuolo descriptam offerimus: vt ex ea non minus, quam prioribus duobus libris mundi mirabilia, adeoq; diuinæ maiestatis inexhaustam potentiam & sapientiam cognoscere liceat.*

*Cum verò in hac secunda Lindtscotani nauigatione edenda occupati essemus, eiusdem argumenti opuscula quoque alia sub manus nobis data sunt, nimirum quomodo Hollandi in insulas Iauam & Sumatram contenderint, & præterea discretis temporibus vias nouas in Chinam versus orientem per mare Tartaricum tentauerint, tam successu prospero, vt spes haud temeraria sit, futuris seculis posterorum simili ausu cursum illum seu viam plane & omnimodo compertum & cognitum iri. Quæ res non solum famam immortalem Hollandicæ nationi, verum etiam vniuerso terrarum orbi inæstimabile commodum, vtilitatemq; nullo dubio paritura esset.*

*Quod autem dictæ hæ nauigationes ab vna eademq; gente Hollandica, vt & ad scopum seu terminum eundem, nimirum in Orientem susceptæ essent: ob id easdem discretas non tantum in vnum quasi corpus cogere, sed & si quæ deinceps aliæ eiusdem materiæ nobis occurrerent, addere, consultum & iustum visum est. Quo nos studio Lectori beneuolo comprimis commodaturos arbitrati sumus: præcipue, cum & figuris artificiosis additis omnia summa diligentia illustrauerimus, & viuis iuxtà chorographijs sculptis desiderantium oculis expreßißimè singula exposuerimus: plus interim publicæ vtilitati & Lectoris voluptati, quam nostromet commodo aut quæstui velificati.*

*Quod si fors quispiam sit, qui sublime, accuratum & fastuosum dicendi genus expectat: hic sciat, nos prototypum vertendo adeo phaleris istis studere noluisse, vt contrà potius nudæ veritati simpliciter absque verborum vllo lenocinio asserendæ vacare præsumpserimus: maximè, quod in ipso quoq; originali, tum ipsum systema aliquoties mirè interruptum esset, tum vocabula paßim multa occurrerent, quæ pura & exquisita latinitate exprimi nullo modo potuerunt.*

*Cæterum nos originale aliàs fideliter secutos, & ob id huic historiæ fidem liberalem irrogandam esse, ex fusius percensita tragœdia Francisci Köningi, nostri cognati & amici æstimare licet.*

*licet. Cuius cum triste fatum in historia casu fortuito oblegeremus, rem ad amussim sic esse gestam, ex notitia priore facile recollegimus. Sed & autentico suo suffragio huic historiæ liberaliter astipulatur clarissimus & summis meritis celeberrimus vir Bernhardus Paludanus Medicinarum Doctor, & Enckhusæ poliatros dignissimus, Lindtschotaniq; vicinus & amicus certissimus: qui non verbis tantum, sed & rebus ipsis, varijsq; documentis exoticis veritatem hanc sollicitanti cuiuis illustrissimè attestari poterit. Nam & à Lindtschotano, innumera, eademq; varietate diuersissima ex India allata monumenta dono accepit, & multo plura passim ab alijs, tum ex Jaua, tum China mirabilia apportata collegit & asseruauit, vt prolatis illis rerum omnium fidem stabilire certissimam possit. Et si verum fateri oportet, idem ille vir præstantissimus ad editionem huius historiæ non frequens tantùm instigator & suasor nobis fuit: verùm etiam prioris partis contextum tam fidis & planis annexis annotationibus illustrauit, vt de studio eius erga nos tam propenso ipsi perpetuam gratitudinem nos debere merito & liberè profiteamur. Cuius vel ex parte saltem minima hoc loco declarandæ causa de optimo illo viro istud attestari volumus, quod elapsis An. 98. nundinis Francofurtensibus apud eum ostensarum rerum peregrinarum farraginem tantam conspicati simus, vt nobis miraculum quoddam vidisse videremur. Quas ipse postea tum illustrissimo Principi VVirtembergico, tum Imperij proceribus alijs quoque publicè spectandas passim cum plerorumq; ingenti admiratione obtulit. Et tantum à nobis tum pro dicti viri celeberrimi elogio, tum pro historiæ nostræ fide hactenus assertum sit.*

*Cur vero tres distinctas istas nauigationes vno hoc volumine includere voluerimus, eius facti rationem satis firmam suprà à nobis traditam arbitramur. Quod si tamen præterea quidam contenderint, sub vnum titulum Indiæ orientalis iniquè & inconuenienter illas à nobis conferri aut contrudi, cum tamen illarum quædam non in orientem, sed in Septentrionem institutæ fuerint: his pro responso hoc reponimus, quod in opere isthoc non tam loca illa, per quæ cursum suum tenuerint, quam ad altera, ad quæ quasi ad terminum sibi præstitutum penetra-*

*re aut nauigare voluerint, ſpectari & attendi velimus. Quæ ob id peregrinationes, cum in Orietem vniuerſæ directæ fuerint, ſub ſcripti tituli ambitum redigi haud inepte poſſunt. Obiter autem & quaſi in tranſcurſu id quoque hic lectorem admonitum voluimus, quod in huius operis prima parte duas peculiares mappas ſeu tabulas Geographicas ediderimus, hoc fine vt Regni Africani longo & locorum finitimorum ſaltem ſitus naturaque paucis exprimeretur. Ideoque de locis cæteris maritimis intermediis addendis operam accuratam nobis tum temporis ſumere noluimus. Nunc vero in hac parte tertia in gratiam Lectoris defectum illum ita liberaliter ſuppleuimus, vt diſtinctis tabulis aliquot loca omnia & ſingula nauigationis in Orientem per Septentrionem quoque inſtitutæ explanata & percenſita iam curauerimus.*

*Præterea in Indiæ Orientalis parte ſecunda, quæ hiſtoriæ Lindtſchotanicæ pars prima numeratur, nos quoque promiſiſſe meminerimus, quod in hoc tertio tomo de exoticis aut Indicis aliquammultis ſimplicibus tractaturi ſimus. Cum vero hoc curaturis inſperato aliæ haud ingratæ aut omittendæ hiſtoriæ ſub manibus natæ eſſent: ideoque admonitum Lectorem hoc loco volumus, quod ſimplicium iſtam enarrationem libro hoc differentes, illam in tomum peculiarem proximum ſaltem diſtulerimus, non vero incuria aliqua aut ſupinitate penitus omiſerimus. Quæ omnia excuſatione decenti præmiſſa cãdidum Lectorem ita edocere voluimus: obnixe rogitantes, vt ſtudium hoc noſtrum & ſumptuoſiſſimũ laborem æqui boniq; conſulat, applauſuque ſuo ad alia quoque & maiora conatum noſtrum conſtimulet. Valeat beneuolus Lector.*

Ioan. Theodorus & Ioan. Iſrael.
de Bry, Fratres.



# TERTIA PARS
# INDIÆ ORIENTALIS,
## QVA PARS ALTERA NAVIGATIONIS IOAN. HVGONIS DE LINDTSCHOTTEN, IN ORIENTEM INSTITVTÆ,

quid item tempore eius commorationis ibidem gestum sit; quæ illarum regionum, insularum, portuum, peregrinantibus passim occurrentium, conditio statusq; sit: tandem quæ in suo versus Hollandiam reditu autor viderit & tulerit, accuratè describitur.



## Caput I.

*De rebus quibusdam eo tempore gestis, quo Ioan. Hugo de Lindtschotten in Goâ Indica substitit.*



MENSE Decembri An. 1583. in vrbe & insula Ormo quatuor Angli applicuerunt, Aleppo ex Syria traijcientes, quo ex Anglia se primum receperant, nempe per Estrecho di Gibraltar versus Tripolim, quæ ciuitas maritima & portus est Syriæ, vbi merces omnes & deponuntur imponunturque, ac plaustris inde per continentem in Aleppo, (quod iter nouem dierum est,) transuehuntur. In Aleppo mercatores omnium nationum, vt Itali, Galli, Angli, Armeni, Turcæ, Aethiopes habitant, quolibet sua religione & legibus sub tributo & vectigali magni Turcæ gaudente. Ingens hoc loco mercatura exercetur: quod quotannis duæ Caffylæ siue Carauanæ, hoc est, numerosa populi multitudo, Camelorum grege exercitus instar stipata, hinc eo migrat: qui postmodum in Indiam, Persiam, Arabiam, & finitimas omnes terras negotiationis gratia, tum merces suas importando, tum permutatas auehendo sese dispergunt: sicut id & alio à nobis commemoratum loco est. Tres istorum Anglorum à societate reliqua, qui in Aleppo morabantur, selecti sunt, & missi spectatum, si fortè in Ormo curaturam (lacturas vocant) pacisci aliquam possent, vt illis non minus, quã aliis in locis negotiari, mercesque suas venundare sibi liceret, ad exemplum Italorum seu Venetorum, qui in Ormo, Goa, Malacaque sub specie tituloque Curaturarum amplissimas negotiationes, cum gemmis, vnionibus & mercibus huiusmodi aliis aromatibusque illic nascentibus exercent, quæ inde postea comportari Venetias solent. Ex Anglis hisce vnus iam ante tempus aliud in Ormo vixerat, &

*Angli 4. in Ormum veniunt.*

*Caffylæ annuatim ex Aleppo binæ abeunt.*

A omnium

omnium rerum statum rationemque didicerat: cuius informatione etiam & instinctu reliqui eo sese receperunt, & ingentem vim bonorum, vt pannos, crocum, omnis generis vitra, minores etiam merculas, vt specilla, cultellos & huius generis alia, quæcunque ibi grata futura augurabantur, eo secum aduexerunt. Et quamq; istarum mercium valor per se grandem pecuniæ summam excederet: nihilo tamen minus illas pro velo saltem proferebant, ne institutum ipsorum aliena suspicione periclitaretur. Priuatim enim id sibi præstitutum habuerant, vt hoc successu ingentem copiam gemmarum, Adamantum scilicet, Perlarum, Rubinorum &c. commercarentur: ad cuius rei opportunitatem quoque tam multo auri argentiue pondere (quamuis occultato & celato, ne quo res hæc ipsis fors damno aut periculo esset) sese prouidi instruxerant.

*Italorum in Anglos dolus malus.*

Iam ergò in Ormum cum penetrassent, bona sua in publicum promentes, licitatoribus pro more vendere cœperunt. Quod animaduertentes, qui suas illic curaturas Itali habebant, iuxtaque veriti, ne, si sua Anglis mercatura hac vice pro voto caderet, illi illic loci sese insinuantes paulatim radices agerent, & numero suo quotidie inualescerent, qui euentus Italis notorio damno & probro futurus esset: collecto ad id inhibendum omni ingenio & astuto dolo, ad Ormi Capitaneum, Don Gonsalo de Meneses conquesti sunt, ꝙ in Ormū Angli q̄dam aduenissent, à suis regionē illā & simul perditū missi, & præter id hæretici. Nulla itaq; committendū præfecto ratione esse, q̄n quæstioni, dū adhuc calerent illico darentur, & in cautelā exemplumq; publicum meritas suæ audaciæ pœnas penderent, præfectus autē, ꝙ iam ante à quibusdā, alio tempore ibidē commoratis Anglis honorario munere adfectus esset, & ob id his illorū popularib. summâ propensione optimè cuperet, vt eos examini subderet, ratione commoueri nulla potuit: sed alio apud se statuto consilio illos cum omni sua merce sub fideli additâ custodiâ in Goam nauigio ad Viceregem siue præfectum summum misit, vt iste pro suo arbitratu in ipsos inquireret, & quod videretur, statueret.

*Angli vinciuntur.*

Goam quam primum naui intrassent, captiui illicò in vincula dati, & an boni Christiani essent, seriò & rigidè rogati sunt, quibus adeò inscitè & mutilè portugallicum callentibus, etsi istis in regionibus aliquot annis commorati & negotiati essent, tandem Iesuita quidam Brugis ex Flandria oriundus, qui in Ormo 30. circiter annos habitauerat, super inductus est, qui ipsos in persona (quod aiunt) inuisebat cupidus, & fidei confessionem extorquebat. In quâ reddendâ Angli tam commodos se & industrios præstare norant, vt pro genuinis Romanæ Ecclesiæ membris tunc haberentur quidem, sed, quod extranei, nempe Angli essent, suspicioni sese omni non penitus eximerent. Interim nunquam non insusurrabant ipsis Iesuitæ varia, vinctosque eos in Portugalliam missum iri, haud obscurè minitabantur. Quod si verò Iesuitis nomen dare eligerent, tum curaturos sese, vt omnis tum carceris, tum accusationis, tum politici magistratus iuris per omnia securi essent, promittebant. Causa autem, cur Iesuitæ tam serium & indefessum in ipsis persuadendis Anglis laborem ponerent, hæc principaliter erat: quod supra dictus Iesuita Germanus clanculum & in priuato ex illis elicuerat, quod ingentem pecuniæ vim eò secum aduexissent. Huic itaq; prædæ captandæ inhiantes, ac velut ex alto insidiantes, ad rem suam faciendam augendamue hanc artem sibi palmariam esse præsenserant. Primum siquidem & maximum istorum hominum votum est, pensius habere nihil quicquam vspiam, quam ordinis sui salutem, commoda, & incrementa satagere. Quocunq; id verò vel modo vel arte fiat, parum ipsorum interest: modò rei certus prouentus fiat. Etsi verò Angli non semel huic illorum petitioni intrepidè refragarentur, conditionem suam institutumque longè diuersum esse attestantes: nihilo tamē minus durante eorum importunitate eò ventum est, vt Anglorum vnus, pictor

*Illectamenta Iesuitarum.*

*Iesuitici ordinis votū.*

pictor, qui tantum experiundæ suæ fortunæ gratia cœterorum Societati sese addixerat, metu partim, partim necessitate compulsus persuaderetur, & conceptis verbis Iesuitam se profiteretur. Etsi verò Iesuitæ haud ignari essent, pictorem hunc paratæ promptęque pecuniæ habere haud multum: attamen quod artem pictoriã sciret, cuius professionis homines India daret rarissimos, illius operam in hoc sibi præcipuo vsui fore rati sunt, si pigmentis templum eorum gratis ornaret & illustraret. Ad quam rem aliâs curandam, si ex Portugallia artificem ex pacto accerserent alium, pecunia haud modica sibi opus fore haud stupidi præolfecerant. De hoc ergò obiter sibi nunc oblato vt apprimè gaudebant: sic & de reliquis Anglis progressu temporis in nassam eandem coniiciendis, deque vniuersa ipsorum pecunia tandem occupanda, spem sibi faciebant haud frigidam. Et vt plane breuiterque dicam, pictor iste Iesuita factus, primis illicò diebus & operis parandis abundè cumulabatur, & honoris tractationisque bonæ à Iesuitis accipiebat quamplurimum: vt hoc exemplo deinde illicerentur etiã reliqui. Angli interim in carcere relinquebantur omninò deserti: &, quod illius loci idioma nescirent, multo solatio à quoquam firmabantur. Tandem tamen, cum Archiepiscopum quosdam apud se Belgas habere comperissent, pro quibus accersendis mittere liceret: occasione arrepta per Belgam alium ad visendos sese nos officiosè inuitabant. Quod cum faceremus sine mora & tergiuersatione, ingressis nobis ad genarum vsque madorem iniurias illi nobis quiritabantur, & ab ouo ad mala rem omnem distinctè percensentes, obnixè rogabant, si pacto fieri vllo possit, vt cõsilio & operâ nostrâ, præstito vadimonio, carcere isto liberarentur, velle se ad omnem accusationem aliam magistratus cognitionem ratam habere, suamq; causam ita limitare, vt si vnquam vspiam alij quam mercatores inuenirentur, qui rebus suis negotiando intenderent, pro meritò seuerè plecterẽtur. Ita ergo, nostram fidem & diligentiam prius spõdentes, ab illis recessimus, & de pacto apud Archiepiscopũ rem hanc tã fideliter curauimus, vt is ad Viceregẽ se cõferens, libellũq; supplicem illi porrigens, liberationẽ ab illo captiuorũ facile impetraret, & iuxta bona illis omnia restitueret modo pro 2000. pardauis fideiussorẽ statuerent, & ante causæ cognitionem vlteriorem loco se non mouerent. De fideiussore itaq; dispicientes, haud magno labore vnum de ciuitatis primariis impetrauêre, qui pro dicta pecunia cautionem præstaret: cui vicissim Angli 1300 pardauos pecuniæ numeratæ illico tum appendebant. De reliquo, fidei ipsorum acquiescebat, postquam opulentum istum mercium apparatum, vnde pro omni euentu sibi satisfieri posset, apud eos conspexisset. His itaq; mediis Angli carcere emissi, conductis ædib. suas expedite tabernas pendebant: ita, vt magno numero merces suas distrahentes breui tempore passim omnib. innotescerent. Respectum enim comprimis nobilium, & eorũ qui in ciuitate primarij erant, habebãt: studebant apprime ciuilitati, reuerentiæ, largitionibus quo ingenio fidem sibi tam solidam aucupabantur, vt & ab omnib. promiscue amarentur, & omni tum fauoris tum officiorum delatione certatim onerarentur. Sed & nos ante omnia singulari humanitate sibi semper demerebant. Quare motus Archiepiscopus, vicissim multa in ipsos beneficia cumulare, & de iis optima queq; sibi polliceri haud dubitabat. Quã eius affectionẽ, vt Angli quidẽ industrie suis honorariis acuere sciebant: ad acceptanda tum illorũ munera ipsum persuadere nunquam poterant. Adhęc ipsi valde deuotos & religiosos se Catholicos gerere didicerant: nec dies vnica effulserat, qua cum corollis suis precariis in publico non conspicerentur, & missæ sacræ attenderent. Vt verbo vno dicam, & fama integra & bona existimatione breui momento apud omnes ita augescebant & inualescebant, vt sinistri quid de ipsis suspicari aut vellet nemo, aut omnino posset. Quæ res etsi ad euertendam Iesuitarum machinam operose faceret: per Iesuitã tamen Germanicum

*Ex Anglis pictor Iesuita fit.*

*Angli liberantur.*

*Anglorum comitas.*

nicum instare, & quotidie varia, præsertim ablegationem in Portugalliam, & si quæ alia præterea ad terrendos ipsos quid momenti haberent, minitari non desistebant. Veriti itaq; Angli, ne, si assensum suum simpliciter Iesuitis inficiarētur, res manifesto periculo sibi esset, certa moderatione adhibita, illos rogitabāt, patienter vt morulam saltem aliquā ferrent, dum apud se inito cōsilio certius quid statuere possent. Quo promisso Iesuitas iterum aliquo vsq; deliniuerant, importunius alias institutos. Tandem tamē, spe allucescente nulla meliore, vt se dubiæ fortunæ eximerent, spem (quod aiunt) omnem in pedibus habentes, per secretos amicos prius pecuniam suam gemmis permutantes, fuga salutem quærere consultius & tutius rati sunt. Itaque sub festum Pentecostes Goâ ad tria milliaria exspatiantes in Insulam quādam Bardees dictam, vt factum ingeniosius occulerent, tantum cibum potumq; secum auferebant, & conductitias ædes cum residuis merculis quibusdam puero cuidam germano, omnis huius consilij ignaro, commendatas relinquebant. Iam, cum in Bardees essent vbi ex conducto Batamar (ita vocant nuntios aut cursores Indicos qui per hyemē literas quoquouersum efferunt) cognouissent, intra Bardees & Continētem, exiguum saltem & ex dimidio resiccatum fluuium interlabi, illum traiicientes, terrestri porro itinere sese eripuerunt, & quasi disparuerunt, adeo, vt ab isto tempore de ipsis nullum nuntium quicquam certi attestaretur. Credi tamen potest, vt etiam paulo post dubia fama susurrabat, ipsos iter suum versus Aleppo deflexisse. Angli hi profugi salutis suæ proram puppimque in vno Ioanne Nhubers collocabant, qui inter ipsos primarius Arabicam linguam, toti illi regioni aut familiarem, aut ad minimum saltem intellectam, præ cæteris rectius callebat.

*Angli ex Goâ clam profugiunt.*

Facti huius rumor quamprimum Goæ percrebuit, & nobis admirandi, & hominum reliquorum multitudini, quasi consilio & instructione nostra informati id fecissent, suspicandi occasionem dedit haud leuem. Qui autem pro ipsis fideiusserat, taxatis, quæ post se Angli reliquerant bonis, & ad duos fere pardauos æstimatis, hanc, cum prius accepta, summā Viceregi illico denumerauit, & de residuis 500. pardauis ab eodē absolutus est. Iesuitas autē ante omnia hæc Anglorū fuga acriter mordebat, dolētes, è manibus sibi elapsos istos esse, quos tamen iam totos suos factos crediderant. Germanus comprimis Iesuita sollicite apud nos percontabatur, an cōsilij huius sui nō participes nos reddidissent: id addens, longe aliam se viam initurum fuisse, modo vel odorari quid de illorū animo vndecunque potuisset. Sed & hoc percensebat, quod cum captiui illi carcere olim detinerentur, sub manibus suis saccum 40. millia Venetianorum (Venetianus autem duos pardauos appendit) continentem habuisset: quem tam prompte illis nunquam restituisset, nisi de assensu suo spem fecissent tam plausibilem. Et omnem sermonem tādem ita claudebat, vt diceret, iam se expresse compertum habere, ipsos meros hæreticos & sycophantas putidos fuisse, nulla religione seria vnquam tinctos. Hic erat exitus illorum. Ille vero Anglus alter, qui Iesuitarū ordini se addixerat, cum paulatim à primis diebus sibi de tractatione demi quid sentiret, & insuper de fuga quoq; suorum sociorum edoctus esset iam facti pœnitudine tactus, cum ne tum temporis quidem solitum ordini votum præstitisset, adeoq; à compluribus, vt verbum dictum retractaret, incitaretur, neq; à Iesuitis quoquam pacto nolens retineri posset, sententiam mutans ordini valedixit, extraq; collegium de domo conducenda operatus est. Et licet Iesuitæ manibus pedibusq; anniterentur, vt ipsum in sententia priore continerent: nihilo tamē minus ipse societate illa deserta propriam officinam sibi constituit: & cum ex arte sua quæstum faceret quotidie vberrimū, tandem Mesticen quandam filiā inibi à parentibus Lusitanis progenitam, matrimonio sibi copulauit: vt omnes vitæ suæ annos illic exigere, statum decretum nunc præsumpserit.

*Iesuitæ Anglorum fugæ acriter admorsi.*

*Pictor Anglus ordinē iterum deserit.*

Ab An-

Ab Anglis his, dum adhuc nobiscum essent, omnium viarum, transituum, negotiationumque intra Aleppo & Ormum, vt etiã morum, legum, & statutorum in peregrinationibus vsitatorum, item vicorum & vrbium statum conditionemque exquisitè edoctus eram. A quorum discessione nemo Anglorum hactenus terrestri itinere in Ormum penetrauit, etsi Italorum quotidie multi negotiationis causa vltrò citroque commeent.

Sub idem tempus in comitatu Iesuitarum tres Principes, regio sanguine nati ex insula Iaponensi Goam appulerũt, vestitu Iesuitico amiciti, ætatis annum vix 15. aut 16. egressi: qui instinctu & persuasu Iesuitarum primò in Portugalliam nauigare, post inde Romanum Pontificem ad amplissima beneficia & immunitates Iesuitis emendicandas inuisere constituerant. Qui cùm in Goa ad an. vsq; 84. substitissent, illhinc in Portugalliam, & hinc rursus in Hispaniam velificabantur: vbi à Rege Hispano, & omnibus eius satrapis honorib. & muneribus regalibus affecti amplissimè sunt. Quæ tamen omnis præda pòst pro more Iesuitis cesserat. Ex Hispania ad Papam deflectebant: à quo petitis latissimis priuilegiis & libertatibus, haud ægrè donati sunt, prout in descriptione insulæ Iaponicæ superius ex parte aliqua percensuimus. Porro hinc digressi vniuersam Italiam perlustrauerunt, & Venetias, Mantuam, Florentiam, cæterasque totius Italiæ nobiliores ciuitates peruidentes, vbiuis locorum & illustri gratulatione accepti, & donariis splendidissimis onerati sunt, quod tũ virtutes eorum eximias, tum imperiorum amplitudinem roburque apud omnes Iesuitæ de ijs spargerent, parili pompa, & triumpho simili, ijdem deinceps in Madrid reuersi sunt, vbi honoribus regiis à vice Rege ornati dimissique, omnibusque Capitaneis & præfectis Indicis singulariter commendati, Vlysbonam versus profecti sunt: & anno 86. nauem rursus conscenderunt, San Felippe dictam, qui reditu versus Portugalliam à Capitaneo Draco posteà intercepta est. Itinere & laborioso & periculoso pariter confecto magno, Mozambiquen intrauere, vbi nauem suam iis mercibus onerauerũt, quas alia inibi deposuerat S. Laurenzo nuncupata, quæ breui eò malo fracto, cùm ex India in Lusitaniam decurrisset, impulerat. Et quòd iam opportunitas in Indiam nauigandi vanuisset, S. Felippe nauis mercibus S. Laurenzo onerata, in medio cursu post ab Anglis capta & possessa est. Quæ nauis cum omnium prima ex Lusitanica India vnquam egressa occuparetur, Lusitanis varia omina & interpretationes præbuit, quia Philippi Hispaniarum Regis nomine inaugurata erat.

*Indici tres Principes Iesuitis socij per Goam Romã peruenerunt.*

*Dracus nauem S. Felippe capit.*

Sed vt ad institutum nostrum, de Principibus Iaponensibus reuertamur, hoc suprà dicto anno, magno omnium applausu in Goam feliciter redierunt, cùm iam apud omnes extincti crederentur. Quilibet horum veste Attalica, aureo argenteoque filo intertexta, Italicoque habitu sarta insignis erat, Iesuitis valdè confidentibus & inflatis, quia per eos ista impetrata essent, stipati. In Goa substiterunt, vsque dum tempus in Chinam nauigandi esset, vbi pariter triumpho & apparatu solemni excipiebantur. Quæ res Iesuitas cumprimis apud omnes magnis honoribus & dignitatibus cumulabat, sicut ex isto videre libro est, qui Hispanica lingua de eorum itineribus, tum naualibus, tum terrestribus confectis, vt etiã, qua solemnitate vbiuis locorum excepti sint, prolixè scriptus prodiit.

Anno 1584. sub mensem Iunium in Goam variæ & diuersæ legationes impulêre, ex Persia, Cambaia, de Zamozino (Cæsare dicto) de Malabaris, de rege Cochin eò missæ, de quibus præcipuè ageretur, pax erat, quę decerneretur inter Zamozinum, Malabaros & Lusitanos, inter quos iam diu simultas capitalis & auita gliscebat, vix vllo medio emendabilis.

*Legati Goa conueniũt.*

Interea autem ad omnem euentũ, Lusitani castrum seu propugnaculum Panane dictum ad littus Malabar situm, decem milliaria à Calecuto distans, ex-

*Panane frustra extrui petitur.*

truere iubebantur. Quod cum dictum factum accurarent, & impensis inæstimabilibus ædificare illicò occiperent: operas tamen inceptas, quod terra nimis sabulosa, & ad fundamentum firmandum plane inepta esset, remittere breui coacti sunt. Nam quæ extruebantur, pleraque corruebant, vt ab opere omnino desistendum esset, licet impensam iam dum 3. aut 4. auri tonnarum fecissent. Etsi vero sumptuum auctim superaddendorum nullum vsum præuiderent: videbatur tamen illud castrum ob hanc potissimum causam apprimè necessarium, vt si fors iterum Zamorinus, quod pro more solitabat, fidem datam falleret, ex eo præsidio ipsius in mare excursui resisti commodius posset. Et tamen cum mente simul agitarent, Zamorino portus etiam alios esse, ex quibus subditi plus damni, quàm ipse Zamorinus, peregrinantibus intentare possit (quamuis Zamorinus assiduò prætenderat, & se inscio ista fieri, & nulla facultate eadem à se posse reprimi, aut inhiberi, quod Pyratæ nulli magistratui, nulli iuri subditi isthæc talia perpetrarent) ideoque decretum est, vt porro & de Panane extruenda nulla cura esset, & Malabaris simul non fideretur nimium, cum, quos India ferret, nulli ceruicis durioris, aut peruicacioris scirentur, aut qui oppressis innumeris littus illud & mare magis intutum, minus nauigabile præstarent. Quam ob causam quotannis etiam classis in Goa Lusitanica instruitur, & ad maris liberum commeatum seruandum emittitur. Sed & aliàs Malabarorum, quoquouersum dispersorum innumerus numerus est, qui per mare non minus, quàm cõtinentem prædationibus & direptionibus omnibus infesti, certis quibusdam locis littoralibus velut in portubus suos receptus habent, & prædam partam illuc comportant, & occulunt. Aediculas ex stramine contextas, & in medias rupes, præcipites scopulos, montesque inaccessos extructas habitant, vt à nullo commodè subigi queant, Zamorinum vel ipsum floccifacientes. Pyratæ si portum quendam versus Austrum à Goa 12. milliaribus distantem possident, *Sanguiseo* vocatum, quo loco se magno numero agglomerãt, & excursionibus crebris adeo infesti sunt, vt illhac sine certo periculo nulli transitus sit. Quare ad Viceregem tunc præsidentem, *Don Francesco Mascharenhas*, comitem de *Villa Dorta* querelæ innumeræ indies delatæ sunt. Qui malo huic mederi volens, Zamorino nunciari curauit, vt de istorum supplicio tandem accogitaret. Cui tamen Zamorinus nihil aliud respondit, quam quod à se isti coerceri minime possent, cum nec imperium suum agnoscerent, nec ordinario alij cuiquam subditi essent. Se tamen pro sua parte Viceregi plenam potestatem facere, vt rapinas & iniurias illas seuere vindicet: ad quam rem nec ipse auxilio suo defuturus sit. Pensitato itaque à Vicerege instante periculo, classem 15. triremium instruxit, cui præfectum nobilem quendam *Don Iulianes Mascharenhas* cognatum suũ addidit, cum serio mandato, vt ante omnia portum *Sanguiseo* inuaderet, oppugnaret, & si fieri posset, funditus excideret & vastaret. Hoc ergo animo ventis & fortunæ vela dantes portum egressi, cum ad *Sanguiseo* propius accessissent, vidissentq; tum exiguam illam insulam esse, tum in ipsum littus profundius intrusam, adeoque aquis circumquaque perfluam, & in aditu multis rupibus arenarumque aggestionibus periculosam: collato de hac re consilio statuerunt, vt Almirans cum classis parte media vno loco impelleret: altero vero latere *Ioannes Barriga*, Vice Almirans in hanc rem designatus, sese certatim immitteret.

*Malabari Pyratæ.*

*Vicerex Goa.*

*Classis Goa instructa ad vindicãdos Malabaros.*

Almirans itaque cum pro felici auspicio ad prædestinatũ suum locum, primum insultum animose fecisset, & ad ipsum vsque littus, sperans de cæteris quoque eandem virilitatem, vi penetrasset: accidit vt inter reliquos, qui plerique omnes nobiles & militiæ ignari erant, lis de prioritate concitaretur: vt defluo interea mari facto alter huic, alius alij scopulo arenarumque aceruo adhæresceret: ita vt nec Almiranti quisquam auxilio venire, nec ipsi sese porro retrove agere

*Lusitanorũ arrogãtia.*

defixi

defixi possent. ViceAlmiranti autem alterum latus pro re statuta circumnauigaturo, Capitanei cæteri ideo parere recusabant, quod ipsi vt maxime nobiles essent, adeoque Capitaneo recenti multo meliores peritioresque sibi viderentur. Sic ergo funesta ambitio Lusitanorū salutare hoc propositum turpi macula hac vice anteuerterat. Quod cum Sanguisei, qui desertis casulis iam in montes profugerant, ex alto despexissent, omnesq; naues hinc inde in arido defixas, Almirantemq; ipsum in littore immotū hęrere attendissent: tunc animis & viribus recollectis, ingentibus copiis certatim Almirantis nauem impetentes, omnes ad vnū, præter eos, qui enatando se eruebant, trucidarunt. Et quāuis Almirans, modo voluisset, se haud difficulter opera mancipij cuiusdā natando eum educturi, saluare potuisset: ratus tamen honestius in conflictu pro causa bona vitam perdi, quam fuga turpi cū infamia eandem seruari: in medio agmine cōsistens, animosissime etiā post omnes iam suos stratos cum hostibus cōflixit. A quorum tamen copia tandē eneruatus oppressusq; cecidit. Cui Malabari agminatim tandem insultantes, caput spectantibus è classis altera parte omnibus amputarunt, eoq; hastæ acumini infixo ad trepidantes illos magna & alta voce, vt suū præfectum vnà secum auferrent, cum Sarcasmo acclamarunt. Quod tamen ipsi negligentes, & cum maris æstu reciprocante retro conuersi, vt dispersa sine pastore oues Goam repetiuerunt. Quibus reuersis etsi Capitanei quidē in vincula illico darentur: speciose tamen sese excusantes, pedibus propediem restituti sunt. Interea Almirantem cæsum pleriq; lugebant, comprimis Vicerex, cui is cognatus, & ob generosas virtutes egregiaque merita valde charus fuerat.

*Malabari classem Goanam occupant.*

*Almiranti caput amputant, & hasta in cōtumeliam imponunt.*

His ita transactis haud cunctanter noua classis instrui cœpta est: cui Almirans *Don Ieronymo Mascharenhas*, nuperrime cæsi *Don Iulianes* itidem cognatus præficiebatur, vt defuncti cognati mortem animosius vlcisceretur. Hi cum classe instructa rectà Sanguiseorum continentem impellentes, plenis copiis è nauibus exiliuerunt. Sed quod Sanguisei præmoniti, fuga se iterum in montes desertis suis casulis recepissent, quos propter solitudinem & loci vastitatem persequi nemo posset: ideo subdito igne crematis eoque habitaculis, & arboribus in confinio quoquouersum cæsis deiectisque, omnibusque vastatis & protritis, nemine quoque hostium tum occiso, hac sola vindicta contentos eos illinc discedere oportuit.

*Secunda classis instruitur.*

Hoc ipso tempore commissarij Regis & Viceregis iussu in Cochino telonium, antea inibi non vsitatum, extruere cœperunt. Cui incepto cum se incolæ valde opponerent, mortem omnibus comminati sunt, qui ad id exequendum, vel votum suum vel operam conferrent. Ita ergo res ad noui Viceregis ex Portugallia missi, Don Duarte de Meneses aduentum dilata est. Quo tamen pòst suo tempore (vt dicetur) aducto cum tum Vicerex conuenientibus & conciliatis omnibus imperium illi imponeret, actis agendis & moderatione debita adhibita id impetratum est, vt telonium ciuibus coacte quidem assentientibus & suffragantibus propediem ædificaretur. Ex quo quod crebræ ibi negotiationes exercentur, ad Regem prouentus redit quotannis vberrimus.

*Telonium in Cochino.*

Eodem anno mense Septembri nauis quæpiam ex Lusitania Goam incurrit, Bon Iesus de Carania indigetata, nuncians & alias quatuor naues, nouum Viceregem Don Duarte de Meneses aduehentes in via esse. Plaudentibus itaque & iubilantibus in ciuitate omnibus, impulsisque pro more campanis, primæ è Portugallia nauis appellentis signum publicum datum est. In hac naui quidam erant sclopetarij, Belgæ, qui ex patria mea cognatorum mihi literas valde expectatas afferebant.

Paulo post eodem adhuc mense alia quoque ex priore societate nauis Boa Viagen dicta, superuenit, multis nobilibus & *Crucigeris* Regi Indico seruituris

onerata;

onerata: inter quos & Archiepiſcopi, domini mei frater, Roderiques de Fonſeca numerabatur. Primores reliqui erant Don Georgie Tubal de Meneſes ſupremus Regij vexilli ſignifer, futurus Capitaneus in Soffola & Mozambique, ex iſto merito, quod iam dudum Regi in India fidis officiis præſtitis probatiſsimus eſſet. Ioan. Gomez de Silua, declaratus Capitaneus in Ormo. Don Franciſco Maſcharenhas, cæſi à Sanguiſeis Don Iulianes frater.

Nouembri menſe Cochinum ingreſſæ huius ſocietatis tres reliquæ naues ſunt, quæ curſum ſuum circa inſulam S. Lorenzo circumflexerant, ne in Mozambique appellendi neceſſitas foret. Nomina iſtarum erant Santa Maria, Arreliquias, As Chagas ſiue quinque vulnera. Hac naui nouus Vicerex Don Quarte de Meneſes vehebatur, qui diutino ante tempore Capitaneus Tangerenſis in Africa ſeu Barbaria fuerat: qua vna naui Chagas vltra 900. nobiles & milites (exceptis nautis & remigibus) claudebantur, quorum aliqui ſolius honoris gratia in comitatu Viceregis ſe deuouerant. Qui in Cochino erant, aduentantem Viceregem magno & apparatu & triumpho acceperũt. Is in Cochinum cum vix pedem extuliſſet, priori Viceregi nunciari curauit illicet, vt regimen ſceptrumque ad Domini mei, Archiepiſcopi manus haud cunctanter deponeret. Quo præſtito, reſignatus Vicerex Cochinum propere ſe contulit, vt eadem naui, qua ſucceſſor appulerat, ipſe in Portugalliam rediret, cum mos iſte eſſet Viceregum ab antiquo, vt officio ſuo defuncti in India remanendi nullam licentiam haberent. Poſt Nouemb. 10. anno 84. Carania nauis Goa recedens, Cochinum vela expandit, piper & alias merces neceſſarias oneratum. Quo fere tempore factores ſeu curatores omnes Cochinum ſe conferunt, merces ſuas nauibus imponendi cauſa. Quibus è portu motis Goam redeunt, vbi pars maxima habitat. Iſta naui vetus Vicerex Cochinum verſus ſe recepit, vt inde in Luſitaniam vela faceret.

Februarij die 5. an. 85. Vicerex Don Duarte de Meneſes Cochino in Goam venit, vbi ceremoniis & pompa ſingulari ei occurſum eſt. Eiuſdem anni menſe Aprili collega & cõſeruus mecum apud Archiepiſcopum Bernhardus Burchardus Hamburgenſis, Goia in Ormum profectus, hinc viam per Baſſora, Babyloniam, Hieroſolymam, Damaſcum, in Aleppum capeſſiuit. Ex quo loco geminas ad me literas dedit, quibus de ſucceſſu itineris & ſumptuum compendio, & periculi ſecuritate, & comitum humanitate, medio & commeatu Caſſylarum præſtitis abunde me certiorem fecerat. Is Aleppo verſus Tripolim in Syriam ſe contulit: vbi naues Anglicas offendens, cum illis Londinum, & hinc Hamburgum reuectus eſt, ſicut ita omnia proſpere ſibi eueniſſe poſt ad me literis nunciari curauit.

*Bernh. Burchard. Hãburgenſ.*

Sub Auguſtum menſem ad me Venetiis datis literis nunciatum eſt de latrocinio & obitu Principis Auraniæ, domini mei clementiſſimi, & Ducis item Alenconij ſiue de Aniou: vt etiam de nuptiis Ducis Sabaudiæ cum Hiſpaniarum Regis filia.

In Goa 20. Octob. ex Portugallia nauis quæpiam S. Franceſco applicuit, in qua Belgæ quidam erant, qui ex patria mea literas de obitu patris mei Hugonis Ioſt de Harlemo mihi tradebant.

Primo Nouemb. Cochinum nauis S. Alberto nuncupata intrauit.

Primo Decemb. Cananoram ad Malabarorum fines ſitam nauis S. Lorenzo ingreſſa, inde in Goam pertendit. In iſta qui erant comites, magna ex parte morbidi & languidi venerant, cum inſuper vltra 90. homines prius in ea defuncti eſſent. Toto in itinere nullum vſpiam littus attingentes, labores, famemque inæſtimabilem ſuſtinuerunt. Adhæc naues deſiderabãt adhuc geminas, quas ex Vlyſbona ſocias habebãt, nempe vnam S. Saluatoris, alteram prætoriam S. Iago-

de qui-

de quibus nihil hactenus nuncij comperiri potuit. Hoc ipso tēpore terrestri itinere aliquot Itali veniebant, de Papæ Gregorij XIII. obitu, & in huius locum Sixti V. electione nunciantes. Naues quoque ex Goa iterum Cochinum se pro more colligebant, vt in littoribus Malabar oneratæ, rursus Cochinum, & hinc in Portugalliam contenderent.

Anni 86. mense Maio literis Goā perlatis, & à Capitaneo in Sofala Mozambique, Vicerege & Archiepiscopo perscriptis de desiderata & perdita naui prætoria S. Iago, quæ ex Portugallia superiore anno 85. soluerat. Interitus eius hæc occasio erat. Cum dicta nauis secundo vento angulum *De Buana Esperanca* superasset, & Mosambique fines iam attigisset, nautæ se extra omne periculum iam cōstitutos, nec porro sibi quicquam metuendum rati, vela intra insulam S. Laurenzo & Continentem (quarum hæc ad læuam Mozambiquen versus: illa verò ad sinistram vergit) impulerunt. Intra Insulam autem dictam & Continentem multi scopuli & arenarum cumuli interiecti sunt, ab insula fere milliaria Hispanica 50. à Cōtinente autem 70. à regione terrę Sofala $22\frac{1}{2}$ grad. versus Aequinoctialem lineam Australem dissiti: à quo loco porro vsque in Mozambiquen milliaria 90. restāt. Scopuli isti magna ex parte mero corallio, eoq; acutissimo asperrimoq; & omnifarij coloris, vt nigri, albi, æruginosi, seu viridis constant: qui vt transitu valde periculosi sunt, ita caueri summo studio debent. Cum itaque scopulos & arenarum globos prope Indiam sitos prætervecti, iam se periculū omne euasisse arbitrarentur pleriq;: nihilo tamen minus rem certius sciturus Gubernator ex pyxide, cum ex illa secum rationem iniisset, iam scopulos illos à tergo relictos audacter pronunciauit. Vela itaq; panderent, & rectà citraq; omnem metum ad Mozambiquen cursum tenerent, iussit. Cum vero in naui nautarum aliqui, nec minus cæteri officiarij aliquot, instrumēta sua & mappas haberent, quas discendi & sciendi causa consulebant: hi exactius re pensitata cōmuni voto consultius arbitrati sunt, vt vela aliquandiu adhuc demitterentur, & excubiæ diligentes fierent: quod vel dum in occursu suo scopulos dictos haberent. Quorū consilio cum solus Gubernator refragaretur, visus sibi scilicet vnus præ reliquis & sapere & autoritate valere: vt citra moram vela attollerent, seriò & denuo imperauit. Pro hoc ergo mādato velis omnibus elatis, cum non malo vento ad semilucentem Lunā, mediam vsq; noctē vterentur, derepente in medios scopulos corallio albo asperrimos & venti & cursus impetu acti violenter impegerunt, adeo, vt nauis per mediū non secus ac à nouaculæ acie discissæ puppis cum geminis tabulatis ex parte inferiore fundo inniteretur, aut insisteret, prora aūt cursus continuatione incitata aliquousq; proiecta, tandē & ipsa scopulis effixa hæreret. Detruncari itaq; inceptis malis, tantus subito clamor, tāta eiulatio oborta est, vt fremitus quasi de cœlo reboaret. Quod enim prætoria nauis esset vltra 500. personas, 30. mulieres, cū aliquammultis Iesuitis & Monachis receperat & deuexerat. Quo certe casu iam spes nulla reliqua, nullū studiū supererat, quam vt certatim quisq; sua peccata confiteretur, proximis valediceret, veniā offensionis deprecaretur, ploraret & vlularet. Almirans Fernando de Mendoza, Gubernator, & cum his 10. vel 12. alij in proximā minorem scapham desilientes, illam, ne plures sese confertim ingererent, districtis gladiis tuebantur, reliquisq; in naui relictis pollicebantur, velle se circumnauigato scopulo seriò inquirere, an fortè quispiā supra illum locus cōmodus se offerat, vbi ex fragmentis nauis collectis scapham aliam extruere possent, qua & ipsi in Continentē euehi, & sic vitā seruare suam possent.

*Nauis S. Iago occubuit.*

*Naufragiū miserabile.*

Sed iam iam mergendis illis hoc solatium parum cordis addidit. Scopulum itaq; vndiquaq; circumlustrantes, cum locum nullū idoneum offenderent: veriti, si ad nauem redirent, à desperata illa turba violenter opprimerentur, cui tamen & alia re nulla auxilio venire possent, coactis tandem votis remos ad Conti-

nentem impellere decreuerunt. Cum capsulis ergo aliquot *Marmellada* (quod certum quorundam fructuum conditū est nauigaturis familiare) plenis, & vno vini doliolo, & pane modico bis cocto (quos cibos ista sub præcipitantia in scapham coniecerant) gratiam diuinā expectantes, littus quæsiuerunt. Quod tandem & fame sitiq; euecti, & labore immenso exhausti, post dierū septendecim cōtinuum periculum attigerunt salui. Alteri, qui in naui deserebantur, cum scapham abs se discedentem viderent:& insuper superiorem quoque nauis partem, intra duo illa tabulata, quibus scapha maior suberat, ex latere findi rumpiq;, adeoque scapham semifractam quassatamq; sentirent: & animo & re desperata, ne manum porro cuiquam operi admouendā censentes, solo aspectu mutuo, eoq; miserabili operabantur, vsq; dum Italus quispiam, Cyprianus Grimaldus de illarum medio exiliens, sumpto & animo & voce istam consternationē increparet, & ad manus operi inijciendas, vitamq; quoquo modo saluandā eos animosius exhortaretur. Quin & ipse dicto citius cum gladio suo in scapham se coniecit, & illā sordibus aquisq; expurgare laboriose incepit. Quo facto cum & reliquis animus rediisset, illi auxiliari, & qua possent subitanea industria scaphā sarcire contendebant. Arreptis ergo quibuscunq; rebus obuiis, vltra 90. homines in scaphā se certatim præcipitabant, exceptis iis, qui forinsecus ipsi adhærescerent & annatarent, inter quos & cōplures mulierculæ erant. Ne vero simul & semel vniuersi perirent & mergerentur, illi, qui in naui erant, reliquis extrà adhærentibus, manus & brachia detruncabant, illorū quoq; haud paucos, qui in naui sine armis erant, de tabulis exturbabant, & his actis à relictis cum tanto planctu & eiulatu abscedebant, vt cum fragore cœlum ipsum cadere credibile esset. Postquam ergo iam dies aliquot maris arbitrio vecti fuissent, parum tamen, quia multitudo numerosa omni occasioni obstaret, promouerant. Adhæc omnes scaphæ commissuræ hiantes, nauigationem laboriosiorem reddebant: vt in extremis difficultatibus ista ratione omnia versarentur, donec tandem, ne suffocarentur omnes, coactis sententiis decernerent, ex medio omnium vt vnum Capitaneum seligerent, qui ex India nobilis erat, cui vni imperare, vetare, quicquid ex re & vsu esset, citra cuiusquā perplexationem liceret. Quibus ratis, mandabat iste ex tempore, vt aliquot de superfluis è naui eliderentur, & digito circumacto in eos potissimum intendebat, qui inermes excussoribus minus resistere valerent. Ex eorum numero faber quidā erat lignarius, qui paulo ante in sarcienda scapha ante alios strenuus erat. Qui cum in se quoq; intendi digitum cerneret, exorato prius Marmelladæ frustulo & vini haustu, nihil recalcitrans, in mare se præcipitari & suffocari facile passus est. Sed & alius quispiā erat eorum, qui in Portugallia noui Christiani vocantur. Quo ad eiectionem prehenso & iam cōposito, frater ipsius eadē scapha cōsertus, annis minor, intentis precibus obsecrabat, vt fratre suo seruato, ipse in mare præceps eius loco daretur: rationē hanc afferēs, quod vt ille annis, sic sapientia se maior esset. Ad hæc, aiebat, seruatus iste, fratrū meorum, sororumq; necessitatibus felicius prospicere, quam ego, poterit: vt æquius sit, me pro ipso mori, quā sine ipso viuere. Sic ergo seruato fratre seniore, iuniorē mari nuncuparunt, qui eiectus vltra sex horas scaphā natando cōsectatus est. Et quanquam districtis gladiis illū acriter arcerēt, ne naui appropinquaret: ipse tamen nuda palma arreptū gladiū mordicus tenens, etsi iam media manu profunde vulneratus esset, illū tamen relinquere nullo modo voluit: dum tandē à misericordia tactis cæteris in scaphā receptus fuisset. Quos geminos fratres in Goia ipse his oculis vidi, & familiariter ipsis vsus sum. His fere lamētosis actionib. 20. circiter dies confecere: dum tandem optato littore conspecto, reliquos priore scapha allatos inibi offenderent, & salutarent. In naui autem qui destituti relinquebantur, tabulis, asseribus, transtris & antennis coactis & colligatis, vt cuiq; quodlibet sub ma-

*Fraterna charitatis mirū exemplum.*

num

num veniebat, quo vitæ suæ consulere posse fideret, extremā aleam experti sunt. Primi autem, quos diximus, ante nos littus attigisse, ærumnarū & periculorum nobis multo plus exantlare coacti sunt. Ab Aethiopibus enim istius regionis, Caffres dictis, spoliati, & omnibus vestimentis suis exuti sunt, vt ne ad pudenda velanda quidem quicquam ipsis relictum fuerit. Qui vix tandem post multos errores, famem & inediam perpessi incredibilem, littori tandem applicuerunt: vbi factorem Capitanei ex Sofala & Mozambique offendentes, reficiendi sui spem hauserunt aliquantulam. Capitaneus iste pro viribus & facultate sua ipsis largus erat, & vt Mosambiquen indeq; in Indiam, vbi eorum quamplurimos noueram, porro proueherentur, fideliter curabat. Istorum aliqui in via moriebantur, prius quam Mosambiquen viderēt. Vt in summam rem conferam, ex omnibus, naui prætoria dicta vectis, vix 60. homines seruati sunt: reliqui ad vnū omnes partim vndis perierunt, partim fame miserabiliter cōtabuerunt, vt nec de hominibus, nec naui postmodum documentū vllum hauriri potuerit. Acciderūt ista mense Augusto an. 1585. de quibus nōnihil prolixius excurrere collibuit, vt peregrinantes, hoc exemplo quasi ex speculo edocerentur, quam necessarium sit interdum, præfractorum gubernatorum confidentiam reprimi & castigari, ne tot animæ ob vnius præsumptam inscitiam miseris modis periclitentur.



*Admonitio de gubernatoribus interdū reprimendis.*

Maio mense an. 86. binæ naues bonis & diuitiis immensis confertæ, ex portu Indico *Chaul* soluebant, quæ Lusitanorum aliquot Chaul incolentium, propria erat, cogitantium scilicet per Estrecho siue Isthmum Mecca vsque ad mare rubrum penetrare, vbi suas negotiationes potissimum exercere solebant. Sed in via à triremi Turcica intercepta est. Triremes istæ in interiore Isthmo ad Meccam, non procul à Cairo ad rubri maris littus, in *Sues* ciuitate appellata extructæ erāt. Quibus hoc fatum expertis, casus iste simul, & quod prædatoria dicta nauis latius etiam aliouorsum grassaretur totam Indiam rumore perculit, & in metum coniecit.

*Naues duæ opulentissimæ à Turcis captæ.*

Eodem mense in Goa instructissima classis tum ex triremibus, tum liburnicis collecta est, qualis multis retro annis non visa est. Hæc ad mare rubrum emissa erat, Turcicas triremes aut fugatum, aut si fieri posset, omnino cæsum & mersum. Hisce Vicerex etsi expresso mandato iniungeret, vt in Ormo hybernarent, & postea angustias maris Persici perfringentes, suas operas, auxiliumq; Regi Persico Xatamas aduersus Turcam vtriusq; partis cōmunem hostem addicerent & offerrēt, vt hoc studio ab vtraq; parte ipsius vis & impetus infringeretur: euentus tamen deliberationi huic longe contrarius, vt deinceps narrabitur, sese ostendit. Potenti & instructissimæ huic classi præfectus aut Admirallius nobilis quidam, Gonsaluas de Camera datus est, qui ante hoc tempus Capitaneum in Ormo functus erat, homo obesus, pinguis, & aqualiculosus, quæ ipsius constitutio futuræ cladis ansam quoq; præbuit haud minimam. Classi huic, quod famam & immortale decus parandum sibi pollicerentur haud trepide, milites peritissimi, & Indianorum nobilium pars maxima, sese volens lubensq; addixerat. Rebus itaq; omnibus pro necessitate instructis, classe cursum suū rectà versus mare rubrum tenente, accidit, vt tranquilla nimis maris tēpestate gliscente, ærumnis exercerentur infinitis, & tum fame, sitiq;, tum rerū aliarū inopia eiecti, turmatim caderent, & animam expirarēt. Non enim secum hanc rationem iniuerant, fieri posse, vt in via tamdiu morandū esset. Hæc prima eorū clades, occasionem dedit etiam futuræ. Cum enim iam fauces maris rubri tenerent, occurrente illis triremi Turcica, & contra eos aciem instruente, Lusitani vndiquaque cæsi & fugati, cum magna infamia suorumque iactura retrocedere coacti sunt. Cuius victoriæ commoditatem persequentes Turcæ, littus prope *Abex* & *Melnide* occuparunt, vbi ciuitatibus aliquot cum Lusitanis fœdere iunctis vt *Pato* & *Braua* ob-

*Classis potentissima aduersus Turcas prædatores.*

ſeſſis expugnatiſque, vt ex illis in poſterum Luſitanis præſentius incommodare poſſent, locum præſidiis & neceſſitatibus omnibus muniuerunt. Hoc pacto claſſis Luſitanica profligata, diſiecta, & miſere confracta in Ormum rediit, vt hybernando illic vires nouas colligeret, vulneratosque & ægros alios, quorum numerus haud temnendus erat, rebus idoneis curaret, vt commodiore pòſt alio tempore Viceregis mandatum confectum dantes Regi *Xatamas* auxilium ferrent, & ita nuper acceptam cladem vindicarent, reſarcirentque.

Redintegratio claſſis prioris attritæ.

In Ormo itaq; hybernantibus, & neceſſaria omnia accurantibus cum iam tẽpus appelleret, Capitaneus corporis obeſitate ſegnior, & ad ſingula adornanda ineptior in Ormo remanſit, & ſuo loco militiæ ſupremũ præfectum conſtituit quendam *Pedro Homen Pereira* nominatim. Qui licet ſaltẽ nobilis eſſet, ſtrenuus tamen & militiæ peritiſſimus vir ab omnibus habitus eſt. Huic per omnia parere milites non ſecus ac ipſi Capitaneo, iuſſi ſunt. Sed & hoc iuxtà imperabatur, vt nauigantes in via ad latus ſinus Arabici applicarent, & pyratas quoſdã, qui inibi loco quodam *Nicolu* dicto ſe fouebant, omnes inuadebant, ſpoliabãt, nihil non vaſtabant, tum naues omnes, tum homines ex *Baſſora* negotiandi gratia in Ormum & cõmeantes, & remeantes adoriebantur, vindicarent & excinderent.

His itaq; præſumptis ſoluẽtes breui in *Nicolu* applicuerunt, vbi Carauelli littori admotis, illas ſine omni ordine glomeratim pro more ſuo tranſilierũt, & in Continentẽ ſe extulerũt. Quo viſo, cũ præfectus autoritate officij ſui fretus, illos pro iure & more belli, in ordinẽ cogere & recolligere vellet, non ſolũ autoritatem eius nemo ratã habere voluit, verum etiam contemptum ipſum ruſticum, & virum rerum ignarũ criminabantur, ſe vero vere nobiles, & rei bellicæ multo peritiores ambitioſe iactitabant. Iſtiuſmodi itaq; conuitiis efferi, ſparſim ſeſe & nulla lege quoquouerſum, vt oues paſtore ſuo orbæ diffuderunt, quaſi vel ipſorũ multitudini capiendæ vix orbis ſatis pateret, vel Luſitanorum quilibet Herculis robur haberet. Arabes ſiue *Nicolai* itaq; magna ex parte equis vecti, qui retro nonnihil ad horum primũ impulſum ſe in tutũ receperant, cum diſperſos Luſitanos hoc pacto viderẽt, & omnes Carauellas ipſorũ in aridum impulſos ſine immenſo labore tam facile in Oceanũ reuolui non poſſe expenderent, collectis & vnitis ſuis, agmineq; facto Luſitanos vndiquaq; circũdederunt, & plenis tum animis, tũ copiis in eos irruentes obuios quoſq; facile trucidauerunt, inſtantesq; vſq; ad ipſum littus repulerunt. Et cùm Luſitani Carauellas ſuas ſine euidẽti diſcrimine in vndas retrò agere non poſſent, & neceſſitate & mortis formidine ſtare pugnareq; coacti, aperto conflictu omnes proſtrati & cæſi ſunt, præter 50. circiter milites, qui tẽpeſtiuius aliquot nauiculas in vndas retruſerant, & remis impulſis ita aufugerant. Qui verò 800. Luſitani hac ſtrage interierãt, ſelectiſſimi & antiquiſſimi milites paſſim ex vniuerſa India ad hoc ſuũ fatũ cõfluxerant. Ex horũ numero tubicen quidã Belga natione, cum in media acie nõ procul à vexillo Luſitanico claſſicũ canẽs videret, vexilliferũ abiecto ſigno in fugã ſe dare, quod Arabũ quidã dein ſuſtuliſſet & vibraſſet: ira inflãmatus: tubã expeditè poſt tergum reiecit, diſtringenſq; gladiũ & in mediũ ſe agmen inſerens, illum qui vexillũ gerebat, mediũ perfodit, ſignoq; ad Luſitanos relato illos de ignauia acriter obiurgauit. Vexillũ hic in mediis hoſtiũ turmis vltra horã tutatus, multos eorum, qui illuc ereptum cõtra pugnabant, confecerat, vt cadauerũ tumulo circumquaq; quaſi vallatus eſſet. Et licet fuga, ſi vexillũ abijceret, ſe ſeruare haud incõmodè potuiſſet, ſtare tamen honeſtius arbitratus ab inſultantiũ copia tandẽ obtruncatus eſt. Iam iam ergò vitam poſiturus, cũ vexillo, vel dum in hoſtes adhuc moribundus corruit, fortitudinem ſuam etiam extremo lapſu atteſtaturus. Quam hiſtoriã mihi ab ipſiſſimis tum profugis Luſitanis ſæpius iuratò denarratũ, quod memorabilis eſſet, in perpetuum iſtius bellatoris encomium huic libro inſerenda putaui.

Belga tubicinis animoſum facinus.

Dictus

Dictus vero præfectus, cum inobedientiam suorum militum confusionemque à prima statim acie doluisset, & præter id augurarettur, victoriam hic partum iri haud admodum gloriosam, à principio statim stationem nauium repetens, ex remotiore loco desuper pugnæ attendens, tandem vacua Carauella in Ormum reuersus est, nec præter dolorem & dedecus ad Indianos quicquam retulit. Erat enim strages ista omnium maxima, quam Lusitani in India vnquã perpessi sunt. Nec vllus conflictus alius eorum plures simul absorpsit: inter quos primo quoq; frater Archiepiscopi, & potentissimorum nobilium quamplurimi ceciderant.

Sub idem tempus Goam Regina quępiam ex Ormo deuenerat. Quæ prius Mahumetanæ hæresi ad exemplum parentum & proauorum omnium addicta, sacro baptismatis lauacro se initiari petiuit. Ob id igitur Goę solemnitate publica admissa, susceptoreq; Vicerege baptisata, Hispaniarũ Regis nomine *Dona Felippa* insignita est. Mulier sane prudens & formosa, proceri corporis: quę secũ vna filiũ, annis minorem habebat, quem & ipsum baptizatũ cum superiore Capitaneo ex Ormo, *Matthia Dalburgvverck* in Portugalliam, miserat, vt Regi & se ostenderet, & sua officia voueret. ipsa vero Regina Lusitano cuipiam nobili, *Antonio DaZeuedo Coutinho* matrimonio copulata, à Rege pro dote spõsæ nomine præfecturã Ormi spõsus sortitus accepit: quæ vt alio loco dictum est, annuatim ad 2000000 Ducatos prouentui habet. Nobilis iste, postquam cum Regina dimidium annum omni gaudio & amore ardentissimo exegisset, nauem in Ormum traiecturam instruere cœpit, vt Reginæ nomine reditus quosdã cogeret & necessaria alia pro vsu componeret. Etsi vero hunc insperatum discessum regina ægerrime ferret, maritumque, vt se vna secum aueheret, cum sine illo ne viuere quidem posset, impendio & peramantissimè rogaret: attamen quod res & ratio id nõ ferret, quocunq; studio poterat, eius petitionem deliniuerat, pollicitus, se prima quauis occasione ad illam remeaturum. Ita ergo nauim ingressus, in *Bardees*, tria milliaria à Goa, & ad ostium fluminis in mare se exonerãtis sitam delatus est. Vbi cum secundos ventos expectaret: Reginam ex dolore & cardiogmo, quem discessus eius ipsi attulisset, eo ipso die, quo abiuerat, derepente expirasse, tristi nuncio accepit. Quæ res omnibus admirationi & luctui fuit: quod ista illarum regionum prima Regina fuisset, quæ Christianã fidem agnouisset: quæq; adeo suũ ipsius regnum & perculsum statum spreuisset, saltem vt Christiane ei mori liceret. Quæ post ideo planctu & solemnitate Regia ibi sepulta est.

*Goa Regina Indica baptizatur.*

*Regina nobili Lusitanico nubit.*

*Regina dolore ex abitu mariti concepto extinguitur.*

Mense Augusto An. 86. Goæ nuncius quidam comparuit ex Mozambique & Portugallia profectus, nauiq; illa aduectus, quo nuper in Malaccã solueret. Iste, cum secretis aliis ad Regem pertinentibus, etiam de interitu triremis, *Boa Viagen* dictæ, quæ elapso an. 85. ex India in Lusitaniam soluerat, attestabatur. Coniecturæ erant apud plerosq;, illam ad *Cabo de Buona Esperanca* ex nimio onere labefactam crepuisse. Pro vero etenim narrabant, quod cum ex Cochino primum egrederetur, iam tunc vltra nouem Lichas illa aquis plena fuerit. Cũ hac naui periêre nobilium quamplurimi; qui, postquam lõgo tempore in India militassent, cum testimoniis suis in Portugalliam tandem redire voluerũt, vt suorum meritorum recompensationem aliquam (vt ibi moris est) à rege impetrarent. Hac ipsa naui, quod omnium solidissima & velis copiosissimis munita fuerat, Legatus etiã Regis Xatamas ex Persia vehebatur, vt apud Hispaniarum Regem contra vtriusque communem hostem Turcam fœdus sollicitaret. Qui legatus, quod hoc casu pessum iuisset, *Rex Xatamas* in posterum nullum in Hispaniam amandare voluit, & nihilominus interim amicitiam & fœdus cum Lusitanis accoluit. Quæ ex Cochino in Lusitaniam naues soluunt, earum minima millionẽ auri exęquat, vnde coniectura sumi potest, detrimenti illius, ꝗ tum ad pecuniã tũ homines redundat ex vni⁹ interitu. Nec quisquã ferè annus est, quo nõ vna atq; altera occumbit.

*Nauis Boa Viagen põdere grauiore mergitur.*

*Legatus persicus mergitur.*

Septembri menſe 86. Goam inuectæ.4.triremes ſunt ex Portugallia egreſſæ, quarum nomina prætoria *S. Thoma S. Saluador*, Arreliquias & *Bon Ieſus de Carania* erant. De naui *S. Felippe*, quæ cum ipſis ex Vlyſbona ſoluerat, his nihil compertum fuerat.

Exeunte menſe Nouembri, eædem naues Goâ iterum ſoluerunt: quarum aliquę oram prope Malabar tenentes, & inibi pipere oneratæ Cochinum vela fecerunt. Inſtruebatur & Goæ alia nauis, *Aſcenſion* dicta, quæ iam ante aliquoties ex China & Iapana redierat. Hæc à nauarchis redempta fuerat, quod *Carania* nauis, prę vetuſtate tota carioſa, ante in Cochino per ipſos diſſecta & confracta eſſet. In cuius quidem locum etſi eiuſdem nominis extruere nouam occepiſſent, attamē propter diſſidiū quoddam obortū illa omiſſa, altera adempta erat. Naui vero illa quæ Noſtra *Sennora de Sencao* vocatur, dominus meus, Archiepiſcopus propter exorta quædam inter ipſum & Viceregem, ſenatores aliquot diſſidia verſus Luſitaniam vectus eſt. Et quamuis ab omnibus nobilibus, Vicerege ipſo & officiariis cæteris omnib. obnixe rogaretur, ne ipſos deſereret: nihilo tamē minus, perſtante ſententia, omnino ad Regem, à quo ſe & valde amari & pariter magnifieri ſciebat, pergere ipſi decretum erat. Quæ res Viceregi & cæteris animum valde dubium præſtitit. Verebantur enim, vt per ipſum Rex forſan ea doceretur, quæ ad ipſorum gratiam parum factura videbantur. Dimiſſis itaque à ſe omnibus fere ſeruis ſuis & domeſticis adeoque vix paucis, ad officia neceſſaria exequenda neceſſariis, retentis, memet cum Aulę præfecto ſolos illic reliquit, vt reditibus colligendis operaremur, & domum habitatione noſtra ad acceſſam præſtaremus. Cumque ſimul Iubilæum ſiue Indulgentiæ Roma in Indiam miſſæ venirent, quas *La Santa Cruſada* vocitabant: illisque annexum eſſet, vt pecunia illa, quæ ex indulgentiis reditura ſit, captiui & capite cenſi, qui exitiali illa in Africa ſeu Barbaria commiſſa pugna ſub Rege *Don Sebaſtiano* capti ſunt, redimerentur, quæ omnis pecunia collecta ſub domini mei, Commiſſarij ſcil. Apoſtolici Romani manus veniret: tum iſtius rei Regiſtraturam adminiſtrationemq; mihi tradidit. Clauem etiam eius Ciſtæ ſeu arcæ, in quam omnis pecunia colligenda fuerat, cum promiſſione ampli ſalarij commiſit, nimirum vt me iſthoc officio ſibi arctius ligaret, & ad reditum ſuum beneficiis quaſi diſtringeret. Cui meam quoque fidem ob id lubens deſpondi. Ianuario itaque menſe An. 87. nauem ingreſſus, pilotum ſeu gubernatorem eundem habuit, qui ante octiduum nauem ſuam ſcopulis prope Indiam illiſam perdidit, ſicut paulo ante commemorauimus.

*Fonſeca Luſitaniam petit.*

*Lindtſcotanus ſcriba & curator totius Indiæ conſtituitur.*

Cum vero nauium alia poſt aliam oneraretur, ita vt prima ante ſecundam quatuor aut quinq; diebus citius ſolueret (quo facto nempe ita opus eſt, vt in diſponendis bonis omnia certo ordine agantur, nihilque mercium catalogo ſeu diario non inſeratur) factum eſt, vt oneratis & inſtructis nauibus omnibus, poſtrema *Arreliquias* ſupereſſet. Qua tamen tandem & ipſa onerata ad dimenſum ſuum ſolitum, officiarij & prouiſores largitionibus corrupti, aliquot grauamenta ex illa rurſus extrahi, & horum loco Cinnamomum importari curarūt: quod Cinnamomum valde auctum pretio & in Portugallia carius factum eſſet. Itaq; dicti prouiſores nauium quod nec nauis alia hac vice, nec locus ſupereſſet, hoc aſtu nauem Arreliquias ita inæquali pondere onerare voluerunt. Hic operæ eſt pretium ſcire, quod naues integro milliari ab vrbe anchoris in Oceano defixæ & firmatæ onerari aſſolent, hanc ob cauſam, quod per æſtatem mare omnino placidum tranquillumque fluminis aut ſtagni inſtar eſſe ſolet. Appellente itaque tempore, quo ſoluentes iam vela facturi ſunt, tuba per ciuitatem Cochinū perſonante, ſignum omnibus futuræ rei dari ſuetum eſt: ita, vt qui nauigaturi ſunt, omnes cateruatim, ſuis amicis & familiaribus, ſeſe hac vice vltimum ſalutaturis, ſti-

*Onerandi naues modus.*

ris,stipati approperent,nauemq; pane, fructibus & rebus similibus aliis compleant. Quo tẽpore plerunq; vltra 300. aut 400. Cymbas, *Tones* aut *Pallenges* dictas, circa nauem principalem cum tumultu & versatione creberrima agitari aut fluctuare, cum admiratione videre est. Ipsa nauis vsque adeo mercibus grauata & onusta est, vt rudentibus siue funibus infra nauem extensis, superius vniuersa bonis contecta & quasi oppressa sit. Aluus enim nauis bonis ita prægnans & suffarta est, vt ne angulus quidem minimus inanis relinquatur: vt etiã iam è littore in altum emotis quatuor circiter septimanis ad singula disponenda & colligẽda opus sit. Hæc & huius nauis ratio erat. Qua iam itura, *Viador de Fazenda* siue Visitator Regius ad eam visendam accedẽs, solemni protestatione præmissa, An nauis ad iter istud satis instructa & munita esset, interrogauit. Quo asserto, protestatio subscripta est: etsi quidam id ita factum inficiarentur. Mandata itaq; de præcidendis funibus & velis iam demittẽdis, illico audito, qui extra nauem in cymbis erant, *Boa Viagen, Boa Viagen* (quo precabantur felix nauigantibus auspicium) intento clamore vociferabantur: & nihilominus tamen, quod mare trãquillum esset, ad latera nauis, remis impulsis cymbis suis milliare prope vnum illam comitabantur. Naui ergo iam ventis credita & impulsa, cum inter cætera onera, superiori nauis parte posita, corbes etiam aliqui, gallinis referti essent, ex quib. se aliquot iam gallinæ extricauerant & euolauerant: quolibet illas sibi vendicante & asscribente, ingens tumultus inter nauigantes concertatioq; desubito coorta est. Omnibus itaq; vt fit, concurrentibus, & in vnum latus se dantibus, commotione ista & immenso põdere impulsa & titubare coacta nauis. (Nam, vt diximus in grauamentorum seu ballasti exempti locum cinnamomum, moschum & res alias leuiores suffecerant, nauemq; ita pondere inæquali onerauerant,) paulatim se reclinauit, & adeo profunde tandem submersa est, vt mali altissimi apex vix spithamã vnicam promineret. Quo fiente, quotquot inibi erant homines, propere se in cymbas dictas, adhuc bono fato comites, deiecerunt; omnes alias perituri, nisi in proximo illæ fuissent. Ad vnum ergo sic omnes euaserunt exceptis mancipiis, quos sclauos nuncupant, ne quo fors perfugerent, illic catenis ferreis reuinctos. Iam, quis hominum diuitias, hoc casu mersas, facile censere aut æstimare queat? præter enim paucas cistulas, summo loco fere positas, nihil quicquam seruatum est. Ex quo iam videre est, quantopere Lusitani in onerandis nauibus instruendisque conscientiæ suæ studeant. Nec dubium est, quin per eorum istiusmodi negligentiam & incuriam multæ sæpe naues damnum sumpserint, & penitus mersæ sint. Vt officiarios & prouisores de hoc facto plecti aliqua occasio esset, examinandis testibus & coniecturis aliis valde laboratum est. Sed quod solidi extorqueri nihil posset, silentio tandem factum & ipsum sepultum est, illis interea, quorum bona pessum ierant, damnum acceptum secum in sinu suo singultantibus. *Fonseca nauis cũ grandibus diuitiis perit.*

Eodem hoc mense, de Malacca valde periclitante, multisq; fame cadentibus, nuntium ferebatur. Sed & quæ ex Lusitania eo nauis impulerat, quod, quo instrueretur, commeatus deesset, & angustiæ insuper prope *Sumatram* ab hostibus obsessæ nauibusq; in Chinã & Iaponiam ituris transitus obseptus esset, immota in littore quiescere coacta est. Committebantur autem ista à Regib. in *Sumatra*, nempe à *Rege de Achein, de Ioy*, in Continenti prope *Malaccam*. Hi ob certas causas & iniurias, quibus ipsos præfectus in Malacca affecerat, contra Lusitanos seditiosi, conspirauerant. Quo rumore audito, Goa omnis trepidatione percita est, quod diuitias suas vniuersas de nauigationibus ex *Malacca, China, Iaponia*, cæterisque finitimis Insulis haurirent: quæ commoda ipsis isto bello præcisum & derogatum iri, præsentiebant. Itaque citra moram classe valida ex triremibus, Carauallis & nauibus aliis constructa, ad *Malaccam* præsidio firman-

firmandam properatum est. Et cum superiorum annorum bellis, acceptaque multoties clade India & pecunia & hominib. valde exinanita esset, ciues in Goa omnes & singuli ob id cēsebantur, & collybo passim à mercatoribus pecunia ingentis numeri ad milites scribendos colligebatur.

Maio mense Ann. 87. Goam ex Mozambique triremis quæpiam inuecta est, nuncians, in Mozambique nauem S. Felippe incurrisse, & nauem aliam S. Lorenzo dictam, in cursu versus Lusitaniam eo impulsam, exonerasse. Hæc quoquouersum patuerat ingressa, quod antea tempestatibus iniquis actæ malos vniuersos detruncari, opus fuerit, potissima nimirum mercium parte in mare excussa, hominibus ipsis mirabiliter seruatis, & in Mozambiquen delatis. In S. Felippe naui regij illi filij, superius recensiti, venerant: & cum triremi ista, horum actorum nuncia, Goam redierant. Hæc eadem nauis nunciabat quoq; de classe illa, quæ mense Decembri An. 86. ex Goa emissa ad littus *Melinde & Abex* fuerat, cladem illam, quam classis *Rui Gonsalues de Camara* acceperat, vltum, & ciuitates aliquot, cum Turca illicite fœdus pactas, vindicatum. Huius classis præfecto nobili quodam, Martino *Alfonso de Mello* constituto, cum ad littus *Melinde & Abex* intra Mozambiquen & mare rubrum situm appulissent, in Continentem egressi, cum quos impetebant Turcas, iam dum profugos, & turpi fuga per mare rubrum in regnum suum regressos intelligerent: Lusitanis tamen animus perstitit Reges & ciuitates illas obtruncandi, qui fœderis violatores suppetias nuper Turcæ contulissent. Iuxta ciuitates itaque *Pate & Braua* copias suas educentes, incolas, nihil horum quicquam suspicatos, inuaserunt: qui tamen desertis suis vrbibus, retro in terræ penitioris abdita sese receperunt. Nihilominus tamen Lusitani animos suos, vindictæ plenos, exustis & vastatis, soloque adæqualis obuiis omnibus, abunde explebant: & in fuga captum & arreptum Regulum *de Pate*, irarum pleni capite minuebant, quod post Goam secum importantes, supremo malo infixum per dies aliquot ad exemplum & victoriæ partę signum, in publico omnium oculis spectandum relinquebant. Quæ res Lusitanis, prius non leuiter perculsis, paulatim animum reddidit. Quibus omnibus peractis, in Ormum traiicientes, pro Viceregis mandato, auxilium Persarum Regi præstitum properauerunt. In Ormum itaque trauecti, morbisque inibi concussi, magno numero mori cœperunt. Quod fatum cum & præfectum ipsorum Martinum Alfonsum de Mello tetigisset, viam in Goam repetentes, infecta re discesserunt. Classis hæc, cum iuxta littus Abex nauigaret, & prope Insulam *Zamzybar*, quæ ad Austrum sex gradibus vergit, & 70. ferme milliaria *de Pate* versus *Mozambiquen* declinat, deflecteret, nauim *S. Saluador* vocatam sibi obuiam habuit, quæ ex Cochino antea in Lusitaniam soluerat. Nauim hanc nautæ penitus detexerant, & vix piperis aliquo pondere reseruato, reliquas merces omnes in mare deturbauerant. Ipsi vero nautę situ & squalore deformes, vni nauteæ exigendæ aut exinaniendæ addicti, iam omnem animum desponderant, & præter mortem insultantem spem nullam reliquam habuerant. Quam quoque nulla vnquam industria euitare potuissent, nisi classe hac obuiante nunquam sperata, seruati periculoque exempti essent.

*Lusitani regem de Pate captum decollant.*

In Ormum nauem hanc secum auexerant: vbi pipere & relictis aliis bonis redemptis, illam confregêre, & nouam aliam minorem extruxêre, quâ superstites ex priore homines cum asseruatis dictis bonis in Portugalliam nauigauerūt, & exantlatis multis periculis inibi tandem feliciter appulerunt.

Septembris die 7. An. 87. alia ex Mozambique triremis appulit, significās, ibi naues Lusitanicas, Almirantem *S. Antonio, S. Francisco, S. Maria de Nazareth, S. Alberto*, incurrisse. De S. Maria naui, *Vlysbona* vna simul egressa tum quidem nihil certi narrantes, post tamen comperêre, illam rerum quarundam inopia, tempe-

tempestatisq; iniuriis afflictam, cursum suum in Lusitaniam deflexisse. Postoctiduum dictæ naues Goam inuectæ, gratulatione publica acceptæ sunt.

Sub idem tempus castellum *Columbo*, quod Lusitani in Insula *Seylon* possidebant, à Rege *Seylon Raiu* vocato, obsessum est. Obsidione locus iste potentissima infestabatur: ita, vt ad illam immisso præsidio firmandam classe Goæ instructa opus esset, cui præfectus *Bernardin de Carualdo* dabatur. Sed & Goæ rursus alia instructissima classis adornabatur ex multis Carauellis, triremibus, Liburnicis, & nauibus necessariis aliis, militibusq; & cætera apparatu nobilissima, *Malaccam*, ex obsidione forte valde periclitantem, auxilio firmatum emissa. Isti præficiebatur *Don Paulo de Lyma Pereira*, & generis nobilitate, & bellicarum virtutum laudibus prælustris: qui breui ante tempore Capitanei in *Chaul* officio functus consiliorum omnium successu prosperrimo semper vsus erat. Qua de causa etiam ad expeditionem hanc ex cæteris selectus fuerat. *Columbo castrum à Rege Seylon obsessum.*

Vltimo Nouembri supra dictæ quatuor naues Goâ iterum in Cochinum soluerunt: vbi rebus suis impetratis dimissi in Portugalliā redierunt. Insecuto post mense Decembri, obsidione castelli Columbo in *Seylon* vrgentius continuata Goani præter Classem superiorem, etiam potentiorem aliam apparantes, cum militum ingens defectus esset, quamplurimos vi correptos & nauib. impositos, cum pecuniæ, quam passim à mercatorib. & incolis suis extorserant, ingenti vi illos in *Seylon* amandarunt. Horum supremus dux *Manuel de Sousa Coutinho* nobilis & bellator illustrissimus, quondam etiam in Columbo Capitaneum defunctus, constituebatur. Quo tempore officij sui, cum obsidionem Columbo valida manu profligasset, à Rege quam plurimis donis affectus, status & dignitatis suæ auctionem accepit, & ab obitu Viceregis totius Indiæ Gubernator, vt post dicetur, constitutus est. Hic itaq; Goa soluens, quam primum Insulam *Seylon* attigit, Copias suas cum classe reliqua coniunxit, acieq; ad leges belli accurate instructa, cum *Raiu* confligere vnice optauit. Qui Rex, cum ingentes Lusitanorum copias peruidisset, castris desertis castellum cum Lusitanorū magno gaudio dereliquit, & fuga periculum anteuertit, Castello itaq; rebus omnibus necessariis, & præsidio forti rursus munito, Goam suas naues & milites retro iterum egerūt, & cum triumpho iubiloque publico ibi accepti sunt, Martio mense, An. 88.

Eiusdem anni mense Aprili Goam quoque reuecta est classis *Don Paulo de Lyma*, quæ *Malaccam* missa, ipsa milite præsidiario refecta, viisq; versus Chinam & loca alia tutis restitutis, victrix Goæ salutata est. Id hoc fere modo transactū est. Postquam dicta classis angustias maris prope *Malaccam* attigisset, nauis quæpiam Regis *Achein* ex *Sumatra* ipsi obuia facta est: qui Rex iuratus hostis Lusitanorum, ideoq; palmaria causa huius arctissimæ obsidionis fuerat. Naui hac obuia huius Regis de Achein filia vehebatur, quam *Regi Ioor* sponsam tramittens, contra Lusitanos hoc pacto ipsum in confœderationē pellicere cogitabat: simulq; honorarij loco tormentum æreum inusitatæ magnitudinis, quale India nunquam vidit, ipsi transmittebat. Quod etiam postmodum à Lusitanis Regi Hispaniarū donatum, & ea naui ex Malacca aduectum est, quæ deinde prope Insulam *Teneram* submersa est. Vbi tormentum tandem machinis ingeniosis laboriosissime extractum, quod præimmenso pondere vsq; in Portugalliam promoueri non potuisset, in castellum eiusdem Insulæ depositum est. Sed vt ad institutum reuertamur, naui ista vna cum filia capta & occupata, omnibusq; inuasis, cum ex deuictis militibus intellexissent, quę inter Regem vtrumq; molitiones agerentur: recta prora versus *Ioor* directā, militem ibi omnem in littus exposuerunt, & collecta Corona, vrbem *Ioor* palis circumcirca obseptam, ædib. magna ex parte stramineis, expedite inuaserunt & oppugnarunt. Vrbani itaque, visa ista ingenti copia, & illius impetu intellecto, quotquot poterant, rebus diffidentes fuga sese eruerunt, ciuitatemq; *Malacca præsidio munita. Cum filia Regis Achein tormentum miræ magnitudinis capitur. Ioor ciuitas obsidetur & occupatur.*

tatemq; inanem post se reliquerũt: quam tamen Lusitani subiecto Vulcano cremantes, omnia diruêre & prostrauêre, & quoscunq; fuga reliquerat, omnes aut trucidauêre, aut captiuos in vincula dedêre. Et quod mirum est, in ipsa vrbe vltra 2500. tormenta ærea, maiora minoraq; nacti sunt, quæ omnia post in Indiã traue&c;ta sunt. Tormentorum autem istorum nonnulla *Muscettæ* magnitudine, alia maiora cætera maxima fuerant, torcumatis illustrissime cælata: quam artẽ à Lusitanis & Italis, fidem Christianam inficiatis ante didicerant. Horum cũ tota India passim multos ferat, fit, vt ab illis nihil incommodi non emergat. Quod si qui homicidij aut alteri⁹ criminis rei, magistratus vindicias metuunt, tum eo profugiunt, & à Mahumetanis & Aethiopibus pulchre habiti, magna salaria impetrant. Sed ad rem. Tormenta hæc, relicta, etsi ab incolis bono quidem & legitimo ordine collocata essent: nihilominus tamen explodendi ea dexteritatem ipsos non habuisse, præcise apparebat, vt ex aspectu, sic etiam illorum repentina desertione, qua viam ad ea inuadenda facilem Lusitanis præbuerant. Parta hac victoria animo Lusitanis & furore addito, porro in Malaccam progressi ab iis, qui ipsorum suppetiis auxiliaribus iam omne periculum euaserunt; valde honorifice & pompatice accepti sunt. Rumore porro isthoc de captiua filia ad Regem de *Achein* delato, dicto citius Legatos suos ad Capitaneum *Don Paulo de Lyma* cum amplissimis honorariis & præsentiis amandauit, qui de pace asserenda laborarent. Quam vt facile impetrauit à Lusitanis, sic viæ illico omnes iterum reclusæ sunt, vt in Malaccam negotiaturis vndiquaque commeatus tutus esset: cuius interceptio paulo ante Lusitanis detrimẽtum præstiterat haud minimum. Votiue itaque de hoc felici successu omnibus gratulantibus, & in statum commodum omnibus repositis, pace firmata sub Aprilem mensem (vt dictum erat supra) classis Goam sese recepit, & hymno sacro, Te Deum Laudamus succentato, triumphus solemnis statutus est.

*Pax inter Achein regem & Lusitanos firmatur.*

*Vicerex mœrore tabescens obit.*

Insequenti mense Maio Vicerex Don Duarte de Meneses supremum vitæ diem obiit, postquam continuam, eaq; acutissima febri (quæ Indiæ Endemia & plerunq; lethifera esse solet) correptus, vix quatriduo decubuisset. Mœrore eum in hunc morbum coniectum esse plerique suspicabantur, quod à Capitaneo in Ormo literis edoctus esset, Archiepiscopum ad Vlysbonam mature appulisse, & cum bona gratia à Rege admissum esse. Qui quod à Vicerege cũ simultate haud obscura abscessisset, ob id illum, hunc dolorem, metumque, ne de gratia Regia periclitaretur, concepisse, asseueranter pronunciabant. Sed rumorem hunc fictitium fuisse, paulo post certiore fama cõpertum est. Archiepiscopus enim antequam in Portugalliam penetrasset, octiduo ante in naui extinctus est: ita vt dissidium discordiamque suam vtrique vita posita finierint. Sepultura & funebris pompa Viceregis ad hunc se fere modum se habuit.

*Fonseca nauigans moritur.*

*Sepultura Viceregum ordinaria.*

Tumba seu monumentum defunctorum Viceregum in Cœnobio quodam, ad *Treijs magos* id est, ad tres Reges dicto, monachis nudipedalibus sacro in regione *Bardees* ad aditum Goæ sitũ est. Eo itaq; Viceregis cadauere triremi, regie exornata, & pulla veste vndiquaq; cõtecta, nobilitateq; vniuersa stipata, deuecto, perlatoq; priusq̃ Cœnobiũ inferretur, à monachis ductis susceptũ, & in tẽpli pauimentũ, statutum necdũ illico terra obrutũ est. Ad illud itaq; cũ magna deuotione pri⁹ Missa celebrata, manipuli aliquot seu fasciculi obsignatarũ literarum afferebantur (*Vias* vocitãt) q̃ ita occlusæ à Iesuitis asseruatæ reserari nunq̃ solent, nisi ad sepulturã Viceregis aut Gubernatoris defuncti: quales *Vias* quotãnis à Rege eo mißitãtur, & numeris 1.2.3.4.&c. inscribũtur. Quod si itaq; Viceregũ q̃spiã suo fato functus est, tum *Vias* numeri. 1. aperta & visa, q̃ in ea p̃sona scripta est, illa deinceps defuncti Viceregis *Locumtenens* statuitur. Quod si vero, qui in *Vias* prima designatus est, tũ absens sit, tunc reclusa altera *Via*, si, quisqs ibi nominat⁹ est, præsens

*Vias, literæ regiæ obsignatæ Vicereges eligentes.*

præſens ſit, illico officio illo inſignitur, & ei quaſi Viceregi ab omnibus paretur. Quod ſi porro & ſecundo deſcriptus, loco abſit, ſingulæ poſteriorū ſucceſſiue eo vſq; aperiuntur, dum de præſente certo quodam pronūciatio rata ſit. Quo facto, *Vias* poſteriores intactæ relictæ, à Ieſuitis poſterum, in Cœnobio rurſus aſſeruatæ diligenter cuſtodiri ſolent. Nec ante *Vias* has reſeratas quiſquam eſt, de futuro Rege q quicquā compertū habeat. Quæ ob hanc quoq; cauſam à Ieſuitis in præſentia omnium nobilium, Capitaneorū, præfectorum, & officiariorū ſolemnitate publica reſignari ſueuerunt. Quod ſi autem, qui in *Vias* nominatus eſt, illodem tempore fors in India aut alia quapiam Orientis regione abſit, vt eſt Capitaneus in *Soffala, Mozambique, Ormo, Malacca,* & locis ſimilibus: tum re ad illū expedite nunciata, citra excuſationem cætera officia omnia deſtituere, ſeq; ad acceptandū regimen, dum à *Rege* ex Portugallia alius mittatur, præſentare cogitur. Aliis autē in locis, vt in Portugallia, *China, Iaponia*, aut ex aduerſo promontorij *Buono Eſperanca* ſi ſeſe contineat, qui in *Vias* delectus eſt: tum ſequente altera effracta eo, quo diximus, modo proceditur. His præmiſſis itaque iam ad id, vnde digreſſi ſumus, redeamus. Miſſa, vt diximus, celebrata, & Ieſuitis faſciculos illos ſeu *Vias*, Regis ſigillo munitas proferentibus, & ante Viceregis contumulationem aperientibus, omnibusque adſtantibus de futuro Vicerege audiendo valde ſollicitis. Tandem eius titulo pronunciatus & ſalutatus eſt quidam *Matthias Alburquercke*, olim in Ormo Capitaneus, & eodem ipſo anno, (quod crus fregiſſet, ac illud domi commodius curari poſſe putaſſet) cum Archiepiſcopo in Luſitaniam profectus. Hoc itaque tum abſente, & via ſecunda aperta, *Manuel de Sauſa Coutinho*, ſupra quoque nominatus, delectus eſt: quæ res, quod ille genere nobili non admodū præclaro natus eſſet, admirationi fuit haud paucis. Et quanquam alij quamplurimi genere multo præſtantiores ſe per hoc excludi inique & ſimultanter ferrent: coacti tamen ſenſum ſuum reprimere, ipſum vt valde optatum honorifice ſalutarunt, & oſculo eius manibus oblato, ceu deſignato Viceregi ipſi ſacramento obedientiam ſuam ſtipulati ſunt. Quibus ita exactis, adhuc inhumatū Cadauer deſerentes, cumq; nouo Vicerege nauim redintrantes, pullas lugubresq; veſtes omnes abiecerunt, & nauem votiuis genialibusq; vexillis & operimentis, ex ſerico induſtrie intertextis, inſtrantes, tubis & lituis ſtreperi Goā redierunt. Vbi porro Vicerex ſolemni pompa acceptus, & pro more in loci ſupremum templum (vbi hymnus, Te Deum Laudamus, perſonuit) deductus, iuramentum præſtitit, quod omnia priora priuilegia & libertates patris loco fideliter tutaturus ſit. Inde porro in Viceregis palatium progreſſus eſt: quod ab anteceſſoris domeſticis deſertum, illi vacuum traditum eſt. Interim defunctus Vicerex ab aliis omnibus neglectis, à ſuis famulis tandem terrę datus, & nulla cuiuſquam lamentatione defletus ſepultus eſt.

*Manuel de Sauſa nouus Vicerex.*

*Noui Viceregis agnoſcendi & ſalutandi mos.*

Menſib. ſequentib. Iunio, Iulio, Auguſto An. 88. in Goa & Indicis finitimis oris omnibus aſperrima & rigidiſſima hyems increbuit, qualis annis aliquāmultis non viſa eſt. Sed & continuis tribus his menſibus, abſque vlla ne ad ſemihorulæ ſpatium facta intermiſſione dies noctesq; imbrib. aer ita moleſtus fuerat, vt iſthoc madore labefactatæ ædes innumeræ corruerent: quod lapides, quibus illic eæ extrui ſolent, plerunque friabiles, præterea etiam ex parte dimidia terra pro cæmento conglutinantur.

Auguſto menſe in ipſa Goâ horrēdum quoddam, & narratu digniſſimum homicidium in Belga quodam commiſſum eſt. Quod propter Indicarum mulierū effrenem & diſſolutiſſimam libidinem, quā promiſcue omnes quaſi in vno ludo literario edoctæ ſunt, & noſcendam omnib. & caute fugitandam hic multis paucis recenſere libuit. *Antvverpius* quidam adoleſcens, Franciſcus Koning, poliendis & læuigandis Adamantibus deditus, cum peregrinandi ſtudio tenere-

*Nefaria obtruncatio Francisci Koningi.*

tur Venetiis à cognato suo 5000. Coronatos pecuniæ numeratę accepit, vt gemmis emendis vendendisq; quæstũ faceret. Quo ille instituto cum in Aleppum se recepisset: prauo sodalitio illectus, pecuniæ eius dimidium, neglecta negotiatione, abliguriendo confecit: vt reditus ad cognatum tempore relapso, cum comitibus Venetias reuerti suppudesceret. Perditi itaq; reparandi causa suasu quorundam cum Caffyla in Bassoram (ciuitas est eius regionis opulentissima, ad fauces sinus Persici sita) profectus, & Inde in Ormum delatus, cum ad Genium rediret, nec naturã mutaret, inibi de summa quod reliquũ fuerat, plane pleneq; decoxit & absorpsit. Tum vero primũ de vitæ anteactæ, & iam porro seruandæ sustendãdæq; ratione cogitans, cũ re perdita ad cognatũ redire nulla venia liceret, exercẽdo artẽ, quã didicerat, vitæ suæ cõmodis velificari deinceps statuit. Quam cũ in Goa fieri magni à quibusdam intellexisset: eo profectus, quotidie pecuniã haud temnendã promerens, spe sua frustratus haud quaq̃ est. Sed & hic à cõpotoribus sodalib. quotidie obrutus, ꝙ rationib. diariis sufficeret, vix corradere potuit: ne dicã, vt ad cognati summã redire valuerit. Ad quẽ itaq; redeundi cum iam spes & occasio omnis vanuisse ipsi videretur: morãdi illic in Goa, & aliud vitæ genus ineundi incessente animo, de matrimonio cogitare cœpit: ꝙ videret, ex diligẽti artis suæ exercitio prouentũ familiæ nutriendæ satis amplum emergere. Quod hominis institutũ, cum Gallo cuipiã, Ioanni Duxenæ (qui iã olim in India inquilin⁹ factus, vxorẽ ex *Bellagatte*, natione Aethiopẽ quidem sed professione Christianã duxerat, ex eaq; præter filios geminos filiã quoq; susceperat) innotuisset, sciretq; q̃ ille teneret artẽ, in Goâ quæstus longe maxima esse, de inescando illo, & cũ filia copulando, vxoris opera adiutus, omnẽ viã ingressus est: nec à cœpto isto destitit prius, q̃ omnib. illecebris & blandimentis vbicunq; locorũ adhibitis, eius animũ quasi cuniculis effodisset, & in ducendæ filiæ consensum eũ pellexisset. Cõsensit, duxit, accubuit. Sponsa quidẽ, etsi annorũ vix dũ esset vndecim, & ob id venustula purpurascens, amabilis: ad fraudes tamẽ, & illecebras velandas ingeniosissima magistra, sui similẽ vix toto orbe habuit. Hac ergo ducta, cũ paulo post de dote, ꝓ cõtractu nõ p̃stita, inter socerum & generũ simultas oriretur, & ex hac (vtrisq; simul vnis ædib. cohabitantib.) exacerbationes quotidie (vt fit) alię subinde post alias pullularẽt, tandẽq; socero mortuo difficultates nouæ, vniuersa socrus domo & familia alẽda genero obtruderentur, pertæsus ille incõmodorũ istorũ omniũ indignabund⁹ illis se ædib. cũ vxore, liberis, sclauisq; suis extulit, & cõductis aliis ꝓpriis opificio suo vacauit, & ꝙ industri⁹ esset, æs breui lucratus est amplissimũ. Quid fit? Socr⁹, vt erat à natura indolis pessimæ cogitãs generi sui factũ quoquo modo vlcisci, filiã suã alias in hanc rẽ haud difficilẽ, illicito amore quasi aperte irretit & cõglutinat cũ Lusitano quodã milite, iuuene, *Antonio Fragoso*, qui & alias genero familiariter vtebatur, & ceu secretior quispiam eius fidiorq; amicus, etiã tum, cũ apud socerũ adhuc habitaret, ad epulũ subinde ab eo vocabatur. Cũ hoc Fragoso filia matris institutione & opera nõ saltẽ iam quotidie clã marito fœdissimo & spurcissimo adulterio cõmisceri occeperat: verũ etiã, vt fama erat, iã ante initũ quoq; matrimoniũ, vix annos octo dũ nata (maxima. n. illarũ pars hac ætate iã & pruriunt, & corrũpi solent, & tamẽ, qua futuris sponsis se virgines ꝓbent, artem cõmodam norunt) eodem nebulone ad libidinẽ suam explendã mature abusa fuerat. Prætextu itaq; familiaritatis Fragosus hic nihil quicquã tale suspicantẽ Franciscũ multoties inuisens, hac occasione & socrus nefaria opera adiut⁹ vltra annos quatuor iã cũ vxore hunc ludũ luserat: vni illi interim Francisco sua secretissima concredente, eumque fratris loco habente. Quodam vero tempore, cum vir ipsius conuocatis quibusdam amicis suis, & socru epulum illis in suo horto seu viridario daret, & hospitibus vniuersis lætis, absens eius vxor intus in ædibus necessaria parare & adornare ab omnibus crederetur: Fragosus interim destricto sub toga gladio ad illam intro ingressus, manu arreptã secum in

*Sponsæ ætas, habitus.*

*Virginitatẽ mentiri Indæ dociles.*

laceræ proximæ ædiculæ & vſquequaq; patentis, vixq; quatuor gradus à diſcumbentib. in horto cõuiuis diſſitæ vacuũ, citra omnẽ metũ abduxit. Vbi ipſa pudoris velamẽto detracto, inq; terrã corpori ſubſtrato, clara luce & ſplendente die ad oculos & conſpectũ tum ſeruorũ, tum famularũ inaudita cõfidentia ſe ſubagitari paſſa eſt. De qua re cum pòſt à ſpectatorũ illorũ aliquib. reprehẽderetur, &, vt cautius vitæ ſuæ cõſulendo ſibi caueret, admoneretur, reſpõdit, modo ad ſatietatẽ ſi iſta voluptate frui poſſet, vitæ ſuæ iam altã iactã omnẽ eſſe: quam cauſa amatoris iſtius ſui, iam vltra quadrienniũ delectanter habiti, vltro poſitura ſit. A quo etiã facto adhuc calens beſtia ad cõuiuas pòſt ſe nihil verita intulit, & quaſi probè re acta horę cũ cõuiuis genialiter indulſit. De hoc itaq; facinore deinceps paſſim, quãuis obſcure, muſſitantib. pleriſq;, & de obſeruanda attẽtius cõiuge Franciſcũ amicè cohortãtibus, cũ ipſe iam de illius libidine improba nõnihil ſuſpicari cœpiſſet, diffiſus amicis cæteris omnib. vni *Fragoſo* vt intimo & fidiſſimo ſuo, hãc iniuriã queſtus eſt: addẽs de adultero ſe quidẽ hactenus ſciſcitari nihil potuiſſe, daturũ ſe tamen quaſi ex inſidiis operã accuratiſſimã, vt illo aliquãdo peruestigato & cũ vxore cõprehenſo, vtroſq; in ipſo facto trãſfigat & obtrũcet. Quod conſiliũ Fragoſus nõ modo vt appoſitũ probabat, verũ etiã, ſi opera ſua opus futurũ ſit, ad hanc rẽ illã ipſi iuratò pollicebatur. Interim ipſe adulteram amicã ſe cõferens, & rem proditã maritiq; conſiliũ ipſi denarrans, prouenire, maritumq; priorẽ cõficere, cõſultius cũ ipſa ratus eſt. Id quod in tẽpus cõmodum deſtinantes, ſic quoq; decretũ fecerunt. Itaq; cum paulo poſt *Franciſcus* quoſdã cum ſocru ſua cũſcia amicos ad cœnã inuitaſſet: omnibus hilariter & genialiter ſe gerentibus, ipſe ſingulariter Franciſci poculũ *Dutroa* (herba eſt, ſtupidos & inſenſatos potores præſtans) dilutũ permixtumq; accurarunt. Quo hauſto, & conuiuis breui à ſe dimiſſis, ipſe cum coniuge, interioris ſcalæ ianua pro more prius occluſa, & claue puluinari ſuppoſita, lecto ſe intulit. Quo breui, tum vini copia madidus, tum *Dutroa* vi obſtupefactus, velut exanimis profundiſſime indormiit. Sub II. ergo noctis horam armatus approperãs Fragoſus geminis ſociis comitatus, cum per ianuam impulſam ingredi non poſſet, adulteræ de feneſtra deſuper proſpectantis voce & monitu ſcalas patulis cubiculi feneſtris admouit, & ope manuq; ipſius iutus camera ſe inſeruit. Quem veniente, cum manu prehenſum molliter accepiſſet & ſalutaſſet: ad lectũ ſtertentis adducto, En tibi, inquit, ſtipitem hunc & truncũ, virum hæreticũ, noſtrę vitæ inſidiatorẽ, amoriſq; & voluptatis muutę perturbatorẽ. Qui, ſi tibi amor meus cordi eſt, quin eum nihil porro cunctatus expedite obtrũcas? Ad quæ verba adulter euaginato gladio pectus dormienti ita transfodit, vt ex dorſo ille longe promineret. Nec hoc contentus, pari crudelitate vtrumq; quoq; latus ipſi pertudit, & vel dũ mortuo illi inſuper punctus quatuor aut quinque illi ingeminauit: adeo, vt miſer iſte homo ſub ipſum profudiſſimũ ſomnum inſenſatus vitam ſuam poſuerit. Latrocinio patrato, cõuaſatis omnibus gemmis & adamantibus, quorũ pretium 40000. pardauos exceſſerat, poſtquã gladiũ defuncti manibus inſeruiſſent, vt à ſpectantib. *Fragoſo* vim illaturus, ob id iuſta vindicta oppreſſus crederetur, fuga ſeſe domo efferentes, bimeſtrẽ infantem ſecum abripuerunt: quem tamen in feſtinando tandẽ limini cuidam remotiori appoſitũ, præteriens manè turba ſuſtulit. Mariticidæ hi Goa ita elabẽtes, nec vlla magiſtratus indagine expiſcabiles, tandẽ in *Choul* ab aliis, à me vero ipſo in inſula *S. Helena* viſi ſunt, adeo adhuc inſolentes & iactabundi, vt & rẽ bene geſſiſſe ſibi viderẽtur, & de enormi hoc facinore ne cõpellari quidem metuerẽt. Hæc de Franciſ. Könnig ꝓlixius ideo cõmemorare lubido fuit, vt de Indicarũ mulierũ malo genio ex hac hiſtoria ignaris conſtaret. Præterquã enim quod hoc factũ præter omnem muliebris animi auſũ merito videatur: nullus iuxta annus effluit, quo nõ 20. aut 30. viri ab vxorib. ſuis veneno aut ferro tollantur, ob vnã hãc fere cauſam,

*Belluina impudentia Indicæ mulieris.*

*Dutroa herba ſoporifera.*

*Indicarum mulierum effrenis libido, & in viros malitia.*

vt posterum licentius ipsis scortari & voluptuari promptum sit. Nec quam vlsam aliam mortem suauiorem aut dulciorem esse citra omnem frontem & pudorem libere pronunciant, quam si ista in mediis plexibus, & voluptatum titillationibus ingruat. Sed & mariticidæ istius frater annos 14. vel 15. primùm natus, propter Sodomiam viuente adhuc patre & affine Francisco dicto, publico rogo crematus est: adeo mala mens, malus animus totius istius familiæ fuerat.

*Sodomita exuritur.*

Septemb.16.an.88.ex Lusitania Goam nauis S. Thomas applicans, de quibusdã aliis nauibus Portugallicis in Mozambique morantibus retulit: quæ pòst & ipsæ inibi inuectæ sunt. Nauium nomina erant, *Almirans S. Christophoro*, *S. Maria*, *S. Antonio*, *Nostra Sennora da Consepraо:* quæ simul nunciabant de obitu Archiepiscopi domini mei *Don Fray Vincente da Fonseca*, qui vt recensitum est, in itinere Lusitanico defunctus est, 4. August. anno 1587. Credidere plerique, contagium fuisse, quo is abreptus sit, aut certe Apostema abscessumque in corporis viscere quopiam desubitò ruptum. Illo ipso etenim die, quo exspirauit, horam ante mortem vnicam, per omnia prope adhuc sanus & alacer videbatur: & insperatò syncope tam subitanea inuadebatur, vt nec de condendo testamento cogitare posset: adeoque breui momento prius quam spiritum vltimum duceret, integram mensuram virulenti & fœtidi puris excernebat. Ipse vero Episcopus cum Episcopali habitu suo, pedo & annulis capsæ seu cistæ inditus, in mare deiectus est. Eum qui amauerant, hos rumor iste valde perculit, pacis scilicet & concordiæ studiosos. Contra quibus odio erat, quosque viuus de malefactis pro officio acriter obiurgauerat, hi de eius obitu lætabantur. Nobis autem eius ministris comprimis casus iste acerbus euenit, qui promotiones & commoda ab eo largissima expectabamus, quæ etiam nullo dubio à Rege nobis facile impetraturus fuisset, cum hac fere de causa potissimum iter illud suscepisset. Quæ tamen deinde morte eius immatura omnia euersa sunt. De me autem, vt quid priuatim dicam, nuncium hoc animum sensumque mihi omnem adeo obturbauit, vt quæ antea mihi charissima & iucundissima viuente ipso fuerant, ad omnia ista mire nauseare iam eo defuncto. Et quamuis mihi conditiones manendi illic tam honestæ & quæstuosæ à multis deferrentur, ex quarũ administratione & viuere, & in honore esse abunde possem: nihilo minus tamen ex hoc fastidio patriæ meæ amor in me tantopere exardescere cœpit reuisendæ, vt spretis omnibus iam in hoc vno proposito tenaciter hærerem. Sed & insuper fratris mei *Wilhelmi Zin*, qui ex India à me soluens Angliamq; obiens cum naui & omnib. Contentis submersus erat, annunciatum triste fatum, in hoc meo præsumpto penitus induratum me reddidit. Stante itaque hoc pacto mea sententia immota, commodum accidit, vt nauis quæpiam *Santa Crux* vocata Lusitano cuidam venderetur. Quæ quod satis solida & robusta, adeoque ad iter in Lusitaniam conficiendum peridonea videretur, cum hoc soluere peropportunum putabam. Rebus itaq; meis omnibus confectis & collectis commeatuque (sine quo nulli ex India discedere licet) à Vicerege impetrato, & insuper rationum mearum omnium absolute matriculæ redditarum testimonio honorifico mihi donato, cæterisq; pro more & consuetudine loci necessariis omnibus & singulis procuratis & proexpeditis, discessionis etiam venia & pace ab ordinariis pro rato exacta, postquam amicis, familiaribus, notisque omnibus supremum valedixissem, non leui plerorumque cum dolore & singultu 23. Nouemb. nauẽ dictam *S. Crus* ingressus sum, vt eam in Lusitaniam traijcerem. Littore ergo amoti, die eius mensis 28. in *Honor* peruenimus, quod Lusitanorum castellum vndiquaque bene munitum ad littora Malabar, & à Goa austrum versus 18. milliaria dissitum est. Ibi 6. Decembr. nauem pipere instruximus, & 6700. quintalia illi imposuimus, quod optimum & solidissimum ex omni illic in Malabar nato accepimus. Eodem itaque plene coneratæ

*Archiepiscopi Fonsecæ obitus qualis.*

*Mortuo Fõseca Lindtscotanus Indiã nauseare, & patriã sitire incipit.*

*VVilhelmus Zin post Angliã mergitur.*

*Lindtschot. ex India discedit. Honor castellum.*

oneratæ nauis die cum vela iterum faceremus, loco & re ita exigente, oram continenter legimus, ſpectaculo quidem lætiſſimo. Vniuerſum enim in Malabar littus aſpectu iucundiſſimum, longo tractu in nauigantium oculis tam propinque adſiſtit, vt omnes monticuli, iuga, colleſque, imo ſingulæ arbores diſtincte numerari queant: terra ipſa inſuper vidiſſima, plana & æquabili, rerumque petitatum fere omnium feraciſſima.

Decembri 11. in *Cananor* Luſitanorum propugnaculum appulimus: vbi nauem noſtram ſeſquialtero die anchoris defixam, malis aliquot recentibus, & prӕterea neceſſario cōmeatu renouauimus, quarum ibi rerum abundantia largiſſima eſt. Poſtea curſum redintegrantes, *& littus Calecut, Panane*, & alia plura legentes, 24. Decemb. in Cochinum inuecti, illic propter alias iam dudum ante nos appulſas naues, mercibus adhuc onerandas, adeoque ex lege & prioritatis contractu portum ante nos egreſſuras, vſque ad Ianuarij diem 20. ann. 89. ſubſiſtere coacti ſumus, neceſſaria interim & noſtræ naui accurantes. Non enim pro arbitrio cuilibet vel manere, vel ſoluere, aut nauibus pluribus ſimul vnà portum egredi licitum eſt. Verum, vt ex ordine & ſtatuto aliæ poſt alias onerantur, ita primæ prius poſtremæ poſterius ſoluere, aliæque alias ſequi ex pacto publico aſſolent. *Mos nauium ſoluentium.*

# Caput II.

## *De Lintſchotani ex India in Portugalliam nauigatione, & quæ in illa acciderint.*



RIMA Ianuarij die anni 89. nauis S. Maria, quod cæteris antiquior eſſet, è portu ſoluit; hac ex cauſa nonnihil maturius, vt occaſione commodiore vti poſſet. Quo enim maturius & citius Cochino ſoluitur, eo melior tempeſtas & ventus ad promontorium *de Boana Eſperanza* ſeſe offert. Et pariter, quo ſerius ibi impellitur, eo inclementior fortuna ſuſtinenda eſt: quod tum temporis Sol ab Auſtro ſeu meridie ad Septentrionalem ſe reclinat. Qua de cauſa plerunque ſolidiores & robuſtiores naues ad extremum tempus differuntur, quia procellis & violentis tempeſtatibus conſtantius reniti poſſunt. In inſula autem *S. Helenæ* ſeſe inuicem expectantes conueniunt omnes, vſque ad Maij 25. diem, nec ſerius, quod iſta à Rege dies extrema ita conſtituta eſt: quo ſe tum tempore & loco mouere vniuerſæ, vnoque quaſi in comitatu in Luſitaniam protendere ſolent. Nam ab India vſque ad S. Helenæ inſulam ipſis nullo comitatu opus eſt, quod à pyratis iſthæc interuallo nullum periculum ſit: adeo, vt & ad euitandam prope *Buona Eſperanza* periclitationem tormenta ſua inibi nauibus omnia recondant. Nauis noſtra *Sennora da Conſeprao*, Ianuarij die ſexto ex portu ſe extulit: quam 10. eiuſdem Almirans *S. Chriſtophorus*, 12. *S. Antonio*: 15. *S. Thomas*, quæ cæterarum omnium maxima & fortiſſima, pariterq; ditiſſima erat, inſecutæ ſunt. 20. Ianuarij has omnes, poſtrema noſtra excepit: in qua numeratis nautis, militibus & Sclauis, homines circiter 200. vehebantur. Ex India milites pauci emitti, nec ſine ViceRegis venia ſolent: qui tamen deinde in Portugallia Regi ſua officia deferunt, & de recompenſatione prӕteritorum meritorum ipſum ſalutant. Quam præſertim qui in India aliquamdiu fideliter meruerunt, & ſumptus in Portugalliā perueniendi ſufficientes habent, facile impetrant. Cæteri qui pauperiores ad hoc audendum nihil præſidij habent, nec ad traijciendum quicquam corradere

ſumptuum

sumptuum possunt, egestate ibi quasi defixi & religati, cum Indianis tandem & Aethiopicis mulieribus sese copulare coguntur, saltem, vt victum apud eas quotidianum habeant, quem tamen & ipsum difficilem tenuemque experiūtur. Minoris enim quam 200. aut 100. pardauis in Portugalliā nemo trauchi solet: quæ pecunia pro cibo potuque expendenda est: quam ob id summam militi aut alij cuipiam priuato pendere perdifficile accidit, nisi aut amici cognatique alicuius ope aut fauore nobilis capitaneique, alteriusve potentioris personæ suppetiis adiutus traijciatur. In hoc itinere Portugallico Rex liberum nihil largitur, nisi vecturam, milites & peregrinatores, & cistam seu arcam vacuam 4. spithamas altam latamque, & 7. longam, quæ istorum libertas est, qui Regi in Indiam triennio deseruierunt. Præter hanc cistam habent suo in conclaui, & aliam à vectigali pendendo immunem, quam in India mercatoribus vendere, si, vt plerunque solent, cupiant, ipsis permissum est. Loca hæc seu libertates plerunque 40. aut 50. pardauis veneunt, quas qui redimit aut conducit, nomine venditoris inscribi curat: vt postmodum priuilegio isto & libertate in suum commodum vti frui queat. Pari ratione nautæ quoque & officiarij in nauibus reliqui, qui inscripti sunt, iuxta cubicula sua aut conclauia quilibet cistam eiusdem quantitatis à vectigali dando asymbolam possidet: quæ postmodum tamen omnes & singulæ, vbi Vlysbonam delatæ sunt, in formicem Regiū, quem domum mercatoriam Indicam vocant, deponuntur: vbi visitatæ ex ordine, an vetitarum quid mercium, vt piper, Anyb, Indigo, &c. insit, examinantur. Quod si quid huius conditionis insit, tum regi accensetur. Sed & Ecclesiæ appertinentia bona ibidem æstimari solent: quæ si 100. Milrisas, id est, 200. floren. superāt, de reliquo vectigal pendendū est. Quod priorum tempore Regum fieri non solebat: vbi rectà à quolibet cista sua domini importata, saltem indicium nauis curatoribus fiebat. De qua innouatione etiamsi nautæ subinde ad Regem quiritentur, de restituendis tamen libertatibus dictis nihil hactenus ab eo consensum est. Hinc itaque fit, vt milites ex India paucissimi in Portugalliam remeare possint. Nam ex 1500. militibus, qui quotannis in Indiam transmittuntur, quouis anno vix 100. in Portugalliam remeant: etsi id sibi contingere posse optent modò nō omnes. Nec eò qui redeunt alio fere modo traijciunt, quam quod in comitatum aut ipsius Viceregis aut Capitanei nobilisve cuiusdam aut officiarij asciti & cooptati sunt. Hæc de numero nauigantium dicta sint. Iam ad nauem ipsam veniamus, quæ ita fere diuisa & disposita est.

*Sumptus ex India in Portugalliā redeuntium.*

*Libertates nautarum minutæ.*

*Cur ex India milites pauci remeant.*

Gubernator stationem suam in suprema puppis parte ad dextram habet, duabus tribusve cameris cōstantem. Quo loco ipse nunquam descendit, hoc interim vnum agens, vt pro temporis ratione nauitæ præstituat, quādo velum vel demittere vel attollere debeat, in cæteris suo saltem officio vacans, & expendens, quo cursus agendus, quæ dimensio Solis sit, cōsignans pariter & annotans, quid quotidie accidat, quam viam iam teneant, quo signo, quo vento, & qua tempestate cuiuslibet diei nauigatio exacta sit.

*Nauis & officiorum nauticorū partitio. Gubernatoris officium.*

Naucleri sedes & ipsa in superiore parte puppis post gubernatorem ad læuam est, numero æqualibus cameris cum gubernatore cōueniens. Illic loci cum argentea fistula stans, maioris mali vela curat & moderatur, nihilominus interim & de tota naui, & cæteris illi necessariis, vt de velis consuendis & sarciendis, sollicitus: qua opera simul, ne naui quid desit, & vt omnia recte fiant, prouidet, tormentaque casu poscente tum promi tum condi iubet. Qui si qua re vt linteis pro velis conficiendis, funibus & similibus quandoque opus habet, à Factore siue scriba postulatum facile impetrat, qui adsignata omnia pòst in rationes cogit.

*Naucleri.*

Nautarum primus locum in priore parte seu castello nauis tenet, cuius officium est, malum & vela priora minoraq; regere, cui & ipsi cum argentea fistula stanti cura est, malum dictum attendere, & anchoras deligari cōmode mandare.

*Nautæ primarij.*

Guardia

Guardianus propter malum maximum ad læuam extrorſum diuertit. Nam parte dextra antlia & focus coquendo neceſſarius poſita ſunt. Hic cameram vnam habet: & itidem argentea fiſtula inſtructus imperium in ſentinatores habet. Huius cura eſt, nauim ſentina exinaniri eluique, funes aſſeruari, ſcapham maiorem commode regi. *Guardiani.*

Conneſtablij ſeu armamentarij præfecti introrſum à malo ad gubernaculum in primo tabulato conſidentis officium eſt, aſſidue iuxta malum noctes dieſque ad nautam conuerti, vt, ſi iſte fiſtula ſignum det, tormentorum exploſores tormenta aut educere aut recondere iubeat. Sed & alia omnia ad hanc rem neceſſaria procurat. *Conneſtablij.*

Vicegubernator gubernatorem adiuuat, & abſentis locum tuetur. Sed & duo tresve peritiſſimorum nautarum è medio eliguntur, qui quieſcentis, aut dormientis gubernatoris ſedem tenentes, communi ſtudio neceſſitatibus proſpiciunt. *Vicegubernatoris.*

Nautæ cæteri in proræ caſtello, & circa illud prorſum vorſum conſident. *Nautæ vulgarium.*

Sclopetarij ſeu tormentarij poſt Conneſtablium infra eius tabulatum curam & operas nullas habent alias, quam vt tormenta ad imperata eius aut proferant, aut reducant. *Sclopetariorum.*

Burgeri, quicquid ab officiariis cæteris ipſis imperatur, confectum dare coguntur. Sed ad remos non obligantur, quod officium ſolorum nautarum eſt: vt contra ſi nec ſentinare ſolent, nec velum attollunt, quorum hoc militum Sclauorumque, illud ſentinatorum opus ordinarium eſt. *Burgerorũ.*

Tignarius, victor, calefactor, hi diſcreti ſuas quique operas curant, vt ſummatim dicam, ſuo officio quilibet ita præciſe vacat, vt nemo quiſquam acturus aliud ſibi non imperatum ſit, etiamſi iam iam peritura nauis videatur. Non imperatum ne attingunt quidem. *Cæterorũ.*

Nauarchus ſeu Centurio Galeriam ſiue pergulam & cubiculum poſterius occupat, ſolis militibus ad excubias nocturnas agendas imperat. *Capitanei.*

Gubernator, nauclerus, & nauta primarius valde ſe ſplendidos & ampullatos gerunt, à Sclauis & miniſtris eorum argenteis, malluuiis, poculis & pateris, quorum abundantia apud eos eſt ſingularis, prolatis & porrectis. Sed nautæ, & qui in naui ſunt cæteri, cum inopia plerumque conflictantur grauiſſima, quod cuilibet, vt diximus, de ſuo viuendum, commeatuſque quotidianus numerata pecunia redimendus eſt.

Hoc ergo modo inſtructi, auſtrum verſus ad lineam æquinoctialem 150. milliaria progreſſi ſumus, & inde porro gradibus ſeptem ad *Cabo de Boiona Eſperanca* declinauimus.

Hæc via ante nos à nemine nauigata erat: cum ex Cochino alias ad ſolſtitium hybernum per mediam *Maldinam* inſulam & alias innumeras, tumuloſq; arenarum iuxta inſulam *S. Lorenzo*, & porro ad promontorium curſum ſuum agerent. Viam hanc gubernator iſte aperuit, qui olim nauem *S. Iago* ſcopulis (vt diximus) illiſit, & paulo poſt etiã nauis *S. Thomas* gubernator conſtitutus, vt priorem maculam nouo inuento elueret, 200. aut 300. milliaria circumuectus, hunc curſum primus & tentauit, & tutorem inuentum adſeruit: quod nec vllæ inſulæ nec ſcopuli, nec arenarum tumuli ita obſtarent, aut nauibus periculum intentarent. Pòſt etiam Regis mandato publico hæc teneri via communiter cœpta eſt. Ianuarij 30. die ſub noctem lineam æquinoctialem tranſcendentes, poſtero die nauem quampiam in conſpectum datam habuimus, quam tum temporis *S. Thomas* dictam arbitrabamur. Eodem die puer quidam è nauis tabulis in mare elapſus eſt: quem vt ſcapha religata redimeremus, cum omnem diligentiam impenderemus: priuſquam tamen illam extricaremus, & plane ex- *Noua & tutior via in Portugalliam.* *Puer ſubmerſus.*

D pedire-

pediremus, iam puer vltra milliaria duo post nos relictus, ibi suffocatus est.

Februarij 3. die ad nauem dictam proxime accessimus, & quod intelligeremus, vere esse S. Thomas, quod antea saltem opinabamur, vt colloqueremur inuicem, propius ad eam impulimus. Naue autem nostra ab ipsis ex albis rudentibus ex Cayro Indico confectis agnita, cum reputarent secum, quod certo post ipsas interuallo primum ex Cochino soluissemus, dolerentque nauem suam, quæ nostra & velis instructior, & reliquo apparatu munitior fuerat, non longo nos interstitio anticipasse: ideo contemptu odioque nostri perciti sese à nobis euertentes colloquium detrectarunt. Quod & nostri videntes officiarij, nauem deflecti iusserunt: & sic ab vtraque parte deinceps certatim de altera longius anteuertenda laboratum est. Sed fastum hunc breui tempore non sperato quidem, sed luctuoso tamen interitu illi expiarunt. Nam cum hoc vnum agerent, vt velis incitatissimis promontorium ante nos exuperarent, accidit, vt ad ipsum promontorium aduersa tempestate desubito coorta, velis contractis nihilominus tamen contra fluctus quoquo modo pugnarent, saltem vt citius traiecti promontorij gloriam tenerent. Nostra vero nauis iisdem procellis acta, cum ad tam violentum impetum sustinendum longe infirmior esset, saniore consilio à nobis ventis credi, interdumque longo spatio retroagi, quam tempestati frementi reluctari maluit. Illa autem altera iam diu absque velis fluctuans, suoque robori & firmitati vnicè fisa, violenter turbini contrapugnans, tandem & maris impetu & ponderis grauitate impulsa, fracta & contrita, adeoque maris aluo absorpta est, mersis vnà vniuersis & hominibus & diuitiis, vt postmodum nos ipsi ad promontorium ex arcis, vasculis, tabulis, malorum fragmentis, cadaueribus naturalibus, cæterisque tristissimi aspectus signis intelleximus, & præter id post in S. Helenæ insula à cæteris nautis secutis confirmatum accepimus. Fuit hæc omnium opulentissima nauis, qualis permultis annis in Oceano Indico non visa est. Quæ, quod & magni nominis esset, & adhuc solidissima fortissimaque, plerique omnes ista & se, & sua bona vehi, quasi certatim contenderant. Hac ipsa naui vehebatur quoque *Don Paulo de Lyma pereira*, qui *Malaccam* nuper obsidione liberauerat, & vltra 30. annos Regi in India fideliter meruerat, victoriasque quam plurimas numerauerat: quarum cum iam recompensationem à Rege quæreret, misere hoc fato suo frustratus occubuit. Ex India is secum pecuniæ, gemmarum, cæterarumque diuitiarum immensam vim, vt & dilectissimam suam coniugem cum liberis, fratre, & aliis nobilibus ministrisque auexerat quamplurimis. Sed & nobili stemmate prognati inibi 10. vel 12. mulieres fuerant, suos viros partim secum, partim in Lusitania relictos habentes. Et vt compendio dicam, nauis hominum selectissimo numero prægnans erat: quos omnes vna hora tam miserabili fato occumbere, plus quam dolendum merito erat. Sed etiam nobis 5. Martij ad 25. gradus eleuatis & euectis, ventus ab oriente ingenti turbine & nimbo obortus, gubernaculi firmamentum, cum omnibus adnexis violento impetu perfregit, ita vt procellarum insultibus nauem vndiquaque tentantibus & infestantibus, vix vllus in naui locus aridus superesset, nosque integrum biduum ista tempestate vnius fortunæ arbitrio circumageremur. Nocte vero nouissima ex mali maioris corbe, vt & aliis nauis locis signum illud nobis dispiciebatur, quod *Corpo Santo* Lusitani, Hispani *S. Elmo* vocitant. Græci, ceu Ouidius meminit, olim *Hellen* & *Phryxum* appellauerunt. Quo viso plerisque persuasum est, tempestatem tranquilliorem sponderi, & denunciari. Eodem primum notato, fistula inflata nauta primarius illico signum dat, & illud cum veneratione, & *Salue corpe santo & misericordia* pene accenta magno clamore salutari iubet. Nostri itaque instantis turbinis violentia prope enecti,

*Nauis S. Thom. pessum it.*

*Don Paulo cũ nobilib. multis, & viris et fœminis suffocatur.*

*Nauis S. Crux fortuna.*

*Helle & Phryxus duo astra felicia.*

enecti, eo spectaculo nūc iterum animati & refecti, iam omnem periculi metum cordibus exegerant. Nec spes vana erat. Nam 7. Martij è vestigio tempestas optatior se offerens, dubios adhuc plenius confirmauerat. Sed de gubernaculo resarciendo, deficientibusque cæteris reponendis, variæ distractæque opiniones nauigantium oboriebantur. Plerique in Mozambiquen excurrendum, clauumq; funibus interea firmatum regendum esse senserant. Alij cōtrarium asserebant, consultius rati, vt in ipso mari clauo refecto iter institutum rectà continuaretur. Quorum sententia inualescente, cum costis è naue quibusdam auulsis, hoc modo assutis illis nihil profici videremus, aliam rationem meditantes, incudem ex tormenti paxillo fabricauimus, carbonesque ex exustis lignis colligentes, follem ex consutis duobus taurorum coriis fabricauimus. Hoc instructu ad opus accedentes remos, qua poteramus diligentia, resarciebamus, clauique receptaculo recenti ferreo vinculo firmato & coacto, euentum reliquum in Dei manus collocauimus. Isto itaque opere conficiendo postquam biduum elapsum esset, vela nostra de nouo pandentes, largasque eleemosynas & missas diuersorum diuorum vouentes, fortunam nouam tentauimus. *Subitaneū artificium.*

Postero die Solis altitudinem dimetientes, gradus $28\frac{2}{3}$. ad eleuationem *Terræ de Natal* inueniebamus, licet iam 400. milliaria à littore in mari alto abessemus: vento tamen vsi non incommodo. In confinio regionis *de Natal*, quæ ad gradum 32. vsque extenditur, transitus laboriosissimus & periculosissimus iuxta promontorium *de Buona Esperanca* est, qualis in tota nauigatione non occurrit: adeo, vt plus interdum periculi à regione ista *de Natal*, quam à promontorio ipso metuat, quod eo plerunque loco tempestas horrenda excitata, multas naues absumpserit, sicut annales Lusitanici abunde huius rei fidem faciunt, & nos quoque illic ibidem vestigia adhuc seu documenta quædam submersæ nauis S. Thomas offendimus. Hâc ergo transituri, non sine metu, cura & prudentia id aggrediuntur. Excubiæ aguntur perpetuæ, rudentes omnes farciuntur, & solidantur: tormenta in imum nauis demittuntur: cistæ, ollæ, dolia, & cætera inania, locum in nauis ventre non habentia, inde in mare exturbantur: reliqua etiam omnia optimo ordine & loco conueniente disponuntur. Vt enim hac quidem hora serena & commoda tempestas sit: in momento tamen procellæ insurgunt tam vastæ & præcipites, vt cœlum cum terra commisceri haud inepte iudicari queat. Tempestas ea per clarum & serenum aerem nubeculam quandam ad formam pugni inuehit, vnde à Lusitanis etiam *Olho de Boy*, id est, oculus bouinus appellari solet. Quæ etsi sine vento omnique velorum aut malorum allisione propinquet: nihilominus tamen ad eam vix obscure adhuc obseruatam, incredibili celeritate & industria vela derepente decutienda sunt. Prius enim quam speres, aut metuas, nubecula ista supra nauim conuoluta tanto cum fragore & sonitu perstrepit, vt nullo dubio nauem in profundissimum mare abruptura sit, nisi diligentia attentissima caueatur: Sicut primò inueniendæ aut indagandæ Indiæ nauigatione altera accidit. Cum enim decem, aut duodecim naues optatissimo & ad opinionem innocentissimo vento impellerentur, & ob id demissis pansisque velis securi, oscitantesque proueherentur, irrumpens & ingruens ista nubecula, cautione omni celerius, vniuersas naues tanta illico violentia corripuit, vt illarum septem funditus mergerentur, reliquæ vix cum labore & miseria inenarrabili eriperentur. Quo exemplo posteri deinde moniti, loco isto cautius didicerunt vti: etsi ne sic quidem vsquequaque se tutos præstare possint. Repentinæ istæ procellæ in vniuersa illa regione *de Natal*, furere assolent: vsq; dum promontorium *de Buona Esperanza* exuperatum sit. *Terra Natal transitu periculosissima.* *Olho de Boy tempestas perniciosissima.* *Apud Olho de Boy 7. naues sorpta.*

Martij 12. die altitudinem 31. graduum tenentes, primo ventum placidum, deinde plane tranquillum habebamus. Ideo velis elatis integrum quatriduum mare ſulcabamus, quod Luſitani *payrar* appellare ſolent. Quo exacto, nouis procellis nauis noſtra tentabatur vſque ad 17. diem dicti menſis, cum iterum vento ingruente æquiore vela pandebamus. Sed eodem non diu durante, dubia nauigatione vſque ad 20. diem vſi ſumus: quo tempore ingens copia volucrum, *Antenales* Luſitanica voce dictarum ſeſe nobis in conſpectum dedit: quæ anatis magnitudinem fere referebant. A 20. die vſque ad 22. cum vento ambiguo & non admodum conſtanti vteremur: tandem periculoſiſſima tempeſtate coacti, nauem multis partibus fractam, nonnullis rebus eiectis alleuiauimus, retro à promontorio longo interuallo reiecti, vento tamen ad 25. eiuſdem meliore ſecuto, velis ad promontorium iterum contendimus.

*Aues Antenales.*

Circa hoc tempus inter nos in naui morbus quidam graſſabatur, ora, labia, linguam & guttur occupans, quibus in tumorem elatis, cutis dein iſtarū partium diſtringebatur, vt nō niſi cum cruciatu & dolore immaniſſimo eſitare poſſemus. Obnoxij huic morbo eramus fere, quotquot in naui fueramus.

*Vlcera oris.*

Aprilis octaui bono mane, cum 15. dies poſtico vento vela feciſſemus, ſigna quædam notabamus eius terræ, quæ aquam viridem ferebat. Sed etſi fundum nullum attingere poſſemus, pilotorum tamen ſeu nautarum iudicio vltra 40. milliaria inde non aberramus, vbi auium quoque iſtarum aliquæ volitabant, quas *Mangas de Velludo* nuncupant, quod ad fines alarum maculas nigras, holoſericum referentes præferebant. Ipſæ autem de cætero vel albæ, vel cineritiæ ſunt, à pleriſque certæ habitæ indices promontorij interioris, nempe *Baia de Lagoa*, quod à littore Mozambiquen verſus ſe extendente $33\frac{1}{2}$. gradibus abeſt.

*Mangas de Velludo, aues.*

Nono Aprili ſub noctem iterum aduerſo vento cum turbine ſæuo impetiti ſumus, qui ad 14. vſque continuans nauim noſtram longiſſime diſiecit. Nec minus interim procellæ à tergo æſtuantes aliquoties vniuerſam nauem obtexerant: ita vt diu noctuque nauteæ exigendæ dediti eſſe cogeremur. Variis itaque miſeriis infinitiſque laboribus exerciti, cum nec ad cibum aut ſomnum capiendum ſpatij vel tantillum daretur, nec ad madidas veſtes ponendas innouandaſque cuiquam otium eſſet: tandem hoc modo pro ſummis viribus quolibet adnitente, & operas in commune commodum conferente, accidit, vt claui retinaculo violenta effractione dirupto, tres è proximis tabulato illiſos, propè comminuerit. Inſtante itaque vſque ad 14. eiuſdem menſis diem hac tempeſtate, nec vlla ſpe meliore allucescente, conuocatis & coactis officiariis deliberatum eſt, porro quid agendum eſſet. Nec enim ad obtinendum promontorium ſatis robuſta nauis videbatur: & ad reædificanda, quæ confracta & comminuta fuerant, nulla occaſio, nullus apparatus ſciebatur. Communi itaque ſuffragio, & proteſtatione ab omnibus ſubſcripta decreuerunt, in Mozambiquen reuertendum omnino eſſe: vt & hyemis ibi incommoditates moderarentur, & nauem laceram reſarcirent, neceſſariiſque omnibus inſtruerent. Decretum vero hoc etſi pro omnibus facere, non temere videretur: populo tamen cætero mœrorem incuſſit non modicum. Sciuerant enim ad repetendam Mozambiquen nō minus periculi eſſe, quam ad promontoriū ipſum tranſiliendum: cum in reditu verſus Mozambiquen releganda terra *de Natal* ſit, cuius exuperatio tot ipſis ærumnas peperiſſet. Sed & ſi proſpero vēto Mozambiquen redadiiſſent, de toto inſtituto ſuo tamen omnino actum eſſe præſenſerant: quod ibi ad futurum vſque annum expectandum ſibi, & quæ ex tot periculis reliqua haberent, omnia conſumenda & impendenda ſint. His itaque de cauſis variis varia cogitantibus Nauarchum cum officiariis reliquis pleriq; diris execrabantur. Sed & Nauarcho cum

cum Nauta de non curatis necessariis volitatio non leuis erat: qua tamen profectum nihil aliud est, quam rebus ita stantibus proram retro flectendam, & iter tritum remeandum esse. Sic ergo in Mozambiquen cum magna plerorumque desperatione recurri occeptum est, nullo quoque ad vllum opus agendum prōpto, sed officiariis fere omnib. contrariis. Aliquousque progressi, in transitu dolia, asseres, & cadauera quamplurima in mari fluctuantia animaduertētes, rati sumus nauem quampiam aliam, eodem infortunio nobiscum multatam, nos in proximo Mozambiquen antegredi, quæ ad nauis onus alleuiandum isthæc talia eiecisset. Nos itaq; ipsis malorū sociis nonnihil solati, post tamen accuratius pensitantes obseruauimus, signa ea submersæ nauis *S. Thomæ* esse, vt plenius post in insula S. Helenæ nobis à cæteris confirmatum est. An. 15. die eiusdem mensis vsq; ad 17. iterum summa tranquillitate vsi, altitudinem solis 37. graduum inuenimus, quæ res admirationi omnibus erat, nostram nauem continuis prioribus turbinibus impulsam, longius non progressam eo. Quæ tamen quod à reuersionis loco tam breui spacio abiisset, pleriq; ominabantur velle Deum singulari cōsilio nos à Mozambique abstinere, & ad promontorium relegendū quasi reuocare. Eodem die iterum aquas virides, & aues Mangas de Velludo dictas, in conspectum datas habuimus, quæ certo promontorij Bonæ Spei indicio sunt. Ex quo ad transmittendum promontorium nobis animus certior redire iam cœperat. Ad vesperam prope Capo naui nostræ hirundo quæpiam imminebat, quæ huc illuc volitando & circumuertendo, omnibus in naui nouo gaudio fuit. Ex isto enim volatu augurabantur illam esse nunciam à virgine Maria missam in solatium nostrum, & attestationem, quod promontoriū certo exuperaturi simus. Consiliū ergo de nouo mutantes denuo decreuerunt: vt, cum tot auguria bona sese nobis offerant, nauim replicantes ad transmittendum promontorium nos vice secunda accommodaremus. Qua sententia ob id apud omnes rata, Litania & hymno Ora pro nobis decantatis, multisque Eleemosynis & religionis causa suscipiendis peregrinationibus præuotis, vniuersi ad opus nunc suum animosissime redaccingebantur, mutuoq; paciscebantur, velle se lubentius vitam ipsam in promontorio traiiciendo ponere, quam in Mozambiquen reuerti. Itaque 18. dicti mensis die cum nauem reflexissemus, paulo post iterum aduerso vento ingenti impetu & fragore, quo toto cursu ante incitatiorem nullum habueramus, ingruente, iam nos vniuersos perditos & deploratos credidimus: ideo comprimis, quod crebræ procellæ altissime insurgentes nauem nostram subinde totam obtegerent. Ad nauem ergo nonnihil alleuiandam, multa Cinnamomi pondera, cum cistis doliisque & mercibus aliis quamplurimis, exonerare & in pontum excutere coacti sumus. Et vt paucis dicam, rebus omnibus plane in extremo ita positis, cum iam omnes sacrifico sua peccata confessi, multoque sibi inuicem patratorum veniam deprecati essent, mortem hiante animo iam omnes expectabamus. Fortuna ista vltra horas 24. cum durasset: tandem precib. nostris clemens Deus motus, tranquillius mare nobis præstitit.

*Nauis S. crux miris agitata procellis, in Mozambiquē retendit.*

*Hirundo iuxta Capo apparens boni ominis, institutum iterum mutat nostrum.*

Die 20. Solis altitudinē metientes, gradus 36. notauimus, & virides aquas iterum, volucresq; nonnullas *Alcatrases* dictas, & lupos quosdā marinos vidimus: quæ certa Bonæ Spei promontorij signa esse solent. Aprili 22. cum perpetuas virides aquas teneremus, plumbo eiecto nihilominus tamen fundum nullum reperimus, quod bonum signum promontorij, quod *Cabo das Agulhas* vocant, iam superati & à tergo relicti esse solet. Promontorium hoc altitudinis est graduum $35\frac{1}{2}$, & à Bonæ Spei promontorio 24. milliaribus distat. His traiecti *Agulhas* signis & documentis nobis sufficientibus, hoc etiam pro additamento accessit, quod procellæ quoq; paulatim residerent, & ventus multo lenior placidiorque spiraret: adeo vt ex inferno quasi ad paradysum reducti nobis videremur.

*Volucres Alcatrases & Lupimarini bona signa.*

Aprili 23. promontorium Bonæ Spei cum solemni & publico gaudio præternauigauimus, cum à primo ex Cochino egressu menses tres totidemque dies ineffabilib. ærumnis exegessimus, interea temporis nec terram vllam nec littus (exceptis quibusdam promontorij signis) conspicati. Transmisso itaq; promontorio tum è vestigio secundus à tergo ventus sese nobis obtulit, vt iam pro voto nostro vela ad præstitutam metam properarent.

April. 24. gubernator ex more antiquo ad promontorium Bonæ spei Salutem à nauigantibus clamari mandabat: quod illico etiam clara omnium eorum voce fiebat. Hoc enim loco & tempore iam itineris in Portugalliam securi, certo sciunt, à ventis se in Indiam retropelli non solere: cũ ante transmissum promontorium omnia adhuc alias dubia sint. Vere autem traiecti promontorij, certissima nobis signa erant, congeries primo quæpiam late ex arundine & alga extensa, quæ inibi 15 aut 20. à Continente milliarib. magno numero fluctuare solent. Deinde & apparentia quarundam volucrum, *Feysonis* Lusitanis dictarum, quæ hirundinis magnitudinem nonnihil excedentes in colore candido quamplurimis per vniuersum corpus nigris maculis interstinguuntur, quibus ab auibus cæteris internosci perfacile queunt. Quæ dicta signa, à nautis semper certissima, nec vnquam fallacia deprehẽsa sunt promontorij iam à tergo relicti. Quo facto, S. Helenæ insulam tum recta impellunt. Eiusdem mensis 27. die aduerso vento vsque ad diẽ sequentem vsi sumus quo sese iterũ tranquillitas nobis obtulit, cũ à latere Lusitanico gradibus 30. adhuc abessemus. An. 29. Martij die secundo vento aliquot diebus vecti, 12. Maij mane aurora promicante insula S. Helenæ nobis in conspectum data est, qua visa exultatio publica apud omnes excitata est. Cuius cum angulum non omnino nullo cum periculo circumnauigassemus, tandem tamẽ cum felici successu nauem nostram in solitam stationẽ adegimus, eo loco, qui intra altissimos duos montes intersitus est: vbi ædicula S. Helenæ sacra posita est. Vbi cum anchoras fixissemus, naues ibi quinq; ostendimus, vnam, quæ ex Malacca soluerat: alteram S. Maria, quæ dies 15. ibidem ante nos inuecta priori ad promontorium Bonæ Spei sese adiunxerat: tertiam *S. Antonio*, quartã *S. Christophoro*, quæ binæ iam dies 10. ibidem steterãt: quintam *Conceptionem*, quæ ibi diem vnum ante nos appulit. Sola nauis *S. Thomas* desiderabatur, quam submersam & superius diximus, & hic plenius edocti sumus.

*Signa certiora transmissi promõtorij. Algetum. Volucres Feysonis.*

*Insula S. Helenæ prærupta.*

Sed & Almirans nostra interitus periculo non omnino vacauit. Etsi enim noua adhuc & solidissima vix iam prima vice egressa esset: nihilominus tamen cariosa facta, iam aquam 20. licharum altitudine imbiberat: ita, vt ad promontorium dimidiam bonorum partem in mare exturbari, nauteamque, diurna nocturnaque indefinenti opera exigi oporteret. Quæ etiã in ipso ad S. Helenam impulsu procul dubio interiisset, nisi reliquarum nauiũ suppetias impetrasset. Qui cæteris nauibus vecti erant, ipsi hi quoq; ex ordine suas miserias & exantlatos labores singulatim percensere poterant: ita vt nulla nauis non aliquo graui casu concussa eo applicuerit. Quin etiam ante tres menses iterum ex hac insula soluerat nauis illa, quæ priore anno Ormo excesserat onerata relictis bonis & hominibus in naui *S. Saluador*, quæ à classe Lusitanica ad littus *Abex* seruata, in Ormum insulam perlata erat, vt superius cõmemorauimus. Hæc in Mozambique hyberna agens, præmature dein promontorium prætergressa sola in Lusitaniam contẽderat. Quæ cum ægrotos quosdã in insula S. Helenæ (vt moris est) reliquisset: tum nos postea ex ipsis, nauibus nostris auectis intelleximus, ante menses quatuor in S. Helenæ insulam nauem quandam Anglicam per angustias maris Magallanici iuxta insulas *Philippinas* per *Sunda* (qui isthmus maris ex aduerso Malaccæ est:) intra medias insulas *Sumatram & Iauam* vectam impulisse, & in locorũ istorum transitu ex China nauem (*Iunckos* vocant) auro argentoque & serico copiosissimo

*Anglica nauis per Magellanicum mare insulam S. Helenæ adiit.*

piosissimo onerasse: cuius præfectus Episcopo *Malaccensi* cum literis honorarium seu præsentiam, non admodũ pretij magni miserit, cum declaratione, fieri illud saltem in amicitiæ conciliamentum, quod speret eum prope diem ipsum se conuenturum esse. Ex naui dicta *Iuncko* Lusitanicum gubernatorem adhibens, promontorio Bonæ Spei exuperato ita in S. Helenæ insulam delatus est: vbi naui necessariis omnib. refecta, ædiculam S. Helenæ ipsam cum altaribus & crucibus diruit & deiecit, in eorumq; loco lebetē & gladium reliquit: quæ Lusitani à nostro aduentu inuenerunt, de facti causa tamen valde ambigui. Quidam interpretabantur, illa sub secuturis nauibus sociis signi loco ita facta aut posita fuisse. *Capitanei eius facinus.*

In naui dicta, ex *Malacca* egressa *Factor* piperi curando præstitutus fuerat *Gerhardus de Asshuysen*, Antvverpius ortu, sed habitans tum Vlysbonæ: qui cum eadem naui Vlysbona iam ante biennium soluerat. In Malacca enim propter tumultus bellicos & vrbis obsidionem 14. menses integros desidere coacta fuerat, vsque dum à Don Paulo *de Lyma Pereira* obsidione soluta (vt ex superioribus constat) commeatus tutus redditus esset. Qua mora non saltem intolerabilia impendia fecerunt: verum etiam propter obsidionis diuturnitatem, & cæteras infinitas ferendas miserias eo redacti sunt, vt ex 200. hominibus, qui naui illa in Malaccam venerunt primum, vix 18. aut 20. relinquerentur, cæteris omnibus fame, egestate & ærumnis quam plurimis confectis & mortuis: vt in Malacca nouos imperitosque nautas, naui in Portugalliam rediture conducere opus fuerit. *Gerhardum* hunc olim in Portugallia ante meum in Indiam discessum, mihi familiariter notum in hac insula nihil minus sperans, tunc cum magno gaudio offendi, & de rebus quamplurimis occasione colloquij contuli. Sed ad insularum S. Helenæ & Ascensionis vlteriorem præfigurationem descendamus.

# Caput III.

## *Breuis sed accurata Insulæ S. Helenæ descriptio.*



INSVLA S. Helena sic dicta est, quod à Lusitanis ipso Helenæ die, qui in 21. Maij incidit, reperta est: in circuitu sex milliaria ampla aut diffusa. Ad gradus 16¼ versus austrum Aequinoctialis sita est. 550. milliaria Hispanica à promontorio Bonæ Spei, & à littore *de Angola* siue Athiopico 350. mill. ab America vero siue Brasilia 510. mill. distans: quæ duæ regiones illi pro cæteris propinquæ sunt. Terra ipsa valde elata & montosa, nubibus plerunque obtecta est: alias valde cinerea & arida, velut & ipsę arbores, ligna, syluæ ibi enatæ indicant, quarum vsus nullus alius, quã ad ignem fouendum est, cum nec succo nec medulla turgeant: vt non inepte videri cuiquam possit, olim montes inibi vulcanios seu igniuomos fuisse, sicut insulæ alias reperiuntur tales haud raræ. Ex plurimis locis sulphur quoque eruitur. Quam insulam cum Lusitani primum adirent, aut occuparent, nihil quicquam vel animalium vel fructuum ibi offenderunt. Sed aquæ tamen dulcis abundantia ibi permagna est, quæ pura & optima est mentibus scaturiens, vallesq; vbi fanum S. Helenæ stat, perluens, tandem multis riuulis à mari imbibitur. Hoc loco Lusitani vasa sua complent, vestesq; sordidas extergent: ita vt hæc aqua ingenti & commodo & voluptati appellentibus sit. *Insula S. Helena.*

Lusitani deinde successu temporis in illam omnis generis animalia importantes, valles quoque variis arboribus & fructibus cõseuerunt: quæ omnia breui post

*Lusitani insulam & animalibus & fructib. variis auxerunt.*

post tempore miro modo & numero increuerunt & aucta sunt: vt hodierno die Capreolorum ceruorum, aprorum, perdicum, phasianorum, columbarũ multæ ibidem myriades inueniantur, & ad transeuntium necessitatem quotidie magno numero capiantur ferianturque. Sed & ficuum, granatorum, aurantiorum, limoniorum & fructuum similium abundantia tam fœta est, vt omnia conualia illorum pulchritudine instar paradysi cuiusdã exornata & illustrata sint. Quos

*Fructus.*

fructus terra fœcunda toto anno præbet & protrudit, in dies nimirum quinque vel sex deciduis imbribus irrigari, & à sole mox iterum illustrari solita. Pisces etiam ad ipsum littus tanta copia vncis & hamulis captari solent, vt præternauigãtes omnes illis abunde victitare suasq; naues iis exiccatis pro necessitate onerare possint. Pisces ipsi vt quidem sunt varij generis: sic tamen grati vsquequaque, saporis omnes sunt, vt delicatiores gustasse me vllo tempore non meminerim. Et

*Pisces copiosissimi.*

ne quid huic loco Dei largitate deesset, Sal quoque à petris, quæ ad littus maris desidunt, copia tanta deraditur, vt ad vsum præsentem abunde sufficiat. Et vt vno verbo dicam, Indicis nauibus traiecturis locus iste tam opportunus & commodus est, vt sine eo vix cuiquam naui institutum iter feliciter conficere futurum facile sit. Ita Dei mira prouidentia & bonitate necessitatibus humanis clementer inibi prospectum est. Quod si quandoque naues aliquæ ab hac insula aberrauerunt, infinitis postea tot ærumnis & miseriis exerciti sunt, vt ad littus *Guineæ* tandem appellere, imbremq; ad potum colligere coacti fuerint: qui tamẽ postea semiuiui & marcidi vix in Portugalliam deuenerunt. Qui in hac insula ægroti relinquuntur, his parum commeatus vt oryza, Biscocta, oleum, & nonnihil aromatum saltem sufficitur: cum piscium & carnis necessitatem reliquam terra fertilissima illis abunde suppeditet. Nam, vt diximus, pisces hamo, feræ manu illic ingenti numero & tamen nullo labore, capi assolent. Temperies ibi aeris tam commoda & optata est, vt ægri plerique breui tempore sanescant, rarissimi moriantur. A quoquam hominum hanc insulam inhabitari, regis interdicto vetitum est: vt nimirum eius commoditas nulli priuata sit, sed communis omnibus.

*Sal.*

*Inæstimabilis insulæ commoditas.*

*à Nullo homine habitata.*

In hanc olim Eremita se quispiam demittens, sub specie deuotionis, & seruandæ ædiculæ, prætextu aliquot annis ibidem moratus est. Quo tempore tot capreas ceruasq; confecit, vt quotannis vltra 500. vel 600. Coria venderet. Qua re ad regem denunciata, ille ob id in Portugalliam abductus est. Sed & aliquando ex naui quadam duo *Caffres* seu Aethiopes ex Mozambique, Iauanusque vnus cum duabus Sclauis profugi, ad saluandos sese in montes altissimos & inaccessos se reconderant. Quorum deni ex cõgressu liberi tot procreati sunt, vt numerarentur viginti. Qui postea vniuersam insulam permeantes, loco isti incommodi dedêre quamplurimum. Nauibus vero fors aliquibus ibidem appellẽtibus, illi sese ad sua diuerticula, montibus & scopulis intrusa & innexa, receperunt, quo Lusitanorum nemo eos insectari poterat, vbi, dum naues inde iterum soluerent, latebant, & sui nullum indicium præbebant. Re tamen deinde casu quodam cognita, ad illos capiendos prehendendosque valde laboratum est: quamuis frustra: cum latebris abstrusis se occulentes à nemine peruestigari possent. Tandem tamen, ne illi & numero increscerent, & indies damno incommodoque dando molestiores fierent, ad Regis serium mandatum diligentissime obseruati & prehensi, in Portugalliam abducti sunt: vt ab eo tempore præter ægrotos locus iste nulli habitatus & cultus sit.

*Nauigantes vt se in insula S. Helenæ gerant.*

In hanc insulam qui appellunt, cum in Continentem egrediuntur, quilibet sub arbore sibi placita stationem eligit, & ibidem tentorium suum erigit. Feris & piscibus captandis, legendisque sale & fructibus, quorum ingens inibi copia, victitant. Interea vero & linteamina sua lauando & insolando emundant. Sed & rebus sacris vacant, sacram Synaxin celebrantes, & indies Missas cum

magna

magna deuotione, processione & hymnis agentes in honorem & laudem Dei, qui ad promontorium Bonæ Spei eos clementer seruarit & ad hanc insulā feliciter deuexerit. sed in futuram sui memoriam quilibet etiam nomen suum corticibus arborum & ramorum incidit insculpitque: adeo vt nos istiusmodi characteres ab 1510. 1515. & sic consequentibus annis insculptos quamplurimos inuenerimus. Sed de situ & conditione S. Helenæ hæc sufficiant.

Maij 21. & ipso S. Helenæ die, plene refectis nobis & naui à rebus necessariis omnibus instructa, ex insula iterum soluere visum est. Ibidem itaque relictis ægris 15. & mancipiis quibusdam seu sclauis ex naui nostra profugis, vna societate nauem ingressi, vela in Portugalliam dedimus. Maij 26. cum naui S. Maria ad vesperam collocuti sumus: vt & postero die cum triremi ex Malacca egressa: & tandem cum Almitante, quæ in insulam *Ascensionis* recta consequi nos iubebat.

Eodem die, Sclauorum nostrorum vnus de naui in mare excidit. Ad quem redimendum etsi nulli parceremus operi, quia tamen postico vento vehebamur, propterea à nobis nihil effectum est. *Vesperi* eius diei insula *Ascensionis* nobis in conspectum data est. Quam ne velis incitatioribus præteruceheremur, illa præstringentes, remis impulsis vsi sumus. Posteri diei, 28. Maij scilicet, summo mane insulam circumcirca sulcauimus, an fundus anchoris iactandis satis altus esset tentantes. Almirans enim nauis iam vniuersa tot dissolutionibus hiscebat, vt de mersione metuendum omnibus esset. *Insula Ascensionis apparentia.*

Multi etiam apud officiarios institerant, rogitantes, vt bonorum quædam pars in insulam Ascensionis exponeretur, & nauis semiuacua in Portugalliam mitteretur: qua refecta & consolidata, postea quæ ibi iam relinquerentur onera, promptius & tutius in Portugalliā tum inueherentur. Sed quod ista petitio difficultatis habere plurimum officiariis videretur: ad eam diluendam & temperandam variis artibus excogitatis, statuerunt, euentum qualemcunque experiri, & extrema in Dei seruatoris manum reponere. Qua in sententia perdurantes, & tum à nostra, tum aliis nauibus auxilium suppetiasque sibi præstinantes, tandem tamen non sine immenso labore & difficultate certissima scopum seu metam optatam nobiscum impetrauerunt.

# Caput IV.

## *De insula Ascensione, & eius situ naturaque.*



EPERTA hæc est olim insula ipso Ascensionis die, vnde & nomen obtinuit. Ad aspectum primum nonnihil S. Helena maior & diffusior apparet, & ad austrū ab Aequinoctiali 8 ½ gradibus abest: à S. vero Helena 190. milliaria distat. In tota insula aquā dulcem inuenire nullam est, vt nec virentem vllam frondem, aut ramulum. Regio valde montosa est, terram rubidam promens, (Hispanice Almagro dictam) scopulis saxisque quamplurimis conferta. Littora arena alba promicantia magna Piscium copia connatantur, qua vna fere opulentia insula S. Helenæ exuperat. Cæteroquin terra animalium aliorum valde sterilis est: nisi quod propter inexhaustam piscium multitudinem aues quædam infinito grege ibi visuntur degere, quæ anserem minorem magnitudine exæquant, & turmatim ad millenas vsque cum magno & lato clamore circa malos nauium conuolitant, hominum conspectum adeo non pauentes, vt etiam in- *Insula Ascensionis situs & conditio.*

E trepide

trepide nostris bracchiis, humerisque insiderent. Quarum quoque haud paucas captas iugulauimus, sed propter pisculantem saporem esitationi ineptas mox iterum abiecimus.

*Pisces volantes.* Circa hanc, vt & priorem S. Helenæ insulam, adeoque ad æquinoctialem vsque lineam pisces volantes visuntur quamplurimi, magnitudine halecis, quæ turmatim ad duosve tresve cubitos extra aquam eleuati quartam circiter vnius milliaris partem prouolant: quo exacto spatio quod ipsis squamæ & alæ resiccantur, mari rursus aliquantulum se mergentes, madidi iterum extolluntur & hoc ingenio omnem suum volatum conficiunt. Alternationis huius hæc causa & finis est, à consectantium & ipsis insidiantium grandiorum piscium voratu vt se eximant & tutos præstent. Quæ ipsæ tamen interdum altius iusto se prouehentes, resiccatis alis nauibus illisæ ibi decidunt, & à nauigantibus prehenduntur. Ex hac insula plerique nauigantium cursum suum ad crepidinem seu promontorium *Penedo de S. Pedro* dictum, flectunt: quod ab Ascensione 300. milliaria distat.

Iunij die quinto, lineam æquinoctialem denuo transgressis Polus Arcticus iterum in conspectum datus, vt contra oculis præreptus nostris Antarcticus est. Octauo eiusdem, cum in gradu versus septentrionem quarto versaremur, ventus nos deseruit ab austro flans, quem à promontorio ad hunc vsque locum velisequum habuimus, incipiente interim pellacia & ingruentibus pluuiis. Quibus ad 11. gradum vsque continuantibus, naues nostræ, quod per maris tranquillitatem vna procedere non possent, distractæ dissociatæque fuerunt. Haud longe post tamen iterum conuenientes, vento ab ortu & Aquilone impulsæ actæque sunt.

*Caput viride 10. constans insulis.* Iunij 23. die altitudinem promontorij *Capitis viridis* ad 16. gradus eleuati transmittentes, recta illius insulas, quarum 10. sunt, præternauigauimus: quæ ad 15. grad. apparent, & 19. grad. finiuntur A Cõtinente Capitis viridis, insulæ illæ ad 160. milliaria in *Oceanum* excurrunt extenduntur que. His itaque traiectis mare quoddam intrauimus *De Sargasso* vocatum, quod herbis veluti prata illud consitum sit, adeo vt per herbarum obtectũ ægre vnda conspiciatur, nec naues nisi cum venti impetu illud permeare queant. Herba Petroselini marini facie est. Sed ex parte tamen aliqua flauescens, grana in summitate seu baccu-

*Mare Sargasso id est herbaceum.* las quasdam vuæ crispæ forma promit intus inanes & fatuas. Lusitani vt dictum est, herbã *Sargasso* nominant, quod nastuartio aquatico (quod ipsi *Sargasso* indigetant, quod inde nomen & ipsi mari indunt) non admodum dissimilis sit. Vnde vero hæc herba emergat aut inuehatur, sententia lata non est: quoniam circa confine illud nec regio vlla nec insula (quod quidem scitur) sita est, & præter id littus Africanum vltra 400. milliaria inde disiectum est. Quod argumento est, aliunde è littoribus derasum non inuehi. Sed nec ex illo fundo imitus enasci potest, cum mare illo loco quasi fundo careat. Herba hæc ex Lusitania in Indiam tendentibus ideo non occurrit, quod tum iuxta littus naues propius ferantur. Ex India vero remeantib. & necessario, & præterea loco alio nullo id apparet. A gradu, 20. apparere incipit, & ad gradum vsque 34. Continua seria portenditur, tanta densitate & copia, vt à multis totæ insulæ reputentur, adstupendo sane prætereuntium miraculo. Frigus harum regionum tantum est, quantum apud nos hyeme nondum intensa aut glaciali; Et tamen Lusitanis id durum æstimatur: quod contra se quoque industrie tueri & munire norunt.

Vltimo Iunij altitudinem grad. 23. recta sub sole tenebamus, sub ipso Cancri tropico nauigantes: quem iam vice secunda: primo apud insulam *S. Lorenzo:*

*venzo*: deinde, cum promontorium Bonæ Spei à tergo reliquissemus, transcenderamus.

Iulij 2. die altitudinem *Insularum Canariarum* tenuimus, quæ ad grad. 28. & 29. sita est, & de littore Africano seu Barbarico à 30. vsq; ad 80. milliaria distat. Insulas autem à dextra relictas præteriimus: in quibus, quod memorabilia multa continentur, breuiter quædam recensere operæ pretium arbitratus sum.

# Caput V.

## *Quo Canariæ insulæ breuiter enumerantur & describuntur.*



ANARIÆ insulæ numero septem sunt, olim dictæ *Fortunatæ*: ab Hispanis ita indigetatæ, à canũ multitudine, quos in illis primum apertis offenderunt. Insularum vero nomina hæc sunt: *Canaria* maior, *Teneriffe*, *La Palma*, *La Gomera*, *El Hierro*, *Lansarotte*, *Fuerte Ventura*. *Canariæ insulæ septem.*

*In Teneriffe* insula, mons quidam *Pico de Terraira* dictus inuenitur, qui montium omnium, quos sol videt, eminentissimus creditur, expressissime è medio etiam mari ad milliaria 60. conspicuus: quem nisi Iulio & Augusto mense conscendere nulli cuiquam licitum est. Cæteris enim omnibus mensibus niue obsitus est, licet in subiectis insulis locisque finitimis aliis nullo vnquam tempore nix appareat. Ad illum conscendendum & exuperandum triduo integro opus est. Ex quo summa parte plano & æquabili, circumiacentes insulæ cœlo sereno & tranquillo existente vndiquaque expresse despici & numerari possunt, licet illarum quædam ad 50. milliaria inde dissida sint. *Mons altissimus Pico de Terraira.*

Mensibus geminis dictis adeundo monti cõmodis, inibi lapis sulphureus eruitur & deuehitur: vnde postmodum magna & immensa mole Hispaniæ importatur. Lapis istiusmodi à nauita quodam in Insula *Tercera* mihi commonstratus, & in memoriam rei donatus est.

Insularum harum vna, *del Hierro*, id est, de ferro dicta, memorandum quippiam continetur, quod miraculorum mundi non postremum videri merito debeat. Insula nimirum hæc cæteris sex maior quidem, solum tamen sterile, incultum & adeo aridum præfert, vt per totam illam aquæ dulcis ne guttulam quidem reperire liceat, nisi fortasse locis quibusdam ad maris littora. Quæ tamen & ipsæ scaturigines, cum ab inhabitantibus quã longissime absint, ob id illis inutiles sunt. Hunc ergo defectum in commodum hominum & animalium ibi degentium Deus Opt. Max. pro immensa sua largitate hoc modo sarcire voluit. Arbor magnitudinis mediocris in Insula dicta reperitur, cuius vim & operationis modum nemo adhuc compertum habet: cum ipsius similis nullibi in toto orbe inueniatur. Folio oblongo & tenui instar iuglandis est, perpetuo viridi & citra mutationem omnem turgido. Ipsa arbor parua quidem sed perpetua eaque densa nebula contecta est, quæ nec decrescit quidem nec augescit, sed folia arboris continenter irrigans, ei quasi materiam operi continuando administrat. Ex foliis itaque iugi generatione clara, pellucida & tenuissima aqua extillat aut exudat, quæ peluibus & crateribus ab incolis arbori suppositis, excipitur & colligitur: tanta quidem copia, vt & hominibus insularibus, & eorum pecoribus stillatitia illa, vnda vna sufficiat. De huius miraculi principio nulli incolarum quicquam scitum aut obseruatum est. *Arbor miraculosa, perennes aquas extillans.*

Ad harum insularum dextram partem ad milliaria circiter 100. aliud adhuc miraculum prostat, commemoratione & consideratione dignissimum. Insula quædam est, quam *S. Borodonem* vocant. Hæc quāplurimis visa, aliquādo etiam non paucis adita & trita, valde viridis & ad aspectum iucunda perhibetur, & arborum & omnis generis fructuum ciborumque feracissima, à gente quadam habitata, quæ Christum agnouit quidem, sed vnde venerit, aut quam linguam vsurpet plane incognita. In Canariis qui habitant Hispani hanc insulam repertum & peruestigatum aliquoties se nauibus dedere, Sed certi tamen nihil de ea sciscitari potuerunt: vt hinc diuersæ apud diuersos sententiæ emerserint. Sunt eum qui arbitrentur rem hanc meras præstigias aut fascinum esse, & certis tantum diebus horisque insulam hanc visibilem fieri. Aliis ita persuasum est, insulam hanc & exiguam simul & nubibus coopertā assiduis raro in conspectum venire, cum & rapidissimi fluctus naues ad eam accessuras longius abstineant aut arceant. Insulam tamē istam dicto loco positam esse, vno ore omnes adfirmant, quotquot eam olim suis pedibus concularunt.

*Insula iam conspicua, iam euanida.*

Canariæ insulæ valde fertiles, omniq; rerū necessariarū abundantia insignes sunt. Pascua & pecora habent lætissima, sed & frumenti genera varia & delectabilia, vini autem ibidem nati tanta bonitas & generositas est, vt & ab omnibus auide appetatur, & inde ad extera loca omnia fere exportetur. Sacchari ibidem tam larga copia confit, vt propter bonitatem vino non minus quoquouersum auehatur. Qua causa eo mercatores tum Hispanici tum Lusitanici & nationum aliarum quamplurimi negotiandi gratia commeant. Sed & in his insulis plerunque appellunt naues omnes, quæ in Hispanicam Indiam traiiciunt, tum vt exinanitæ reficiantur, tum vt vinum secum auehant, quod postea in India Hispanica vendant. Cinnamomi in his nulla penuria, prouentus lætissimus est. Insulæ autem dictæ hodierno tempore omnes ab Hispanis incoluntur, etsi autochthonum supersint adhuc haud pauci, quos *Guanchas* nuncupant. Qui propter commercia & negotiationes cum Hispanis diuturnas, & mores & ingenium eorum parte maxima imbiberunt.

*In Canaria vinum nobile, & saccharum optimum, & Cinnamomum.*

Caput harum insularum *Canaria* magna est: quam & Episcopus & Inquisitio, & Iudicium Regium, & circumiacentium insularum omnium Dominatio consedit.

Iulij 6. die altitudinem graduum 32. attingentes, ventum nostrum ordinarium amisimus, & eius loco mare tranquillum nacti, plenos adhuc campos herbæ *Sargasso* mare vndiquaque operientis conspeximus. 10. eiusdem, cum vento iterum secundo spirante *Sargasso* relicto & disparente ad grad. 34. ascendissemus, mare iterum purum & vndosum tenuimus. Iulij 18. altitudinem grad. 39. ascendimus, vbi insulæ *Coruo & Tercera* cum fluuio Vlysbonam ducente sitæ sunt. Quo die quatuor pellaciis vsi sumus. Insequenti die *Coro* valde commodo prouecti, pisces volitantes vidimus quamplurimos, tres vel quatuor cubitos supra aquam oberrantes.

Eodem vento adhuc spirante 22. Iulij circa meridiem Insulas Flores & de Coruo, sibi inuicem propinquas conspeximus. Vnde vsque ad insulam *Terceram* milliaria 70. numerantur. His diebus multi ex naui nostra Asthmate & Colica crudeliter affligi cœperunt, cum & iter diuturnum nimis sustinuissent, & insuper cibaria corrupta ingerere coacti fuissent. Sed & ob dulcis aquæ defectum multi oryzam vnda marina elixare compulsi sunt: nec pauci, cum viuere putarentur, in suis cubilibus mortui & iam rigidi inuenti sunt, cum iam ante 4. vel 5. dies animam exhalassent. Toto itinere nostro ex Sclauis & aliis vltra 24. homines defuncti sunt.

*Insulæ Flores & de Coruo.*

*Anglicæ naues prædatoriæ.* Eodem die circa veſperam, cum iam è regione *Flores & Coruo* nauigaremus, ex littore ad nos excurrentes tres naues vidimus, quæ nobis metus incuſſerunt non modicum. Illico enim & rectà Almirantem noſtram inuadentes, & hanc & alias nobis ſocias tormentis vehementer concuſſerunt: vt res nobis iam nõ obſcura eſſet, prædones illos eſſe Anglicos: cum inſuper & illarum quælibet ſummo mali faſtigio vexillum infixum gereret Anglicum. Sub noctem iam à tergo nos inſectabantur, interim ex corbibus aſſiduo ignem pro ſigno vſurpantes. Media nocte, clara fulgẽte Luna, inſulam *Fayael* quam proximè prætervecti ſumus. *Inſula Fayael.* Poſtero die, cum inſulã S. Georgij à dextra, & inſulam *Gratioſam* à leua teneremus, adhuc nos perſequentes Anglicæ prædatoriæ naues, cõcilium coegerunt: rataeq; nauium noſtrarum adhuc vnam poſt nos eſſe, vnam ſuarum illam expectatum & exceptum retro egerunt. Quæ cum breui tempore à cõſpectu noſtro abfuiſſet, momẽto tamen cũ cæteris reconiuncta eſt: vbi rurſus habita deliberatione, vniuerſæ tres rectà nauem noſtram, quæ poſtrema erat, impetiuerunt, hoc vnũ molientes, vt illam in littus compellerent. *Angli nauẽ noſtram oppugnant.* Tertia etiam vice erectis ſignis & tubis inflatis nauem noſtram circumuecti, & Muſcettis, vncatis, falconibusq; in illum fulminãtes nihil tamen obtinuere aliud, quam quod vela noſtra & rudentes colliderent. Nobis interim animo valde contracto, vix caput è naui proferre tutum erat: intusque omnia ita turbata, vt, ſi quando noſtrorum tormentorum vnum exploderemus, ad redinſtruendum illud nobis integra hora opus eſſet, tumultu interim, diſcurſu, motuq; integra naui miro modo perſtrepente, vt de confuſione & trepidatione iſta ab ipſis Anglis nobis ludi fierent. Quæ dum agerentur, cæteræ naues paſſis velis certatim in inſulam *Terceram* feſtinabant, bene curatam rem arbitratæ, modo ſe nobis neglectis periculo exemiſſent. Tandẽ tamen cum viderent Angli, parum ſe nobis oppugnandis proficere, & nos ipſos quoq; paulatim inſulæ *Terceræ* propiores reddi: re infecta diſcedentes, animum nobis quaſſatum nonnihil audentiorem præſtiterunt. Sed ne hic quidem omnis periculi ſecuros nos credebamus, vſq; dum ad ipſam *Terceram* anchoris defixis, præſidij Luſitanici ſpem quandam conciperemus. Quo tamen & ipſo loco, cum nec vllam claſſem, nec vel aliam leuius ſaltem inſtructam nauem Hiſpanicam videremus: animo de nouo ambiguo reddito, an inſulares hoſtes vel amicos haberemus, ſat certo cõperire non potuimus. Quod enim Anglici prædones tãta confidentia abſq; omni metu quaſi ad limen iſtius inſulæ graſſarentur, ſuſpicioni non leui nobis fuit, illam per eos ex Hiſpanorum manibus iterum extritã & excuſſam fore. Sed & ex parte altera inſulares ipſi noſtro appulſu non leuiter turbati, aut perculſi erant: Anglos nimirum nos rati eſſe, qui tot nauibus armati inſulam veniremus oppugnatum. Angli enim illi, de quibus modo diximus, conuolutis & reconditis ſignis ſuis ponè ſe nobis iam comites adiunxerant. Regis itaque mandato duabus celocibus in inſula pro Indicarum nauium tutatione continentur inſtructis, tum ad nos explorãdos emiſſis, cum primum propius iungeremur, ab illis ſtatim amici cogniti ſumus. *Anglorum molimen.* Quo incenſu cum & Angli ſe eſſe aduerterent, impulſu rapido nos prætervecti, impreſſionẽ celerem in credulas illas & incautas celeres facere, eaſq; captas ſecũ abducere vafre meditati ſunt. Quibus tamen cum nos quatuor vel quinq; diſploſis tormentis ſignũ dediſſemus, vt ab iſtis ceũ hoſtibus ſibi prouide cauerent, & ab alto ad ſinum inſulæ penitiorem ſe reciperent: Angli rem proditam ſentientes, in altũ mare ſe præcipites extulere, & cum pudore porro partem vtramq; infeſtare deſtituere. Succeſſu itaq; hoc paulo cordatiores facti, poſtquã cum celocibus dictis iam otioſius colloqueremur: intelleximus, non ſolum Hiſpanicã claſſem ab Anglis nuper diſſipatã, & miſera ſtrage fuſam, adeoq; ad portam vſq; Liſbonenſem Hiſpanos inſectatione rapida cæſos eſſe, verũ etiã propter metuendam illã nauium & militũ vim, quam Capitaneus

*Dracus Terceram inuadere satagit.*

*Dracus* ad inuadendam & expugnandã *Terceram* collegiſſe diceretur, vniuerſos inſulares iam in armis eſſe. Regis itaque nomine nobis denunciari, vt cùm Lyſbonam intrare nõ niſi cum euidenti periculo poſſemus, interea in Tercera præſidiarij in anchoris permaneremus, dum Regis denunciatione de alio agendo doceremur. Quod mandatum, etſi nouo nobis & nunquam ſperato terrori eſſet: quod tamen Regio nomine fieret: & nobis præterea ipſis compertum eſſet, Capitaneum quendam *My cord*, ſeu Baronem *Cumberlanum* quotidie inſtructiſſimis nauibus circa inſulam illam prædari: ſtationem tenere, & fixis anchoris regis nouiſſimum mandatum præſtolari omnino coacti ſumus. Nauium noſtrarum numero ſex fuerant: quarum 5. ex orientali India, vna ex Malacca ſoluerant.

Hæc vniuerſæ inibi ad ciuitatem quandam, *Angram* dictam, anchoris figebantur. Interea 3. vel 4. ad Regem Carauellis miſſis, aduentum noſtrum ipſi definiri curauimus. Quæ dum agerentur, mora ibi tracta nullo ærumnarũ & calamitum periculo non exerciti ſumus. Et 4. Auguſti die comprimis: quo notus derepente ſurrexit tam impetuoſus & violentus, vt horriſono fragore inuſitataque turbinum colluctantium rabie naues vniuerſas Angræ muris illiſum iri viderentur. Cui malo & hoc acceſſoriũ erat, quod ſub idem tempus, & officiarij omnes, & homines cæteri plerique, vix Sclauis aliquot in naui relictis, in littus egreſſi eſſent. Fremitu itaque iſto gliſcente, cum & campanis & tormentis eliſis ad ſuppetias nauibus ferendas ſignum daretur: & nec qui in littore erant, ad naues propter turbinum colluctationem penetrare, nec in naui qui erant, littus ſui ſaluandi gratia attingere poſſent: accidit, vt naui *Malaccana* præ cæteris tempeſtatis vorticibus correpta (cum iam anchorarum rudentes, antennæ, vela, mali, & omnia maris firmamenta confracta & comminuta eſſent) crepidinibus & ſcopulis illiſa creparet, & cum omni onere ſubſideret. Quod miſerandum fatum cæteras ex ordine naues vniuerſas quoq; attigiſſet, niſi inſperatò venti iterum deſæuiiſſent, & mare redditum tranquillius eſſet.

*Malaccana nauis mergitur.*

Cum naui itaque iſta, cæterarum omnium ditiſſima & inſtructiſſima, bonorum merciumque tam grandis copia peſſum iuit, vt exiſtimationem fere excederet. Iam ergo hac recens clade accepta penſitata, & pendendi inſuper vectigalis iniquitatibus trutinatis, adeoque tum loci ipſius, tum cæterarum rerum omnium difficultatibus æſtimatis, officiarij cum inſulæ curatore coacto conſilio, quid porro fieri deberet, deliberare cœperunt. Nam & Regis reſponſum expectare, longinquum videbatur: & per moram longiorem, non ſolum nauibus cæteris quoque interitus metuebatur, verum etiam ſerioris anni inclementia nauigationem vniuerſam, quæ iam triennium totum duraſſet, impeditum iri cenſebatur. Regis itaque non expectata reſponſione decretum eſt, vt naues bona fortuna vniuerſæ inde ſoluerent, & rectà Vlyſbonam impellerent. Ergo ab omnibus neceſſariis inſtructi, nauem haud cunctanter ingreſſi ſunt, & curſum ſuum rectà Vlyſbonam verſus direxerunt. Ego interim, cum à Factore nauis *Malaccanæ* perditæ, meo admodum familiari rogatus eſſem, vt ad eripiendas adhuc merces aliquas in Tercera apud ſe ſubſiſterem, rebus meis aliis demandatis, hac vice poſt claſſem hanc relictus fueram.

Aug. 30. naues hæ ſimul & ſemel vniuerſæ in *Terceram* repulſæ ſunt: quod perpetuis aduerſis ventis vſæ inſuper etiam aquæ potabilis ſummam penuriam ſuſtinuiſſent. Pridie eius diei Capitaneus *My Cord* cum ſex aut ſeptem Carauallis prædabundus *Terceram* præteruectus erat. Qui tamen, cum naues noſtræ redirent, magna ipſarum fortuna iam iterum longius abſceſſerat. Illę itaque viam de nouo meditantes, poſtquam ad præſidium ſui adhuc 400. Hiſpanos, ex Tercera nauibus impoſuiſſent, vento tandem ſecundo nauigantes vndecim diebus cum magno gaudio & triumpho ad Vlyſbonæ terminos appulerunt, quam ſi in via vnum

*Fortuna nauiũ Liſbona appellantium.*

vnum adhuc diem protulissent absque dubio à Capitaneo *Draco*, cum 40. liburnicis & Carauellis prope *Cascays* inuecto, vniuersæ captæ fuissent.

Ex qua nostra historia iam abunde satis intelligi potest, quam diuturnæ & periculosæ nauigationes pleræque sint, nec vllius alterius, quam vnius Dei benigni gratia & ope ad optatam metam deduci possint. Quam itaque iam claudere, & aliò nos conuertere libeat. *Conclusio.*

# Caput VI.

## *Insularum Azores siue Flaminiarum topographia.*



INSVLARVM *Azores* siue *Flaminiarum* septem sunt: *Tercera, S. Michael, S. Maria, S. George, Gratiosa, Pico* & *Fayael.* Quibus accedunt aliæ geminæ, *Flores* & *Coruo:* quæ quidem olim inter *Azores* nō numeratæ, hodie tamen eidem dominio subsunt: ita vt vniuersæ iam nouem statuantur. *Azores* ab Accipitribus seu nisis, qui primo inuentionis tempore magno ibi numero visebantur, dicuntur. Flaminiæ quoq; nuncupantur à Flaminiis seu Belgis, qui primi insulam *Fayael* incoluerunt, quorum adhuc hodie certæ familiæ inibi illustres sunt, Belgarum ingenium, mores, & consuetudinem apprime præsentantes. Hac in insula riuus seu fluuius quidam, *la ribera des tiamencos* dictus, celebris est, ad quem olim Belgæ considentes, etiam hodie cum suis posteris habitant. Harum insularum caput est, *Tercera, de Iesus Christus de Tercera* dicta, quæ 15. vel 16. milliaria fere magna est. Terra ipsa montosa & scopulosa, quamplurimis locis penitus inaccessa est: tota aliàs crepidinibus velut quibusdam muris vallata, vbi ad quamlibet nauium stationem vna quoque ad tutamentum castellum quoddã extructum est. Per vniuersas insulas tutus contra prædones portus haud quisquam alius est, quam qui ad vrbem primariã Angram situs est: qui quod ad patentis oris seu dimidię Lunæ similitudinem hiscat, à Lusitanis Angra dictus est: quod nomen & ipsi ciuitati dein accommodatum est. Hęc ad alterum latus duos altissimos montes ad formam brachiorum extensorum recuruatas habet, *Bresyl* vocitatos, qui in patentem Oceanum late porrecti, ciuitatem à Continenti quasi reuulsam aut præcisam repræsentant. Montes prædicti fastigiis in aera tantis efferuntur, vt cœlo sereno ad 10. 12. & 15. milliaria in altum mare prospectus penetrare possit: in quorum verticibus duæ ex lapide columnæ extructæ videntur, ad quas ordinarius quidam perpetuas excubias agens naues quascunque mare sulcantes notat, & illarum indicium insulanis facit. Quot enim cumque numero naues ex India, Hispanica, *Brasilia, Capite viridi: Guinea*, & India Lusitanica aliisq; huius situs locis aduentantes videt, tot pari numero vexilla seu signa columnæ illi, quæ Occidentem spectat, defigit. Pari ratione & altera columna Orientem versus sita, naues ex Lusitania aut orientalib. locis aliis approximantes, prodit. Quod si vero vno comitatu naues quinquennarium numerum excedunt: tum vexillum vnicum, sed grandius profertur. Columnæ hæ propter dictorum montium sublimitatem toti ciuitati in prospectu sunt: nec ad insulam nauis vlla appropinquare potest, quin illico vniuersæ ciuitati & insulæ his signis prodatur. Sed excubiæ tales non in his solum montibus assiduo fiunt: verum etiam in angulis & collibus cæteris totique insulæ instituuntur. Indicio ergo aliquo facto, insulæ gubernator cum cæteris officiariis in concilium actus, maturo de agendis deliberat, & necessitatibus omnibus diligenter prospicit.

*Azores septem olim insulæ, nunc hodie nouem numerantur.*

*Azores vnde dictæ.*

*Flaminiæ vnde dictæ.*

*Tercera siue Iesus Christus.*

*Bresyl mōs Terceræ.*

*Columnæ & excubiæ montis Terceræ.*

Inferius

Inferius ad *Bresyl* montis radices castellum quoddam seu propugnaculum in maris extremo angulo desitum est, quod è regione sibi oppositum aliud simile habet. His itaque quasi terminis quibusdam clauditur & defenditur accessus seu introitus portus, ita vt sine horum permissu nulli nauium aut stationem illam occupare, aut ex illa egredi liceat. *Angra Tercera vrbs primaria.* Et hoc loco princeps ciuitas Angra extructa est: quæ vt totius insulæ Terceræ, sic finitimarum omnium caput & firmamentum est, & præterea sedes etiam Episcopatus, & forum iudiciale omnium Azores insularum. Ad trium milliarium ab Angra interuallum versus occidentem ciuitas quoque alia sita est, *Villa de Praya* dicta, *Villa de praya.* quæ nauium malefida statio negotiationibus haud adeo celebris habetur: etsi ad illam aduersa tempestate paucæ interdum naues actæ impellantur, ab Angra aberrantes. Coactę ergo ibi merces suas exponunt, quæ inde postmodum in Angram transferri solent. Ipsa aliàs ciuitas muris cincta sat firmis, populo tamen haud frequenti abundat: *Alphita quæ in illa regione.* qui agriculturæ fere ob terræ bonitatem & feracitatem dediti sunt. Frumentum itaque & vinum magna copia colligunt: sed hoc infirmũ & nullam ætatem ferens, tenue, & ob id transuectioni minime commodum, sed solis inquilinis pauperioribus potabile. Cæteri enim inibi qui ditiores sunt, ex Madora & Canaria illata vina nobiliora bibere consolent. Carnis, volucrum, piscium & animantium cæterarum nullam inopiam sentiunt, quæ ipsis ad commeatum quotidianum abunde satis sunt. Oleum tamen natiuum non habent, sed ex Portugallia illud expetunt. Salem, ollas, lebetes, vasa fictilia, calcem, & quæ huius generis cætera sunt, hæc omnia aliunde importari sueuerunt. *Persica in Angra vberrima.* Ex fructibus autem persica comprimis copiosissima, & ad miraculum vsque genera varia habent interim cerasis, prunis, nucibus, auellanis, castaneis non admodum copiosis. Herbarum & fruticum sua quoque ratio pro loco est. Et planta illic peculiaris quædam nascitur, quæ radicem raphano similiter deorsum in terram agit, foliis tamen vitem fere referentibus, quæ sparsim quasi quibusdam pediculis sese humo diffundunt, fructũ *Batatas fructus in Angra.* tandem (*Batatas* dicunt) valde sapido proturgẽte magnitudine fere pomi. Quia etsi propter magnam copiam non magni æstimetur pretij, insulanis tamen ad victum quotidianum valde commodus est. In Portugallia ille dignitatis multo maioris est, quo interdum illatus, magnatibus præsentiæ haud vulgari est.

Sed & planta ibi alia ad modum frumenti seritur, ad cuius radices granula *Porci iunsa saginantur.* rotunda magnitudine pisi protuberant, pistaciorum saporem referentia. Qui cibus valde suauis, & exoticis aliis desideratissimus, domi tamen propter copiam vilior habitus porcis in saginam colligitur, *Iunsa* dictus.

*Radix filamentosa, sericea.* Porro in syluis & solitudinibus insulæ spõte sua planta etiam alia prouenit, quæ altitudinem stantis viri æquans, sine vllo fructu emergit. Radix autem geminos compressos pugnos appendens, comam flauescentem ad viuum visui, tactui vero mollissimum sericum offert: quam incolæ pennarum seu plumarum loco culcitris ad parandos lectos indunt. Cuius filamenta textoribus industriis tentaturis in telam accommoda fore, haud absurde credi queat.

*Pastelus, herba tinctoria.* Victum vero insulani maxima parte ex venditione *pasteli* (planta ea est, tinctoribus ad colorandas lanas apprime optata) corrogant: quam magno numero collectam Anglis, Scotis, Gallis vendunt, aut cum mercibus aliis permutant.

Terra aliàs ipsa ferarum & volucrum valde sterilis est, si paucas saltem exceperis, & inter has potissimum Canarias, *Canariæ aues.* quæ aliquot myriadibus volitantes visuntur. Quibus ob id captandis & quoquo versum disportandis aucupes quam plurimi sibi victum parant.

*Coturnices.* Coturnicum (quas ibi *Cordonysas* vocant) ibi indicta abundantia est, ita cicurum, vt domesticas nostas gallinas æmulentur. *Gallinæ Indicæ.* Nec minus Gallopauonum vbertas maxima est. *Cuniculi.* Ferarum cæterarum penuria vicissim grandis est, solis cuniculis

culis magno numero abundantibus. Lepores, cerui, perdices ibi tenui numero reperiuntur: piſces cõtra & varij & copioſiſſimi, palato pleriq; ſapidiſſimi: qui æſtiuo tẽpore potiſſimum capiuntur, cum hyeme mare piſcatoribus intractabile ſit. Menſibus namq; Ianuario, Februario, Martio, Aprili, & Septemb. plerumque venti, turbines, imbres, procellæq; Oceanũ infeſtant: reliquis fere placidũ & ſerenum. Mõtoſa & deſolata terra, ſyluis & dumetis exaſperata, fere tota inuia eſt: ſcopulis & rupibus adeo horrida, & prærupta, vt lapidũ acumina viatorũ & calcei, & pedes ſæpius cõſcindantur & perfodiãtur. Nihilominus tamen vitibus vndiquaque numeroſiſſimis conſita, quæ radices ſuas in medios hiatus ſeu ſaxorum rimas immittunt, quibus ſuccũ proliciunt ſibi neceſſariũ. Sed & hoc admiratione ibi digniſſimũ eſt, quod in petræis iſtis receſſibus vites multo lætius & turgentius ſe proferunt, quàm in planitie, molliore & rariore, qua plerunq; ſatæ omnes extinguuntur, nec ad frugẽ peruenire queunt. Cætera terra, quæ plana & ferax eſt, vt plurimum frumẽto & *Paſtelo* conſeritur: quorum illud tanta copia & fœnore prouenit, vt & extraneo huius generis cõmeatu nullo ipſis opus ſit, & quotannis inſuper 14. militum Hiſpanorũ ſigna natiuo illo ali & ſuſtentari poſſint. Supradictis & hoc mirabile accedit, quod nec frumentum, nec reliqua terræ naſcentia vltra annum vnicum durant, ſed eo exacto ſtatim putiſcunt & exoleſcunt. Quod nec ipſum tamen tẽpus attingere poſſet, niſi quatuor vel quinq; menſes foueis ſubterraneis antè defoſſum & reconditum, iſta quaſi præparatione ad durationẽ hãc promoueretur. Incolarum enim quilibet à meſſe illico trituratum frumentum ſuum foueæ ſingulari, cõmuni loco & via regia ex ordine in hunc vſum factæ indit, quam ſuperiecto pauco ſtramine poſtea torra ſuperinſtrata quaſi ſepelit, & circa natiuitatis feſtum tandem inde eximit: tam plerunq; ſanum & integrum, vt nec ſitum nec corruptionẽ aliam vllã redoleat. Quem defodiendi frumenti modum niſi colerent, vltra menſes quatuor id incorruptum vix vlla arte ſeruarẽt alia. Exemptum tandem, capſis & ciſtis in hoc extructis aſſeruant: quod dein toto anno etiam non ventilatum recens & laudabile perſiſtit.

*Vites ſuper meris rupibus.*

*Frumentũ non vltra annum durans.*

*Fouea ad præparandum frumentum.*

Ex omnibus iumentis officia & operas boum experiuntur certiſſimas & fideliſſimas: quos tanta proceritate & pulchritudine inibi natos habent, & alunt, vt vaſtiores vniuerſo orbe reperiri haud credi poſſit. Cornibus præſertim nobiles ſunt, vnoquouis inſuper peculiari dato nomine non ſecus ac homines interno-ſcendo. Et licet vno prato pabulabundi ſimul melleni oberrent: quemcunque tamen ex omni grege illo, ſuo diſcreto nomine dominus appellet, aut euocet, dicto citius ad vocantis heri locum ſeu ſtatum ſe proripit.

*Boues in Canaria vaſti & optimi.*

*Boues, vt homines, indiuiduali nomine initiati.*

Solum multis ſpeluncis & cauernis excauatũ eſſe, ex eo augurari eſt, quod & pedibus violenter pulſum ad modum collæ ſeu fornicis reſonat: & terræmotibus præterea frequentibus cõcutitur. Sed & igniuomi montes olim in pleriſque his inſulis pauci inuẽti ſunt: ſicut & in Tercera & S. Michaele adhuc hodie aliqui campi Vulcanios fumos eructant, circa quorũ fauces terra orbiculatim plerunq; exuſta videtur. Sed & ſcaturigines fonteſq; quidam tam feruidi reperiuntur, vt ad eos non ſecus ac ad focum ouum elixari poſſit.

*Montes igniuomi.*

*Fontes feruidi.*

In *Terceræ* loco quodam, *Cualua* dicto, & ab Angra tria milliaria diſtante, fons quidam eius proprietatis & virtutis eſt, vt omnia vel illapſa caſu, vel arbitrio hominum iniecta, progreſſu temporis in ſolidiſſimum lapidem ſeu ſaxum commutet. Cuius miraculi documentum mihi ipſi accipere licuit ex arbore quadam huic fonti contigua: cuius quę radices aut trunci pars aqua iſta alluebatur, ad æris vſq; ſoliditatẽ indurueat. Quæ vero alterius lateris partes à contactu aquæ immunes erant, purè putè verũ lignum adhuc præſentabãt. Cedri hac in inſula tanta abundantia eſt, ex ea vt ſcaphas, currus, rhedas, ſeu bigas, & huius generis alia omnia opera extruant: nec ad fouendũ ignem quotidianum alio quam hoc ligno

*Fons lignorũ lapidifi cus.*

*Ex cedro, currus, naues, foci.*

F vtan-

*Lignum pretiosissimum rubrum, album, flauū.*

vtantur: ita vt propter opulentissimum eius prouentū lignum nullū abiectiore statu & loco sit. Sed & aliud lignū, *Sanguinho* dictum, totum rubeum & cruentulum: & item aliud, ad cretæ candorē niueum: & iterum aliud totum aureum & flauū, terra illa profert, nullius artis, sed solius naturæ miraculo ista varietate artificiosissime distincta. Qua occasione factum est, vt lignarij opifices quamplurimi inibi cōsederint, qui pulcherrimis operibus, vt abacis, repositoriis, capsis cistisq;, & huius generis aliis parandis occupati sunt: quæ postea magno vendita pretio in Portugalliam auehūtur, & ibi tum propter generositatem materiæ, tum operis artificium & nobilitatem magni æstimantur. In Pico insula, quæ 12. milliaria à Tercera dissita est, lignū quoq; aliud *Teixo* dictum, valde pretiosum & nobile nascitur, quod propter præstantiam suam, nisi regis & officiariorum eius permissu nulli in vsum suppeditatur: ado durū, vt ferrum æquet: quod instrumētis fabrefactum, interius coccinum vndulatū expressissime refert: quod tandem, quo vsu attritus fit, splēdidius indies effulget: vt æstimationis haud immerito sit maximę.

*Vtensilia ex dictis elegantissima.*

*Teixo lignū nobile.*

*Coloni insularum qui?*

Vniuersæ hæ quidem insulæ à Lusitanis colonis habitātur: Hispanis tamen militibus & gubernatoribus post Lusitanorum seditionē illis impositis, qui præsidio suo omnia castella occuparunt & moderantur, Lusitanis ipsis à cætero sumptu interim quidem liberis. Hispani enim tam seuera disciplina ibi coercentur, vt militum ne vni quidem absq; præimpetrata venia vrbem vel vno pede egredi liceat: quod in causa est, cur secura via per omnem insulā tam noctu quam interdiu, etiam sine comitatu vllo, meare & negotiari quilibet possit. Sed & peregrinis cæteris per Lusitanorū cautionem peruagari insulas nullo modo licitum est: ita vel nudo peregrinantium aspectui metunt. Quas ob id peruidere, & peragrando singulas lustrare, nec mihi concessum fuisset, nisi Gubernatoris bona pace & subministratis ab eodē equis circumire illas, me Lusitani vidissent. Spem enim sibi de me Gubernator fecerat, fore, vt vniuersas insulas illas, & situm naturamq; singularum depingerem: cuius operis ideam ipse regi transmittere iamdudum satagebat. Quod officium cum illi ex causa denegarem: ne tamen in ipsius gratiam nihil velle viderer, vrbem Angram, cum portubus omnibus, & eiusdem castellis, aggeribus, & stationib. viua effigie depictam illi nuncupaui: cuius imaginem Regi postmodū donatā ille misit, & me ob hoc meritum summo fauore cōplexus est. Sed iam ad institutū nostrū reuertamur. Insularum harū aer admodum salubris est incolæq; vix paucis aliquot morbis tentari solent. Quorum vnus ipsis *Oax*, id est, paralysis dicitur, quo tacti plerunq;, vel toto corpore, vel ex altero latere, vel vno saltē mēbro resolui solent. Sic hic tamen nō nisi sparsim aliquos affligit. Alterum morbum *Osange*, id est, sanguinem nuncupant, qui momēto quasi inuadens, vel faciem, vel reliquū corpus in tumorem sanguinis modo rubicundum attollit. Quem ob id illi merū sanguinem & putant, & dicunt. Horum morborū, qui ipsos pręcipue infestant, causam putant, aerem cum madore aliquo supra modum ventosum: quod insula vniuersa crebris turbinibus & tempestatib. obiecta sit. Tam valido enim ventorū impetu assiduo concutitur & perflatur, vt & ferrum & lapides illorū vehementia ambedantur, & velut in puluerem comminuantur. Cuius rei euidens equidem ipse documentum hausi ex crate ferrea regij telonij fenestris. Præterea, cuius crassities, cum brachium solidum adæquasset, locis aliquot ita profunde ambesa à me visa est, vt ad tenuitatem straminei fili accesserit. Idem & lapidibus euenisse visum est: cum tamen isto tempore domus dicta non vltra sex septemque annos stetisset.

*Contrafactura vrbis Angra.*

*Paralysis Tercera. Endemia.*

*Erysypelas.*

*Venti tam validi, vt ferrum & saxa minuant.*

*Pagi Terceræ.*

Præter dictas geminas ciuitates vici seu pagi quoque haud pauci in insula inueniuntur, vt *S. Sebastian, S. Barboran, Altares, Gulaua*, villa noua, cum reliquis plurimis: vt præter solitudines & deserta locis plerisq; habitatissima sit. Magna ex parte incolæ ex negotiatione pasteli (vt diximus) victum quærunt, vt qui

aut

aut ferendo eo aut vendendo operantur. Cætera vero promiscua turba victũ & quæstum faciunt ex nauibus illis, quæ ex vtraq; India, Brasilia, capite viridi, Guinea, & finitimis aliis locis ibi appellunt, in Terceram insulam commeatus potissimum renouandi & restaurandi causa ingressæ. Quo fit, vt nauibus quibusdam ibi obseruatis, incolæ illico sua omnia mercimonia eò conuehant, & volentibus exteris venundent.

Ad australem Terceræ partem milliaribus 28. inde insula S. Michael distat, quæ 20. fere milliaria lata ciuitatibus & vicis Lusitanicis tota referta est, eiusdem prope aeris & conditionis cum Tercera: quarum primaria *Punta del Gada* dicta, cõmercio Anglorum, Scotorũ, Gallorumq; Tercera multo frequentatior, quod ibi Pastelus longe vberius proueniat, quam vel in Tercera vel adiunctis reliquis insulis omnibus: cum in ista quotannis pasteli vltra 20000. quintalia parentur & colligantur. Agris frumentiferis adeo abundat, vt ex sola hac interdũ cæteræ omnes insulæ cõmode alantur. Portum aut receptum tutum nullum habet, nauiumq; statio in aperto mari agitur. Præsidiumq; in Tercera adhuc multo ignauius habent. Interim tamen nec Castellanorũ iugo, aut arbitrio subditi sunt. Ad quemuis ventum parati, quolibet, libere in mare patulũ excurrere possunt, quod Terceræ incolis negatũ est. Qua causa quoq; extraneæ naues ibi diuertere, quam alibi, malunt cũ angustiis nullis opprimi, nec præter suum animum quoquam aliò impelli possint. At tutamen tamen vrbis *Punta del Gada* militum Hispanorum signum vnum præsto est. *S. Michael insula.*

Ab insula hac porro versus Austrum insula S. Maria sita, 10. vel 12. milliaribus in circuitu clauditur, nulla negotiatione insignis, nisi quod ibi insulani cæteri argillam effossam mercari sueuerunt. Et licet *Pasteli* ferax non sit, tamen cibariorum & cõmeatus necessarij cæteri quam Tercera sterilior non est. A Lusitanis vndiquaq; habitata, Hispanis tamen militibus grauata non est: quod vt Tercera montibus, saxis & scopulis à natura munita, inquilinorum præsidio sat tuta sit. Quo tempore equidem in Tercera morabar, Capitaneus *My Cord in Comberland* in hanc insulam aquatum & cibatum venerat. Sed ab incolis tamen prohibitus, adeoq; cum multis ipse quoq; vulneratus, re infecta fugam arripuit. *Ins. S. Maria.*

Intra Septentrionem & ortũ à Tercera septem octove milliaribus disiecta, parua insula *Gratiosa* sita est, cuius ambitus 5. vel 6. milliarium, locum cõmodum & delectabilem pandit. Hæc fructibus varij generis opulenta, ad victum sibi ipsi sufficit, nec aliis negotiationibus occupata est. A Lusitanis colitur & habitatur, militibus propter compendium sumptuum faciendum nihil custodita. Ad hãc insulam, tum in Tercera morabar, Capitaneus My Cord in Cumberland appellens aliquando, & cum octenis saltem viris in Continentem egressus, ab incolis aliquot pecora, gallinas, & aquam rogauit. Quæ cum à sollicitatis bona cum gratia accepisset, nihil damni porro ipsis intentauit, sed propter probitatem hanc & comitatem ab inquilinis oppido laudatus abiit. *Ins. Gratiosa.*

*S. Iorgie* insula à Tercera actionis nouenisve milliaribus absita, in longitudinem 12. milliariũ porrigitur, sed angusta tamen & contracta latitudinem vix 2. vel 3. milliariũ habet. Cliuosa & mõtosa est, præter Pastelum nullius quoq; commercij, qui tamen & ipse copia ibi nascitur non admodum magna. Re pecuaria incolæ vt plurimũ victum parant, vt & agricultura: pecudesque suas iam grandiores & saginatas in Terceram agũt, quas ibi in publico vendunt. Sed & Cedrus ibi abunde prouenit cum lignis nobilibus & aliis, quæ cæsa Terceram, vbi arcularij hac de causa numerosi consederunt, omnia conuehuntur. *Ins. S Georgie.*

Ab hac septem à *S. Georgie* insula milliarib. *Fayael* sita est, cuius circuitus 17. vel 18. milliarib. clauditur, rebus ad victũ spectantibus, abunde felix: vt inde commeatus permultũ nauibus in Tercerã deportari soleant. Sed & pastelũ inde An- *Ins. Fayael.*

*Villa porta.* glicæ naues plerunq; auehunt. Apud ciuitatem, *Villa porta* dictam statio nauium primaria est: an arx seu castellum adiacet momenti non adeo magni, nec etiam ad vim vllam sustinendã idoneum. Cum enim aliquando inquilini arbitrarentur, ad defendendã insulã se ipsos satis validos esse, milites præsidiarios inde eduxerunt & dimiserunt, quod & locus & victus deficere ipsis viderentur. Ex insula Gratiosa ergo cum Capitaneus *My Cord* illã inuaderet, primò quidem ad reprimendum ipsum animum & vires collegerunt insulani. Paulo post tamen animis ipsorum in contraria actis, cum resistendi porro nullum modum assererent; ipse Capitaneus insulam occupans castellum diruit & vastauit, & tormẽta ibi inuenta mari mersit, paucasq; Carauellas secum è statione abduxit. Qua re à rege cognita, primatibus aliquot capite plexis, ex *Tercera* nouos milites eo iterũ induxit, qui insulam tuerentur, & reædificatum castellum præsidio certiore defenderẽt.

*Belgæ Faijel incolunt.* Incolæ *Fayael* plerique ortu primo Belgæ sunt: lingua tamen Lusitanica vtuntur, quam longi temporis assuetudine sibi familiarem reddiderunt.


Ab *Fayael* tribus, à *S. Georgie* quatuor, à *Tercera* vero duodecim milliaribus insula *Pico* sita, longitudinem 15. milliaria habet, à monte excellentissimo ita dicta: quem arbitrantur pleriq; *Pico* monte in Canaria multò sublimiorem. Cœlo sereno iste mons in Tercera adeo expresse conspicitur, vt vix ad stadia aliquot distare videatur, cum interim vltra 25. milliarib. absit. Caput seu vertex montis longe vltra nubes exporrigitur, ita, vt stantibus desuper infrà illæ subesse liquido videantur. A quo monte ob id insula valde celebris & late famosa est, & insuper rerum necessariarum omnium ferax, commeatu ministrando insula *Fayael* nõ est inferior. Sed & varij generis ligna præstantissima promit eadem, & maxime lignum *Feixo*. Vnde propter vbertatem summam multæ Carauellæ nauesq; aliæ minores assiduò extrui solent. Incolis frequẽtata est salis numerosis, qui pecuaria re & agricultu viteque plantanda victum parant. Nam & vinum in hac vbertim prouenit, & bonitate cæteras insulas omnes exuperat. Aurantia fert eadem sapidissima & suauissima, vt in Lusitania eadem in pretio maximo habeantur, adeoque singularis honorarij loco primoribus præsententur.

Sed cum *Angra* Terceræ insulæ ciuitas primaria & reliquarum quasi regina quæpiam sit: eius imaginem lectori communicatam ob id volumus, qua omnes eius plateæ, propugnacula, portus cum adiuncto monte Bresyl, vbi excubias assiduas fieri diximus, quasi typo quodam oculis proponuntur.

# Caput VII.

## *De Insulis Coruo & Flores.*

*Coruo & Flores insula.*



A TERCERA versus Occidentem ad insulam vsque *Flores* milliaria 70. numerantur: quæ ipsa 7. milliaria magna patet, & à Lusitanis habitatur, præter Pastelum nulla negotiatione celebris est: at armentis tamen pecoribusq; aliis abũdat. Regio ipsa patens omnibus accessa est, tum Anglis, tum extraneis aliis. Incolæ enim viribus minores sunt, quam vt impellentes arcere possint. Ab hac insula versus Aquilonem milliari vno distat *Coruo* insula, exigua & angusta vix tria milliaria lata, quæ & ipsa à Lusitanis habitatur. Inter quam & *Flores* Angli plerumque in insidiis se continentes, naues aduentantes operiuntur. Qua causa in confinio habitantibus nihil fere tutum est, sed rapinis omnia prostant.. Sed de *Azores* insulis hæc propter sciendi cupidos dicta sufficiant.

Caput

# Caput VIII.

## *Memorabilia quædam, quæ meæ in Tercera commorationis tempore gesta sunt.*



Ctobris 2. die An. 1589 in Terceræ Campo haud procul à *Villa da Praija* duæ personæ fulmine tactæ & confectæ sunt. Eiusdem die 19. in Tercera 14. naues Hispanicæ ex India appulerunt, Cochenilla, velleribus, auro, argento, gemmisq; oneratæ. Quarum, cum primum soluerẽt, vno comitatu 50. fuerant. Sed iuxta Hauanam 11. mersis & absorptis, cæteræ procellis turbatæ & disiectæ sunt. Postero die harum nauium adhuc vna cum Terceræ appropinquaret, obuia naui prædatoria Anglica trib. saltem Falconettis armata, inuasa est. Etsi vero Hispania tormẽta 12. haberent, nihilominus tamen nobis ex insula prospectantib. & attendentibus dubio Marte diu illę colluctatæ sunt. Quod cum insulæ Gubernator videret, scaphis binis illico sclopetariis refertas in illorum auxiliũ emisit. Qui tamen priusq̃ propius aduenissent, Angli nauem Hispanicam iam dũ tormentis suis adeo concusserant, vt plenis velis ea sub aspectum nostrum tota subsideret & mergeretur, nec bonorum quicquã inde redimeretur. Aestimabatur ea pretio 200000. Ducatorum: quæ opes vniuersæ misere periere, nec Anglis ipsis victoribus obtigêre. Attamen illi ex subsidẽte naui homines circiter 30. exemptos suæ naui imposuere, quos saluaturi in littus euehebãt, & recta altũ mare repetebant. Cæteri vniuersi vna cum naue submersi sunt, quorum vltra 50. fuerant, & in his multæ mulieres & monachi, quos Angli cum eripere possent, ex causa tamen detrectauerant.

*Duo fulmine icti.*

*Angli nauẽ 200000 Ducatus æstimatã mergunt.*

Octobri 27. dictæ 14. naues Tercera iterũ soluerunt, *Sebiliam* versus nauigãtes, postq̃ necessariis omnib. sese instruxissent. Quæ tamen, cum iam littus Hispanicum fere attigissent, ab Anglis insidiantib. obrutæ, captæq; vniuersæ (binis exceptis saltem, quæ se fuga eripuerant) in Angliam missæ sunt. Circa tempus istud Capitaneus Mij *Cord* cum Regia naui & sex aliis illas omnes insulas peruagabatur, & Angræ stationi aliquoties ita prope admouebatur, vt & omnes in nauib. facile noscerẽtur, & sclopetis ex castello, si libitũ fuisset, commode feriri possent. Quib. locis cum Mij Cord integros binos menses prædando & insidiando consumpsisset, quicquid nauium bonorumq; cœperat, illico in Angliam amãdauit, & insulas hoc pacto grandi terrore concussit. Triduo vel quatriduo post, quam Mij Cord ex insula Faijael abiisset, inibi naues Indicæ sex appulerunt, quarũ præfectus *Iuan Diriiues*, cum in insula auri argentiq; 40. milliones exonerasset, naues cõmeatu & necessariis aliis festinanter prouidens, ne fors longiore mora ab Anglis oberrantib. prehenderentur, littore trepidabundus illico soluit, & bono prosperoq; vento in *S. Lucas* insula appulit, vt eius Angli ne vestigiũ quidẽ olfecerint.

*Angli naues aliquot capiunt.*

*Auri 40. milliones Anglis prærepta.*

Mense Nouembri *Terceram* naues duæ magnæ ingressæ sunt, quarum vna Almirans, altera *Vice* Almirans istius classis fuerat, quam auro argentoq; oneratam paulo ante tempestatis iniuria disiectam dissipatamq; diximus. Hæ binæ ærumnis infinitis exercitæ, variisq; turbinum erroribus actæ, nullo præsidio alio, q̃ nauteam exigendo sese iam seruauerant, millies Anglicarum nauium occursum sibi imprecantes, vt hoc modo saltem vitam tenerent, & in illorum manus bona omnia vltro citroq; deponerent. Et licet eodẽ ipso tempore Capitaneus *Mij Cord* in confinio illo quoquouersum peruageretur, nihilo tamen minus eorum conspectum nunquam attigit: dum tandem illæ inexhaustis laboribus exantlatis portum seu stationem Angræ tenerent. Ibi ergo onere suo alleuiatæ festinatione maxima sunt.

Hæ naues quinque milliones Argenti, in frusta 8. vel 10. pondo distributi aduexerant: vt vniuersum littus orbibus argenteis, cistisque, monetis Regalibus 18. baziorum confertis quasi contectum esset. Millio vero quæuis decies centum millionis ducatis æstimabatur: ad quam tamen summã vna allatæ margaritæ, aurum, & gemmæ aliæ non cõnumerabantur. Huius classis Almirans *Aluarez Flores de Quimones* morbo Neapolitano decumbens grauiter, & ob id in littus è naui exportatus, à Regia Maiestate datas literas ostẽdebat, quibus vniuersi Oceani, nauium omnium, omnium insularum & terrarum, ad quas appulsurus esset, summus præfectus seu Capitaneus cõstitueretur. Qua causa à Terceræ Gubernatore quoq; honorificentissime exceptus erat. Hi itaque collatis cõsiliis decreuerunt, vt vacuæ naues illæ, militibus præsidiariis munitæ ex Tercera aut Vlysbonam aut Sebiliam recta pergerent, Regique statum omnem panderent, curarentque, vt primo quouis tempore expositum argentum firmioribus & nauibus & præsidiis aueheretur, ad cuius tutelam Aluarez interea in Tercera subsisteret: cum & ipse pro sua persona vltra 60000. ducatos in perlis possideret, quas monstratas nobis, vel vendendas, vel aromatis permutandas, vel literis collybisticis soluendas, deferebat. *Naues* dictæ geminæ, ducentis vel trecentis hominibus, tam nautis quam militibus oneratæ, in via tempestate aduersa ita subagitatæ sunt, vt prætoria confracta cum omnibus hominibus & mercibus mergeretur, nullo quoquam saluato. Altera vero, postquam prorsum versum disiecta malos detruncasset, apud *Sentuuallia* littora impingens in frusta dissiliit, vix aliquot enatando hominibus ereptis, qui post hanc rem ita gestam denarrarunt. Eodem ipso mense, Indiæ naues duæ aliæ ad milliare dimidium prope Terceram visæ sunt. Quæ cum stationem incurrere iam satagerent, ab Anglica quadam inuasæ & oppugnatæ, mutuis tormentorum explosionibus diu inuicem colluctari à nobis visæ sunt, & post etiam Indicam vinci capique.

*Capitaneus Aluarez. 60000. ducatos possidet.*

*Duæ Hispanicæ naues captæ.*

Ianuario mense, An. 90. Hispanindica quæpiam nauis solitaria portum seu stationem ad Terceram ingressa nunciauit, ex Continente Indiæ Hispanicę classem quandam 100. nauium vno comitatu & societate simul exoluisse, & violenta sæuaque tempestate ad littora *Floridæ* impulsas naues 99. vno casu periisse, sola illa ex tot ærumnis residua & salua. Quibus quanti thesauri vecti sint, quiuis secum putare haud difficulter queat. Quod si ergo omnium earum nauium, quæ ex Hispania noua, *S. Domingo*, *Hauano*, *Capite Viridi*, *Brasilia*, *Guinea*, *&c.* vltra 220. vnius anni 89. circuitu in Hispaniam & Lusitaniam soluerunt, rationem ex annalibus & diariis ineamus, vix 14. vel 15. feliciter ad metam præstitutam peruenisse, reliquas omnes aut funditus interiisse, aut in hostium manus incurrisse, certo deprehendemus.

*Naues 99. mersæ simul.*

*Vno anno naues Indiæ mersæ ferè 200.*

Sub idem tempus ex Sebilia Terceram 14. vel 15. naues, quæ pleraque Belgicas celoces referebant, veniebant, militibus præsidiariis & instrumentis bellicis omnes instructæ, & argentum simul & Capitaneum de *Flores* regis mandato auectum missæ. Cum vero tum temporis tota insula perpetuis turbinibus & sæuientibus procellis æstuaret, stationem ibi occupare nullo modo potuerunt. Ita enim impetuoso motu omnia agebantur prorsum vorsumque, vt quæ naues aliquot anchoris fixæ starent, violenter ventis impulsæ malos diruere & deiicere cogerentur, nisi extrema quæuis perpeti votum *Sed & Biscaina* quædam huius dem societatis nauis margini littoris violenter illisa, comminuta est, hominibus tamen ex illa omnibus seruatis. Cæteræ ergo altum mare egressæ, quoquo versum dissipatæ, venti & turbinum arbitrio vsque ad 15. Martij circumuehebantur, toto illo interuallo ne vnicum quidem ad anchoras figendas diem idoneum nactæ: infortuniis interim inæstimabilibus concussæ, adeo vt & insulas & auehendum argentum diris execrarentur. Vix ventorum desæuierat vis, cum

*Biscaina nauis ad oram littoris confracta.*

recol

recollectæ ex erroribus, paruulam quandam nauem Anglicam, 20. circiter vasa capientem, adeoque ventorum dominio totam occupatam, obuiam habuerunt. quam itaque hastili manu inuadentes & occupantes, vna secum ad stationem abduxerunt. Signo autem Anglico puppi defixo, adeo superbire videbantur, quasi de tota iam Anglia deuicta triumphum agerent. Iam ergo stationi propius admotis, fortuito duæ Celoces Anglicæ aliæ occurrentes, cum, quod res erat, ex signo triumphali augurati essent, velis incitatis cursum tam rapidum in victrices naues direxerunt, vt pro triumpho vniuersi iam alta voce Misericordiã inclamarent & ingeminarent. Quæ ob id in fuga certo correptæ omnes fuissent, nisi recta Castellum insulæ impulissent: vnde tormentis crebris fulminantibus præsidiariis, Angli proram conuertere, & altum mare repetere coacti sunt. *Anglica nauis vna intercepta.*

Qui captæ illi naui Angli inerant, hi ex ordine ferreis vinculis gemini colligati & reuincti ad triduũ vel quatriduum asseruabantur. Quo exacto Hispanus quidã vexillifer ad eos ingressus est, qui quondam fratrem suum germanũ in Anglia cæsum meminerat. Hunc ergo data hac occasione iã viriliter vindicaturus, districto pugione in vinclis copulatos Anglos in pergula confidentes irruens, paria eorũ tria ex ordine nefarie confodit & pertudit. Quod crudele facinus, cũ & sibi iam iam impendere duo gemini eiusdem ordinis alij viderent, ne tam proteruis manibus præda miserabilis fierent sese brachiis inuicem complexi vltro in mare desilierunt, & suffocati sunt. Quod facinus inhumanum cum nec ipsi Hispani probare possent, latronem istum in vincula indutum ad regem Vlysbonã amandarunt. Qui ob id re cognita, captiuum illum in Anglicam porro mittendum mandauit, vt pro arbitrio suo Regina in illum statueret. Cuius iudicij seueritas etsi ab ipsius cognatorũ intercessione nonnihil mitigaretur. attamen capitis amputandi pœna ipsi irrogata est. Quæ tamen & ipsa, cum parasceues die Cardinalis Vlysbonæ esset, à Capitaneis & officiariis cæteris vniuersis intercedentibus in gratiam & condonationem mutata est, occisore nefario vita donato. *Nefarium cuiusdam Hispani pigniferi facinus.* *Iustissimũ Hispanorum Regis iudicium.*

Commemoratæ binæ Anglicæ naues, quæ Almirantem nauem ad ipsum vsq; castellũ insectatæ fuerãt, postquã (vt diximus) retro in altũ mare cõcesserant, Hispanicã aliam nauẽ corripuere, quæ & ipsa ad dictam classem pertinens, sola in statione desiderabatur. Illã ergo Angli occupantes, quos homines viuos inueniebant, vniuersos in littus citra omnẽ læsionẽ exposuere. Qui si crudele signiferi illius facinus in suis cõmissum pernoscent, longe seueriore pœna in eos animaduertissent. Nauis hæc hac vice capta, eadem ipsa erat, quæ paulo ante in Tercera Regis nomine Anglis prærepta & confiscata fuerat. Quæ postea Hispanis vendita, his deinceps profligatis hoc pacto in Anglorum manus rediit.

Martij 19. die prænominatæ naues quarum 19. numerabantur, & Regis argentum in Tercera cum præfecto *Aluarez de Flores Quiniones* auehebant, littore soluerunt. Hæ vniuersæ rebus necessariis apprime munitæ consenserant, rebus aduersis ad extremum vsque habitum reniti & contra luctari.

Et quanquam cursum suum recta in S. Lucas insulam portenderent, vento tamen nihilominus in littus Vlysbonæ adactæ sunt, etsi *Aluarez* contra venti impetum diuersam viam in S. Lucas moliretur. Ab Vlysbona argentum dein per continentem in Sebiliam tralatum est. Vento itaque nimis propitio & fortunato præter votum suum naues illæ Vlysbonam delatæ sunt. Quod nisi ita accidisset, certum malum non effugissent. Quandoquidem ad promontorium de *P. Vincente* 20. naues Anglicæ classem hanc operiebantur: quam etiam plenis velis arripuissent, nisi ventis cœptum iter Hispanis etiam præter sententiam turbatum esset.

Eodem mense An. 90. in Tercera cometa seu Crinita stella totas quatuor noctes fulsit, cuius cauda versus meridiem extendebatur.

Paulo

Paulo post in Maio ex Angra ad Terceræ stationem Carauella quæpiam ex insula *Faijael*, tauris, ouibus, gallinis, huiusque generis commeatu reliquo multisque hominibus onerata properabat. Quæ tamen aduersis ventis acta, cũ clauum procellis violentis confregisset, tota subuersa est, tribus infantibus & monacho quodam ex ea suffocatis. Cæteri enim natandi arte & eorum qui in littore steterant auxiliaria ope vitam seruauere: omni tamen pecore cũ gallinis mersis, & in littus eiectis. Monacho, quem, quod mortuum cum breuiario suo sub axillis presso inuenissent, inter Sanctos numerabant, exequiæ solemnes & religiosissimę cum oblationibus & Eleemosynis missisque quamplurimis ritu sueto adornabantur.

*Carauella ad Terceram pessum it.*

Primo Augusti die ex Hispania & Portugallia Procuratori Terceræ literis significabatur, quod ante biennium ex Anglia 12. instructissimæ naues soluissent, hoc contractu, vt earum septem Indiam Lusitanicam, reliquæ quinq; Malaccam contenderent. Ex his quinis autem duas ad *Estreccho Magallanes* periisse: tres reliquas saluas littus *Malacca* probe attigisse. Quid vero ibi actum appulissent, nulla significabatur. Septem vero aliæ promontorium *Bonæ Spei* exuperantes, Indiam feliciter viderunt. Ex qua littus de *Malabar* incurrentes, sex Malabarorum Celoces oppresserunt siue ceperunt: quas tamen liberas iterum dimiserunt. Pari ratione & triremes duas Turcicas, per *Estreccha de Mecca* & mare rubrum penetrantes, interceperunt. Ex quibus cum naues suas aromatibus seu speciebus impleuissent, his relictis ad metam sibi præstitutam properauerunt. Quo vero præcise loco id factum sit, nullo explicite documẽto sciri potuit. Rem tamen ita actam fuisse, à Vicerege Indiæ Venetias primo, & post in Madrid expresse nunciatum est.

Aug. 7. è Tercera procul classis quædam Anglica 20. nauium conspecta est, quarum quinque Reginæ signum proferebant. Huius classis, vt postmodum comperimus, summus præfectus *Martinus Furbischer* erat: qui naues ex India Hispanica aut finitimis illi regionibus venturas operiri venerat. Quæ res insulanos, comprimis qui in *Faijael* sunt, timore non leui percussit. Cum enim Angli ad istius insulæ Gubernatorem tubicinem ablegassent, qui vinum, carnes, & ad commeatum spectantia reliqua amice, & non nisi pro numerato pretio pacisceretur: tum insulani legatum non cũ pace solũ non admiserunt, sed & è medio penitus sustulerunt. Quo nuncio ad Anglos relato, cum iniuriam hanc acerbissime ferrent, insulanis liquido renunciauerunt, vt se quam optime possent, prouiderent. Nec enim se vim illam ita simulanter laturos, sed vindicta seria & seuera breui vlturos esse. Cui denunciationi, etsi Gubernator reponeret, se Regis gratia hoc loco constitutum, quæ ad insulam defendendam cunque factura essent, pro iuramento suo virili nisu moliturum esse: nihilominus tamen non omnino à metu vacui præsidium & auxilium à Tercera sollicitarunt: quod ab ea missis pulueris tormentarij aliquot scaphis, tormentis & cæteris necessariis, facile impetrarunt. Ita ergo Anglorum institutum iterum infectum redditum est.

*Martinus Furbischer classis Anglicæ præfectus.*

Aug. 30. die ex Portugallia pro comperto nunciabatur, ex *Carungia* naues 80. commeatu, præsidiis bellicis, pecunia & militibus abunde plenis versus Britanniam soluisse, Catholicis confœderatis contra Regem Nauarræum in Gallia opem & auxilium latum. Eodem ipso tempore duæ Cymbæ Belgicæ ex Portugallia prope Terceram nauigauerant. Quæ in interiore pelago à quatuor Anglicis nauibus, quarum præfectus Ioan *Harckles* fuerat obrutæ, breui tamen citra læsionem omnem liberæ dimissæ fuerant. Hæ Terceram vectæ affirmabant, istarum 4. nauium quamlibet 30. tormentis munitam esse, & Capitaneum *Dracum* cum triremibus & Liburnicis 40. in Canali Anglico classi dictæ ex *Carungia* insidiari. Præterea & 10. alias naues Anglicas ad promontorium *de S. Vincente* excubare,

*Naues 80. contra Nauarræum emissæ. Ioan. Harckles Anglicæ classis Capitaneus. Capitaneus Draco 40. nauib. classem cõtra Nauarræum missam operitur.*

bare, vt, si quæ fors ex insulis naues elaberentur, illas impeterent & expugnarent. Quibus omnibus rebus animi insulanorum non leuiter concussi sunt. Ita enim secum putauerant, si Angli classem Hispanicam non attingerent, & à præda petita aberrarent, fore, vt frustrata sua vota insulanorum bonis inuasis supplerent, ne cum pudore & irrisu ad suos reuerterentur. Qua causa excubiis vndique accuratissimis ordinatis, ad regem de omnibus præfiscine significauerunt.

Primo Septembri in Insulam S. Michael celox Lusitanica ex Brasiliæ portu *Pernanbuco* intrauit, nuncians inibi prætoriam nauem classis Lusitanicæ ex India incurrisse, quod à S. Helenæ insula deuians, necessario cursum suum in Pernanbuco tenere coacta fuisset: quamuis id propter vermiculos, eo cursu naues erodentes sub comminationem grauissimæ pœnæ regio edicto cautum esset. Nauis ista, *Bernardin Riceyro* dicta, prægresso anno 89. cum 4. aliis Carauellis Vlysbona soluerat: è quorum numero quatuor saltem Indiam attigerunt: de quinta interim nullo documento captato, vt periisse illam plerique arbitrarentur. Quatuor superstites modo dictæ pro voto feliciter Lusitaniam tenuerunt, etsi prætoria valde infirma: quod à binis Anglicis nauib. Celocibus obuiis impetita diu tormentis concussa fuerat, multis in ea hominibus cæsis. Quæ tamen diu dubiam Martis aleam experta, hostili manu se tandem eruit.

Eiusdem mensis 5. die ex Coruo insula *Carauella* vna impulit in Tercera vltra 50. hominibus onerata, qui omnes ab Anglis spoliati ibi in littus exponebantur. Hi ex India Hispanica pridem soluerant, recensentes nobis, quod præter istam nauem Angli adhuc 4. alias intercepissent, cum Carauella Regia adhuc vna: & quod Anglicarum nauium ad 40. in insidiis latescerent, quarum industriam & occursum ne vna quidem Cymbula euitare queat. Qua causa nulli Lusitanicarum nauium illam insulam tenere licere, sed per altum Oceanum ad 40. vel 42. gradus Vlysbonam contendere. Sed & promontorium *S. Vincente* ipsis ideo declinari, quod ab Anglis, vniuersum illic loci Oceanum tenentibus, tutus transitus nullus sit.

*Angli indices naues captant.*

Rex itaque classem Hispanindicam, quæ in *Hauana* substiterat, & inde in Hispaniam cogitaret, vt ad futurum vsque annum ibi commoraretur, edicto admonuit, ni cum iactura & detrimento maximo præda dari Anglis mallent.

Decimo nono dicti mensis die Vlysbona in Terceram Carauella vna appulit, officiarium quendam aduehens, qui Regis nomine ex *Malaccana* naui seruata & redempta bona curaret, & inde auferret, quorum nos causa tamdiu ibi substiteramus. Ex Carungia etenim *Don Alonso de Bassam* cum 40. triremibus & liburnicis soluerat, vt in Insula classem Indicam præstolaretur, & bona Malaccanæ nauis ad ostium Vlysbonæ sarto comitatu deduceret. Hæ vero cum nauigando aliquot dies exegissent, ventoque perpetuo aduerso vterentur, insulam tenere nullo modo valuerunt, binis saltem exceptis, quæ à classe reliqua disiectæ fuerant. Quæ tamen, cum classem totam in insulā non offenderent, ad illam requirendam breui iterum ibi soluerunt. Temporis interea Regis consilio mutato, classi Indicæ (vt diximus) ad futurum vsq; annum subsistere, Capitaneo vero *Don Alonso in Carungiam redire* mandatum erat. Id quod ille nulla mora quoque confectum dedit, etsi nec insulam vel è longinquo attigisset, & quos in Coruo Anglos morari sciret, ne semel quidem aggressus esset. Hoc itaque pacto nauis Malaccanæ bona auehi iterum ad sortem meliorem dilata est, nobis interim nolentibus volentibus, vt dicitur, *Patienza per Forza* habentibus.

Octobr. 23. *Terceræ Carauella* vna propinquabat, ex Vlysbona nuncians, eodem 90. anno in Indiam quinque naues ex Lusitania soluisse, quarum tamen 4.

G (cum

*Matthias Albuquercius.* (cum quatuor menses integros tempestatibus actæ oberrassent) in Portugalliam redierunt. Sola prætoria quam *Matthias Albuquercius* moderabatur, cursum promouens, in Indiam delata est, postquam vndecim mensibus in aperto Oceano obuolitasset, valde tamen nuda & lacera. Ex nauigantib. interea 280. obierãt: sicut id ipse ad Cardinalẽ in Vlysbonã misso catalogo nũciauit, cui singulorũ nomina vt etiã successũ nauigationis, & omnes labores euictos hac causa inseruerat.

*Naues rursus aliqua ab Anglis occupata.* An. 1591. Ian. 20. Terceram ex Portugallia nunciabatur, ab Anglis nauẽ quandam interceptã esse, quæ mandatũ Regis ad Viceregem de nauib. reuersuris habuerat. Hæc tantis onerata bonis & diuitiis fuerat, vt numeratæ signatæq; pecuniæ ad 5000000. Ducatos, in moneta Regali 18. baziis æstimata veheret. Hęc Nouembri mense An. 90. ex Vlysbonæ confinio soluerat: & ab Anglis oppugnata, cũ longo tempore sat viriliter restitisset, tandẽ deuicta cum omnib. hominibus in Angliã deducta est: vbi tamen illi nude dimissi, hinc Vlysbonã se receperunt. Nauis præfectus primo quidẽ introitu in vincula coniectus fuerat. Verum quod innocentiæ suæ assertionem probabilẽ faceret, breui iterum dimissus est. Consimiliter eodem tempore nauem quoq; aliam, ex *Myna* auro oneratam: & item duas alias, pipere & aromatibus onustas in Italiam vela facientes interceperunt, quarum solius piperis pondus 170. ducatis æstimatum fuerat.

*Terræmotus in Insula S. Michael.* Iulio mense an. 91. in S. Michaël insula Terræmotus de subito coortus, à 26. Iulio vsq; ad 12. Augusti durauit: vt toto illo interuallo ædiũ habitatio nulli secura esset, sed campis vniuersi se dedere cogerentur, vbi ieiuniis, precationib. & planctibus iteratis euentum expectarent. Misera ruina ædes quamplurimæ decutiebantur. Sed & Ciuitas quædam *Villa Franca* funditus cum omnibus Cœnobiis & ædibus aliis euersa, hominum ingentẽ numerum contriuit & cõminuit. *Villa Frãca ciuitas euersa.* Terra aliquã multis immenso patore locis dehiscuit, rupesq; & saxa à loco vno in aliũ conuoluta sunt, & præalti montes subsedere ita, vt terra plana fieret: vt ista cõcussione violenta naues quoq; in statione fixæ tremerẽt & mitarẽt. Inter cætera scaturigo insignis quæpiã è terra prorupit, quæ cum quatriduo integro aquã pellucentem & limpidam expuisset, post obturata iterum considit. Sed & ex ipsis terræ sinubus cauernisq; tãtus fragor & crepitus obauditus est, vt aliquot Cacodæmonum myriades ibi confremere verisimile esset, multiq; hominum ex desperatione morerentur. Adhæc Tercera insula ipsa quoq; quater tremore valido concussa adeo est, vt tota euersum iri videretur, etsi dãno nullo afficeretur notorio. Huiusmodi terræ concussiones hisce in insulis frequentes eueniunt. Et vix ante 20. annos elapsos tota insula S. Michaël tam valido motu contremuit, vt ab illo mõs quidam prope dictam ciuitatem *Villa Franca* situs, ex dimidio deiectus, illam totam terra obruerit, & hominum numerum ingentem oppresserit.

Augusti 25. ex *Farol* Regia classis 30. nauium, tam *Biscainarum* quã Lusitanicarum Hispanicarumque in Tercera appulit, Celoces Belgicas adhuc decem, Vlysbonæ in Regio seruitium coactas, & alios item lembos Patachiasque secum adducens, quæ classi ipsi in cõmitatu essent, & maris statum omnem percontarentur. Classis hæc naues ex Hispanica India venturas expectatum & sub salua quardia deductum Celoces vero Malaccanæ nauis submersa bona Terceræ impositum, & Vlysbonam auectum venerant.

Septembri 13. classis ista ad insulam *Coruo* appulit, quo loco Anglorum circiter 16. naues Hispanicam superius dictam classem ex India venturam operibãtur. *Richardus Greenvill à suis desertus Hispanis capitur.* Regia ergo classe tam instructa & valida animaduersa, summus Anglorum præfectus *Thomas Havvart* extemplo edixit, vt nec nauium quampiam harum adorirentur, nec citra expressum mãdatum loco cederent. Nihilominus tamen interim Vice Almirans *Richardus Greenvill* nauem suam *Revenge* id est, vindictam dictã, in classem Hispanorum mediam impellens & adigens, tormentis ex omni

latere

latere prorſum vorſum diſploſis hoſtes damno nō leui affecerat, ratus, quos proximos habuerat, vna ſecū hanc aleam intrepide tentaturos. A quib. tamē fœde deſtitutus, mediis periculis iam non aberat. Hiſpanorū itaq; ſeptem vel octo naues cum vncos tabulis inieciſſent, iam propius conflictum nouabant feruidiſſimum. Quibus tamen ipſe ne latum quidem vnguem cedens tam pugnace fortique manu conſeruit, vt pugna ad horas vſque 12. viriliter protracta, naues adhuc binas in ſolidum comminueret & mergeret. Tandem tamen & numero & viribus minor, cum Hiſpanorum detrimento maximo eneruatus & captus eſt. Qui vel maris vertice, vel pugnæ feruore extincti Hiſpani fuerant, fere 400. fuerant: Cum Anglorum interim vix 100. occubuiſſent, cum *Vice* Almirante *Richardo Grenvill*, qui tormento cerebrum læſus, eo vulnere poſtmodum occubuit. *Captus Grenvill* in *Generalis Hiſpanici* præfecti nauem *S. Paulo* nominatam, illatus, à Chirurgis Hiſpanicis curat⁹ & deligat⁹ erat. Quē etſi *Don Alonſo* nec ad alloquiū nec ad viſum admitteret: à nobilibus tamē & Capitaneis cæteris viſitatus, ꝓpter præſentis ſtatus fortunā conſolationē accepit amicam, nimirum eius ſummam conſtantiam & animi magnitudinem pleriſque admirantibus. In decumbente nullum vſpiam animi mutati ſignum apparuit. Qui tamen iam mortis horam præſentiens, quaſi nulla parte infirmus in hæc fere verba linguæ Hiſpanicæ prorupit. Ego Richardus Greenvill animo pacato & optime ſibi conſcio iam morior, qui, vt fidiſſimus miles, pro patria, Regina, Religione, & honore honeſtiſſime depugnaui: vt iam cum gaudio & alacritate ex hoc corpore exiliam, vno iſto monumento contentus, quod ſtrenui & generoſi ducis æternum nomen conſecutus ſum. Cæteri vero mei non ſocij ſed deſertores improbi, quod tyrannos & nefarios perditores ſe præſtiterunt, ea cauſa omni vitæ ſuæ curriculo infames & contempti oberrabunt, & tandem cum ineluibili infamia poſteris relicta animam ſuam cruentam deponent. Quibus verbis nouiſſimis cum admiranda conſtantia expirans, in mare defunctus exturbatus eſt. *Rich. Greenvill obitus conſtās.*

Richardus hic Greenvill nobilitatis ex Anglia primariæ erat, quotannis de patriis bonis ingentes reditus ſortitus. Animi tamen inquieti & ad bella cædesque valde propenſi erat: adeoque creditus huius vnius impulſu Reginæ ſua officia addixiſſe. Multis egregiis facinoribus patratis apud plerosque magni nominis erat, ſed iuxta tamen ſtrenuus & immitis, & ob id vel apud ſuoſmet exoſus & formidatus. *Genus & ingenium Greenvill.*

Nam poſtquam vt ſupra dictum eſt, claſſi ſe Hiſpanicæ ſolus immerſiſſet, & nauta reliquas pone ſubſiſtere videret, naues, maius velum decidi iubens, nauem ad fugam capeſſendam conuertere ſatagebat. Quod attendens *Greenvill*, ſuſpendium tum illi nautæ tum cæteris omnibus, quicunque manum huic rei imponerent, ſerio comminatus eſt. Quod eius violentum mandatum tum ad pugnam vrgendam, tum ſe dein captiuos dandos ipſi cauſæ fuerat. Naturæ & complexionis erat tam ſolidæ & firmæ, vt, ſi quando, fors cæteros Capitaneos conuiuio adhibuiſſet, tria quatuorve vitra vino completa & abſorpta, ipſa deinde pro ludo dentibus contrita & minuta degularet, dentibus interim labiisque ſanguine diffluctibus, nec porro noxam vllam ſentiens. Cæteri captiui Angli, vt militum Dux, ipſi milites, & nautæ partito nauibus illis cedebant, à quibus ſinguli capti eſſent. Ipſæ naues autem, hac victoria partæ, pleræque deformes & confractæ fuerunt, militibus ſauciis vſquequaque confertæ: vt hac cauſa in Terceram ad vulneratos ſanandos & naues reſarciendas contendere omnino cogerentur. Claſſis interim Hiſpanica cætera in coruo ſubſiſtebat, naues venturas expectans vſque ad ſeptembris diem vltimum: quo cum collectæ naues 140. fere conueniſſent, & iam vno comitatu in inſulam Terceram vela facere vellēt, derepente tanta tempeſtas cum furente turbine concitata eſt, vt ſimilem nullius *Greenvill corporis robur.* *Inaudita in Tercera tempeſtas.*

hominis memoria fuisse, insulani liquido deierarent. Oceani æstu insulam Terceram funditus mersum iri videbatur, vndæque maris crepidinibus tam alto ructatu illidebantur, vt & pisces simul innumeri in Continentem excuterentur. Tempestas hæc inusitata labrocera permixta ad dies 7. vel 8. violenter continuabat, vt ex oberrantibus nauib. ad Terceræ saltem littora vltra duodecim miserabiliter perirent, ne de iis quid dicam, quæ aliis & disiectioribus locis illisæ perierunt quã plurimæ. Nam postquam dein sedata hæc tempestas fuisset, diebus 20. integris præter extrahendos & expiscandos homines nihil actum est, qui rupibus & littoribus maris adhærescerent. Inter mersas istas naues *Reuenge* quoque Anglica nuper capta fuerat, quæ saxo littorali violenter illisa, frustillatim confracta subsedit. Harum in numero Belgica quoque Celox vna fuerat *Columba* alba dicta, cuidam Cornelio *Martins de Schiedam* Hollando propria. Qui cum præfecti serio mandato iuberetur, vt in procul iam conspectam Terceram recta impelleret: ipse videns huius facti ineuitabile periculum, præfecto hortator fuit, vt ad vndiquaque prominentes scopulos cautius attenderet, & nauem cum viris omnibus certo interitu non obiiceret. Sed de hac responsione à præfecto acriter obiurgatus, & adacto baculo probe depulsatus, quod noluit, in communem omniũ cladẽ parere coactus est. Pleno ergo cursu in Terceræ fines nauis directa, prædictis scopulis haud segniter inserta obhæserat. Quod videns nauta *Cornelius Martins*, vir senex & canus, filij sui eadem naui vecti, collum amplexus, cum osculum ei nouissimum attulisset, admonuit, ne de patre suo porro quicquam angeretur, sed hoc vnum ageret, vt se suamque vitam propriam enatando seruaret. Tu enim mi fili, dicebat, & iuuenis & robustus, euasionis spem aliquam in te ipso habes. Ego vero vietus & infirmus iam senex, si mergar quidem, dãno nulli futurus sum. Quæ verba cum vberibus & feruidissimis lachrymis vix præfatus esset, nauis saxis & rupibus illisa violento crepitu comminuta dissiliit, adeo, vt ad latus vnum pater, ad alterum filius excuteretur. Quo facto, etsi proximum quodque tum omnes arriperent, maris tamen immani æstu turbante vix 15. vel 16. ex omni numero sese seruarunt, & hi ipsi quidem tum bracchiis tum cruribus adhuc fractis aut læsis. Quorum è numero nautæ dicti filius quoq; fuerat, cum pueris Belgicis fere quinque patre iuuenis, vt & ipso instigatore præfecto cum Hispanis & militibus cæteris omnibus maris aluo absorptis. Cæteras insulas fortuna haud æquior exercebat: quandoquidem in *S. Georgie* insula duæ: in *Pico & Gratiosa* tres, naues pessumiuerũt, ne de tabulis & fragmentis nauiũ quid dicam, quæ aliunde ad has insulas tam immensa copia inuecta fuerant, vt vniuersum mare illis quasi totum obtectum esset. Ad *S. Michael* insulam naues quatuor perierunt. Intra hanc & Terceram tres adhuc aliæ mergebantur, ita vt vtrinque suffocandorum clamor & planctus obaudiri posset. Aliæ patulum mare tenentes, velis antennisque omnibus confractis, nihil mitius habitæ fuerant. Vt ex tota illa 140. nauium Hispanicarum classe vix 32. aut 33. Hispaniam & Lusitaniam attigerint. Et hæ tamen ipsæ infinitis prius ęrumnis & distractionibus concussæ: adeo vt portus illos nunquam binæ coniunctæ incurrerint, sed semper singulæ indies singulas consecutæ sint. Iam quis iacturam hanc tot & nauium & mercimoniorum mersorum secum sufficienter expendere possit? *Reuenge* itaque nauis captio Hispanis damno non inficiabili fuit: quæ vna post se tot ærumnas traxit, vt nullo posteritatis æuo commode obliterari queat. Sed Hispanici furoris & superstitionis tyrannicæ has meritas Dei pœnas esse, & omnes pronunciarunt, & rerum omnium successus docuit. Cum enim ex Hispanica India 50. primum naues vna societate soluissent, tempestate rapida illico 35. concussæ, funditus perierunt, vix 15. ex illis seruatis.

*Multæ naues occumbunt.*

*Reuenge nauis.*

*Columba alba nauis.*

*Casus miserabilis Cani patris & filij iuuenis.*

*Ex 140. nauibus vix & agre 33. seruata.*

*Naues 35. merguntur.*

Ex famosa illa S. Domingo classe dein, ad ostium portus *Hauana* naues 74.

mersæ

mersæ sunt, inter quas & Almirans & ViceAlmirans non vltimæ fuerant. Ex terra firma Indiæ naues binæ auro oneratæ, Anglis præda datæ & captæ sunt. Priusquam Hispanica classis insulæ *Coruo* admoueretur, Angli iam distinctis vicibus naues Indicas vltra 20. occupatas in Angliam commiserant. Quæ omnia documenta haud obscura vindictæ diuinæ sunt, qua Hispanicam crudelitatem nonnihil coercere statuit, dum deploratam cœcitatem illorum totali interitu castigaturus sit.

*Naues Indica 74. pereunt.*

*Angli 20. naues capiunt.*

His ergo & similibus gestis, aduersitatibusque gliscentibus bona residua Malaccanæ nauis iterum prohibita auehi, morā nobis longiorem crearunt, nouum Regis mandatum ob id expectantibus. Quod tamen cum curatores piperis & reliqui mercatores, qui bona sua in Tercera ex mersa Malaccana naui tuebantur, longius protrahi, & indidem nouos prętextus afferi viderent: Regiæ Maiestati misso & subscripto libello supplicarunt, vt eius permissu & venia, cuilibet suo & arbitratu & sumptu bona sua auehere liceret. Quod tandem vt à Rege impetrarunt: sic iussi sunt, Terceræ omnia bona recensere & consignare, & ea sub fideiussoris certi conductu Regij vectigalis causa Vlysbonæ in fornicem Indicum (domus mercatoria Regis est) deponere. Sic ergo mercatores *Vlißingensem* quendā conduxerunt, qui merces & aromata omnia (pipere excepto, de quo auehendo nullum Regis adhuc consensum habebant) naui imposita in Lusitaniam traijceret. Nauis hæc ad finem mensis Nouembris in Tercera appulit quidem: sed nihilominus tamen illam prima quauis tempestiuitate onerari, & ab insula moueri, alacriter laboratum est. Eo enim tempore viæ ab Anglis tutiores fuerant.

Iam ergo naui & mercibus dictis, & necessariis aliis omnibus onusta, è Tercera Vlysbonam versus bono auspicio soluimus: quo etiam, vix exiguis aliquot tempestatibus acti, nihilque quicquam præter decem Hollandicas naues, frumentum *Lyornam* in Italiam vehentes, in occursum nacti, gratia diuina Ianuarij 2. ann. 92. optate appulimus, ex quo loco ego ante annos nouem primum in Indiam solueram. Ibi ergo rebus meis expedite confectis, 17. Iulij versus *Sentuual* profectus, naues aliquot Hollandicas ibi offendi, cum quibus 22. eiusdem mensis die auectus, propter aduersum ventum, altum tenentes Hollandiam affectaui. Nauium sociarum erant duodecim. Cum ergo 27. Iulij perpetua tempestate ageremur, nauis nostra in aliam tam violento impetu impingebat, vt submersionis periculum modo non extremum prostaret. Alterius enim nauis antenna malo nostro tam præfracto insultu illidebatur, vt ab eo comminuta & confracta, nauem segniorem, & ob id post nos subsistentem faceret. Sed societatis nostræ & alia hiatibus aliquot findebatur, vt gubernator illam in littus agere omnino cogeretur.

*An. 1582. 2. Ian. Lindschotanus Vlysbonam appetit.*

Iam ergo decem naues nostræ sociæ, cum 1. Augusti altitudinem maris 90. milliarium teneremus, è longinquo naues peregrinas tres videbamus, quæ tamen aspectui nostro se breui iterum præripuerant. August. 4. quatuor aliæ naues nobis se permiscebant, quas cum *Biscainas* esse auguraremur, in eas aliquot tormentis effulminatis propulimus.

Aug. 16. vento aduerso adhuc continuante, cum vltra 15. *Passageros* (sunt ij homines, qui præter mercatores, nautas, & eos, quorum in naui aliquid interest, naui vehuntur) haberemus, victualia nostra paulatim minui cœperunt. Pro proportione ergo frumentum & cætera, quæ victus sunt, ex ordine dispensare iam coacti fuimus.

Aug. 18. orta aduersa tempestate nauium nostrarum disiectas tres desiderauimus, ad sequendum tardiores.

Aug. 24. plumbo misso fundum tenuimus, quod nobis gaudio singulari fuerat, cum Canalem Angliæ nauigare nos sciremus.

Aug.27. Cum Canalem iam teneremus, celoces duæ Angliçæ naues nõstras visitatum approperabant: quæ tamen littus breui repetebant. Postero die insulam *Wicht* ad littus perpetuum præternauigauimus.

*Chela Anglica.* Aug.30.ad *Chelas* seu maris aggeres illos peruenimus, apud quos nauium Reginæ vna anchoris defixa, nobis visis ad littus Angliæ nouit. Postea apud *Douer* 4.viros in littus exponentes, vento secundo paulatim vti cœpimus.

Septemb.1. Cœlo adeo turbido & obscuro nauigauimus, vt terram nullam internosceremus. Circa vesperam nostrorum duo ad nos cymbis redientes significarunt, terram illam, quam teneremus, esse *Texel*, & vt eorum vestigia ponè legeremus, monuerunt. Postea cum cœlo sereniore terram & nos videre possemus, arbitrati illam *Texel* esse, quæ tamen *Vlieland* erant, illarum cymbarum geminarum vestigia declinantes, rectà visæ terrę approperabamus: ad cuius tamen muros & littora, tam valido motu illidebamur, vt periclitaremur haud modicè. Vnde primum nos lusos opinione nostra deprehendebamus, maxime cum cæteras naues quoque aliam in *Texel* viam tenuisse recordaremur. Ventus nos ibi vrgebat acerrimus: & ad muros tanto præcipitio inuecti eramus, vt iam in altum repetere difficile esset. Sed importuno & insperatoque turbine malo fracto, iam plane decreueramus, in venti commoditatem maiorem anchoris niti. Paulo post vento tamen considente, omni nisu motuq; nos promouentes, ante Solis occubitum in *Texel* incurrimus, & anchoras ibi iactauimus.

*Tormentorũ magister laditur.* Postero diluculo (dies Septembris erat 2.) cum iubili gratia tormentorum magister signum daturus esset, ignis trullæ incendiariæ illapsos manum ei dextram totam detruncauit, & aliquot corporis partibus aliis comminuit & collæsit. Quo casu gaudium nostrum ex parte iterum interturbatum est.

*Lindschotanus ab annis 13. domum redit.* Septembri tertio tandem bono successu ciuitatem *Enckhuysen* ingressi sumus: vbi, postquam annos continuos 13. & menses binos cum dimidio abfuissem, matrem meam cum fratribus & sorore saluos incolumesque votiue salutaui. Quibus infinitis pro beneficiis Deo patri æterno, & filio eius IESV CHRISTO, vnà cum S. Spiritu gratia & laus, & benedictio sit, in secula seculorum. Amen.

FINIS.

INDI-





# INDICA HISTORIA, QVA HOLLANDICARVM NAVIVM CVRSVS, SVCCESSVS ET ACTA CVM EXPLICATIONE RELIGIONIS, MORVM, RITVVM, ET HAbitationis earum gentium, quas Hollandi adierunt: Quæ item apud easdem numiſmata, quæ aromata, quæ commercia vſitatiora ſint: & quo inſuper pretio ſingulæ merces veneant, accuratè deſcribuntur.

## Caput I.

### *Cauſæ, quæ Hollandos ad Indiam tentandam compulerint.*



MAIORVM noſtrorum ætate, Candide Lector, Belgica natio negotiationis & mercaturæ exercendæ cauſa peregrinas terras nullas adiit, ſed ſuo qualicunque quæſtu contenta, ſola ex Hiſpania merces accurauit neceſſarias: nec arreſta interim nauium iniqua, nec iniuſtas bonorum confiſcationes, nec mercatorum nautarumque temerarias incarcerationes, ea qua quidem debuiſſet, indignatione ſuſferens. Quæ omnia eo velo prætextuque ab Hiſpanis quidem agitabantur, quaſi hoſtiū ſuorum ſubditi, inquiſitionis cenſuræ omnino ſiſtendi forent: aut ſaltem, vt Regi, ipſorum officiis opus habenti, gratis abſque mercede ſeruirent. Etſi vero tolerata hæc diutius iniuria Belgio toti certo detrimento incommodoque eſſet: nihilominus tamen ſpe quotidiana futuræ moderationis lactati, iugum hoc tyrannicum ad annum vſque 1594. patienter & Chriſtianè tulerunt. Quo currente, cum iniurias indies aſperari, patientiaq; ſua non niſi cumulari viderent, & claſſem regiam iniquis exactionibus & contributionibus ipſorum contra ſeipſos firmari attenderent: damnum id & iam acceptum pridem, & deinceps porro ſuſtinendum mercatorum quidam trutinantes, de Campania quadam ſeu ſocietate quatuor nauium in Indiā orientalem emittendarum accurate deliberarunt & conſenſerunt. Quod enim à Luſitanis ex India quotannis ingentes opes theſaurosque conuehi pernoſcerent: ideo ſibi hanc quoque tentandam aleam arbitrati ſunt, num forſan cum inſulanis Indis, Luſitanorum dominum non agnoſcentibus, conſtantem & perennem negotiationem paciſci, & hoc pacto tum Hiſpanorum iniurias declinare, tum vero aromata & mercimonia cæ-

*Batauorū grauamina in Hiſpania.*

*Nauigatio Batauorū in Indiam ann 94. decreta.*


nia cætera (hactenus ex Hispania ipsis petita & prompta) cùm magno statuum & mercatorum Belgij cõmodo & prouentu in Hollandiam rectà traijcere possent.

*Nauium 4. instituuntur.* Sententia itaq; hoc pacto rata, an. 1594. mense Maio quatuor naues instruxerunt: quarũ duæ vasa seu onera 460. tertia 260. quarta (pinas erat, reliquis nauibus officiaria) 25. ferebat. His nomina *Mauritius, Hollandia, Amstelrodamum, & Columba* indiderunt. Quas postquam 23. æneis, & 43. fusis, & 36. saxamittentibus tormentis, adeoq; 249. militibus præsidiariis muniuissent & adornassent, ad vrbem Amstelrodamum lustratæ & recensitæ, 4. Martij soluẽtes rectà in *Texeliam* vela fecerunt, quo etiam 21. eiusdem appulerunt.

*Autor nauium commissarius cõstitutus.* Ego vero, cum iam à pueritia mea visendarũ exterarum gentium & nationum desiderio tenerer, mirifico à mercatoribus & societate reliqua Cõmissarius nauium constitutus, 29. Martij cum quibusdã aliis officiariis *Texeliam* profectus April. 1. nauem conscendi, vt iter præstitutum in nomine Domini inchoarem.

# Caput II.

## *Quo tempore ex Texelia soluerimus: quid item ab eo loco vsque ad Cabo de Buona Esperanca nobis acciderit.*



ANNI 1595. April. 2. die dictæ 4. naues ex *Texelia* soluerunt 3. quinq; naues nobis in Hispaniam velificãtes iunctæ sunt. 4. in Canalem intra Calais & Douer inuecti, cum Angliæ Reginæ naui & eiusdem *Pina* collocuti sumus. Ibidem 4. alia è longinquo nobis vela conspecta sunt: quibus ob id Reginæ nauis cum *Pina* sua in occursum perrexit. Ad Solis occubitum insula *Wicht* nostro conspectui apparuit: ad quam Anglicæ quædam naues anchoris nisæ videbãtur. 5. *Heyssant* prouidimus. 7. Dictæ naues 5. à nobis recesserunt, littus Hispanicũ occupaturæ. 9. maris altitudinem 25. milliarium tenuimus. 11. pro nautico ritu sociorum nostrorũ aliquam multos baptisauimus seu initiauimus: quo loco milliaria 50 à *Berlengas* ad gradus 40. aberamus. Plenis itaq; velis adeoq; vento secundo nauigantes, 14. huius mensis die nauis quædã comparuit Carauella, quæ ad *Cabo S. Vincente* properabat. Die ab hoc 2. duæ nobis insulæ cõspectæ sunt, quæ à Porto sancto intra meridiem & ortũ sitæ erant. Postea parua insula, *Los Xerxes de Madera* nobis prospecta est. 19. manè insula *Palma, Cenarise, Gomera,* & vesperi *Hierzo* prodiit, ad quam cum properare quoddã velum cerneremus, nauem illam concitatius insequentes, homines alloqui, & ad nostras literas ipsis committere satagebamus. Qui tamen noctis illapsu nobis euanuerunt. 25. prope insulam *Buona Vista* traiecimus, valde saxosam & scrupulosam. Hinc in *Mauu* progressis anchoras mittere visum erat. Ab occidente insula *Iago* Lusitanis habitata promicuit. Interim cum disponendis aliquot tormentis occuparemur, nostrum quidam in *Mauu* excurrentes, ibi ruinosa bina fana cum aliquot ædibus laceris, ab hominibus tamen omnino vacuis offendimus. Insula ipsa vero sitiens & arida, tota fere scopulosa, prouentum tamen capreolorum, gallinarum barbaricarum auiumq; consimilium haud tenuem habebat. Sed & sale è mari excusso abundat: etsi iste propter maris humilitatem seu effusionem colligi ægre possit. Orientem versus scaturigo aquæ dulcis prodit, ad quam arbores quædam *Cacas* conspiciuntur. Hoc loco multas capreas captatas, ad nauem auximus. Postera die in terram denuo egressi,

*VVicht insula.*
*Heyssant.*
*Los Xerxes de Madera.*
*Buona Vista.*
*Mauu insu.*

egressi, equos. 11. inuenimus. Sed & hic capreis rursus aliquot stratis, & naui ingestis soluentes, cursum nostrum ad gradus. 5. intra orientem & meridiem tenentes, 29. dicti mensis die Solem in Zenith habuimus.

Maij 4. Sole oriente ex altitudine 6. grad. duas Lusitanicas Karakas (naues sunt certi generis) conspeximus, ad quas omissis scaphis percontati sumus, quanto interuallo nos à Continente abesse arbitrarentur. Quæ nos ad 80. milliaria altum tenere responderunt. Dictæ hæ *Karakas* ante 20. dies proxime elapsos Vlisbonæ soluerant, vehentes ex Goa Archiepiscopum 450. militibus, & 150. nautis stipatum, & insuper 18. æneis tormentis munitum. Quibus vicissim de nostro instituto quærentibus, terras nos quærere Regi Hispaniarum nō subiectas responsum est. Illi ergo nos marmellada & cōfectionibus donantes, à nobis pro recompensatione caseos aliquot & pernas missas receperunt. 9. Maij tempestas nos corripuit, sed non diu perseuerans. 10. è longo 7. naues conspeximus, quas tamen propter malitiam maris nō nisi à posteri diei meridie attingere potuimus. Earum quinque Belgicæ, & duæ Barckas Lusitanicæ fuerant. Vtrinque ergo nos internoscentes, & honoris gratia aliquot tormenta displodentes, cymbis expositi ad eos aduecti sumus: illis conditaneis quibusdam & saccharo nos donantibus, nostris vero cereuisiam & esculenta quædam alia ipsis reponentibus. Ad vesperam cum mutuo valedixissemus nobis, secuta nocte nauem Mauritium cum Pina nostra desiderauimus: quæ tamen à posteri diei meridie ad nos repetiuerunt. Prætoriæ nauis supradictarum antegressa nocte à fulmine antenna confracta & comminuta erat. Eo tempore fere fluctibus æstuosis ita agebamur, vt ad 5. vel 6. dies retro compelleremur. Cursum tamen in Brasiliam contra venti impetum quocunque nisu promouentes, iter nostrum continuauimus. Venti dicti, hoc loco intra meridiem & ortum fere flantes, nunc quiete, nunc copiosis imbribus (Trubnades Lusitani vocant) permisceri solent: qui tanto impetu & fragore deruunt, vt omnia ab eo pessum itura videantur. Ideoque diligenti cautione opus est, ne securæ naues ab illis opprimantur: sicut secunda Lusitanorum in Indiam orientalem nauigatione accidit, qua quatuor naues ab illis submersæ fuerant. Ab imbribus mare iterum tam placidum & tranquillum apparet, vt gelu totum obductum videatur. Tempestas hæc vltra horam cum dimidia vix durat.

Iunij 4. die Euronoto valde feruido & tranquillo, qui inibi & porro ad Abrolchos totum annum spirat, perreximus vltra lineam æquinoctialem. Qua transcensa nauigantibus necesse est orientem diligenter tenere, vt Abrolchos dictos (scopuli seu monticuli littoris Brasiliani sunt, ad milliaria 30. in mare porrecti) euadere & transmittere possint. Ibi enim qui errat, omisso cursu necessario reuerti cogitur. Dictos itaque scopulos 25. nominati mensis die ad grad. 18. eleuat. Poli Antarct. cum ingenti gaudio præteruecti, vino & epulis diem illum hilariter mutuo confecimus. *Abrolchos scopuli marini.*

Iulij 1. die è nauigantibus nobis primus diem suum obiit: & eodem fere tempore propter perpetuos salitos cibos inter cæteros quoque molestus morbus, Scorbutus dictus, obortus est. 12. Iulij vento prædicto cessante, Zephyri ad grad. 30. spirare cœperunt. Sed & morbus indies inualescens valde nos afflixit. *Scorbutus nauigantes infestat.*

Augusti 1. quasdam discretis locis algæ congeries conspeximus, Trombas dictas: quod bono nobis augurio acciderat, præsertim cum & aues quasdam rostris albis, & plumis ex cineritio colore variegatis, à terra plerumque haud procul degentes obseruassemus. *Aues boni ominis.*

H Caput

# Caput III.

## *Quo tempore Cabo de Buona Esperanca apparuerit: & quid illic regionis euenerit.*



VG. 2. die dicto vento Septentrionalem plagam versus impellentes, cum in conspectum nobis *Cabo de Buona Esperanca* daretur, valde gauisi sumus. Iuxta littus itaq; contendentes, plumbo iacto 57. *Orgyas* deprehendimus. Sequenti die fluuius quidam conspectui nostro datus est; & ad vesperam C. de Aquilhas, terra depressa & sinuosa apparuit: quo loco *Orgyas* 35. tenuimus. Inde ergo à littore reuersi, in idem tamen 4. August. reuoluti sumus, à tergo depressum illum angulum conspicati, de quo prius diximus. Pina itaq; nostra in sinum excurrens, cum locum anchoris iactandis nullum idoneum inueniret, signo ex tormento dato perrexit, & ad *Baia Aquada de Sambras* aduenit, quæ ventis omnibus præter Septentrionalem exposita, circumquaque terra duplici vestita est. Ad *Orgyas* itaque 10. vel 12. anchoris nixi decreuimus, vt sequenti die viri octo in Continentem è nobis exponerentur, terram illam peruestigatum. Quod cum fieret, scapha, quæ orientalem partem tenebat, ab interitu parum aberat, cum importuno vento in breuia impegisset. Illa tamen inde rursus extricata, cum dicti octo viri nauem egressi, terram illam circumeundo vndiquaque perlustrarent, accidit, vt interea viri septem scaphis relictis appropinquarent, toti atri & nigricantes: qui nostrorum quoque vestigia dein legentes, cum illos attigissent, ab iis linteis, crotalis & speculis, & laneis vestimentis aliis placati & donati, ea, vt nulli vsui sibi futura abiecerunt, vina tamen & biscoctum panem non spernentes. Vespera ergo acclinante, ad naues nostri redibant. Ego interea in breuia seu aridum quoddam inuectus, inibi luporum marinorum, auiumque *Pegnies* dictarum copiam tantam inueni, vt locus illis totus contectus esset. Qui ad nostrum appulsum ne latum quidem vnguem locum mutare velle visi sunt. Illorum ergo ingenti mole confecta, cutis tam solida & dura inuenta est, vt acinace ægre penetrari potuerit. Quibus ob id scapham nostram adimplentes, adque nauem nostram reuersi, illas inter nauigationis socios æque partiti sumus. Locus iste, quo lupos offendimus, fœtore tetro ita vitiatus fuerat, vt prope fidem narrantium excederet.

*Baie Aquada de Sambras.*

*Marini lupi. Peguies aues.*

Aug. 6. scaphis tribus terram appellentes, cum ego illam percontatum exirem, iucundam eam & odoriferis tum arboribus, tum syluis confertam inueni. Cum aliquousque progressi essemus, è colle quodam nostris ad scapham relictis signum dedimus. Ibi autem vestigia tum hominum, tum pecudum, tum perdicum notantes, frusta quoque speculorum & crotalorum deprehendimus, quæ nigris viris progressa die dederamus. Sed & fasciculum lintei in campum abiecti recollegimus. Incolarum eiusdem loci cum postea ad scapham nostram quidam accessissent, eorum vestigia sequi statuimus. Quod dum faceremus, è conspectu nostro breui disparuerunt, ita per saltus illos & syluas industrie sese proripere norant. Quibus tamen mox reuersis, cum signis & nutibus qualibuscunque innuissemus, vt pro ferro, quod ipsi *Cori* vocant, nobiscum pecudes permutarent, petitioni nostræ annuere visi sunt. A meridie itaque adhuc viginti viros littori exponentes, percontati sumus, si fors vspiam apud incolas diuerticulum quoddam nancisci possemus. Sed frustra omnia. Incolæ siquidem, etsi cum nostris quidem aliquousque promearent, via tamen

*Cori Nigris ferrum est.*

rectâ

rectâ & constante nulla vtebantur: sed nostris progressis, iam comites ibant, iam stantibus, iidem in talos considebant. Ita ergo nocte appellente nauem nostram repetere coacti sumus.

Aug. 7. matutino tempore scaphis nostris ad terram rediuimus, ea sententia præsumpta, vt incolas pago quodam suo vel habitaculo alio inuiseremus. Comitatus virorum instructorum 23. erat. Viam ergo semihoræ emensis incolæ occurrentes oues sex apportabant, pro quibus ipsis contum ferreum 30. pondo, vna cum pecuniæ aliqua portione reposuimus. Hi ergo cum æquis partibus ferrum inter se diuidere non possent, sed mutuis altercationibus discinderentur, fumo ex lignis succensis excitato sociis suis signum dare nobis visi sunt. Quo à nobis tamen suffocato, cum ipsi abreptis secum binis ouibus aufugerent, nosque cum cæteris quatuor ad naues acceleraremus: ipsi clamore quodam nos ponè insectati, velle se oues ad nos agere adhuc plures, promittere visi sunt. Circa vesperam itaque redeuntes, & pacem sancientes, à nobis vino Hispanico donati sunt, addita conditione, vt postero die pecudes ad nos plures deferrent, & à nobis vicissim ferrum acciperent. Interim vasa nostra aqua dulci repleuimus, quam ad latus occidentale ex fossa quadam hausimus. Ex signis autem quibusdam conijcere erat, ante nos & nationes alias ibi sese refecisse: cum non procul à scaturigine dicta versus meridiem vallum quoddam ex lapidibus congestum conspiceretur, quo se peregrinus quasi in tuto receptu tenuisse credibile erat. Sequenti die cum aquatum iterum egressi essemus, ostreas quasdam piscati in illis vniones inuenimus, vbi tum & odoratas quasdam herbas, magna copia ibi virentes, legimus. A nostris autẽ qui ad speculas stabant, admoniti sumus, venire cum suis pecoribus quosdã incolas. Cum quibus postquam ferrum permutassemus, promissione de pecoribus pòst pluribus adducendis accepta, ad naues rediuimus. Augusti 9. incolæ pecora multa nobis adducebant: à quibus eodem die pro cultro carnario bouem solidum, vt & pro cultro veteri exeso cellario consimilem accepimus. Cum vero pro recenti eiusmodi cultro boues duos exigeremus, ipsi vero vnum tantum, sed grandiorem nobis deferrent, distractis animis digressi sumus. Sequenti die tamen iterum cum iis paciscentes, merces nostras sacco apportatas ipsis spectandas apposuimus. Quibus illecti iam de emptione quasi inter se certabant. Pro baculo itaque ferreo 70. libras appendente, in frusta 5. comminuit, duos præpingues tauros & item oues tres recepimus. Sed & pro incuruo cultro, pro securi, pro pala, pro breui iaculo ferreo, pro cultro alio, & parua crudi ferri portione tres boues & oues quinque abstulimus, quę tamen omnia collata pretium quatuor florenorum Belgicorum non superabant. Et nisi ferri inopia fuisset, pecoris quamplurimum permutando acquirere licuisset, cum greges ingentes taurorum & ouium ad montium pascua oberrantes videremus. Quos tamen redire sequenti die iubebamus. Homines hi staturæ breuioris sunt, coloris veneti rubore perfusi. Nudi pelle bouina crines introrsum versos habente, & ad pallij modum parata amiciuntur. Lumbis fascia lata ex eodem corio decisa succinguntur, cuius portio propendens pudendo obditur. Calceorum loco quidam asseres tenues plantis suffixerant. Brachia armillis ex ebore & cupro politis ornant: digitos vero quidam etiam annulis ex auro, vt & globulis ex osse & ligno factis cingunt. Corporibus suis stigmata varia & discreta inurunt. Hi quod adipe & seuo perpetuo se oblinant, odorem aduersum & tetrum semper spirant. Nec domos ipsorum, nec fœminarum vllam conspeximus. Certis tamen ex signis augurabamur, eos sub dumetis ignes suos sufflare, attritis inuicem duobus lignis conceptos. Sub noctem istorum ignium passim plures obseruauimus. Pro vsibus & victu nostro si fors aliquando bouem mactassemus, ipsi intestina rogantes, eadem

*Margarita ex ostreis.*

*Permutatio Glauci & Diomedis.*

*Incolarum statura, formamentis.*

cruda adhuc excrementis vix obiter emissis ad nostrum conspectum ita deuorabant. Delicatius victuri bouinum corium 4. palis suffixum, & aqua instar cacabi adimpletum igne suffouebant: in quo intestina leuiter calefacta pòst pro deliciis ingularunt. De moribus vero horum cæteroquin experiri nihil potuimus: nisi quod difficulter & anhelose loquantur, ad modum populorum Alpes Iulias incolentium, qui ex vitio niualis aquæ strumis affliguntur. Sed & circa collum fragmenta quædam ossium & resiccatæ carnis portiones ipsis loco ornamenti obhæserant.

*Cacabus coreaceus.*

# Caput IV.

## *Quid ex Aguada Sambra soluentibus vsque ad insulam S. Laurentij euenerit.*



CIRCA Augusti diem 11. etsi ad collium huius loci pascua copiam pecorum errare numerosam videremus, adeoque nobis commeatus nulla desperatio esset: attamen, quod, qui aquatum emittebantur, perpetuis madoribus eneruarentur: morbus insuper quoque paulatim genua eorum inuaderet: tandem etiam aduersa ex austro tempestas, contra quam parum tuti eramus, nobis valde minitaretur: his ex causis statutum & decretum est, vt confectis & adornatis ad vesperam velis inde resolueremus.: Quod cum fecissemus, mixtis ventis & tempestatibus intra orientem & occasum ad 2. Septemb. vsque decurrimus. Quo interuallo cum sociorum pars maxima ægresceret, multi quoque in totum morbo dicto perimerentur: consilio alio inito, proram ad inquirendam S. Laurentij insulam vertere consultũ visum est, quæ etiam die secundo nobis optato detecta est. Quæ vt plana & æqualis videbatur: sic vicissim *Cabo S. Roman* collibus & monticulis multis aspera comparuit. Quam incursuri, cum ab æstuosis fluctibus & sæuis renitentibus ventis abstineremur, 6. Septemb. ad angulum Septentrionalem declinantes, nauibus nostris stationem tutã, & nobis ipsis refectionem meditati sumus. Cuius rei gratia cum ex naui Amsterdã scapha sex viri sese in Continentem Cabo S. Maria emitterent, sex viros conspicati sunt, qui tamen illico ad eorũ aggressum profugerunt. Nostrates itaq; cum in littore tres scaphas (*Lacca* vocant) & in iis captandis piscibus operantes piscatores inuenissent, propius appellentes, nec tamen eorũ sensum intelligentes, globulos illis aliquot & resculas alias obtulerunt: à quibus vicissim pisces porrectos aliquot accipientes, inde recesserunt. Porro ergo prouecti, incolas quinq; alios offendunt, qui tamen ad eorum conspectũ illico fugitabant. Nostratibus adeo præter Ostreas nihil venantib. tandem ad nauẽ reuerti visum est: vbi rursus coacto concilio statutũ est, vt Pinas nostra ad littus quam proxime impelleret, scaphæque si fors necesse foret, auxilio veniret. Quo facto, cum scapha in littore oberraret, piscatores tres correptos ad *Pinam* adduxerunt, à quibus cum fere 60. pondera Prasemorum (Cyprini lati sunt) pro rotundis globulis & nummis aliquot permutatione recepissemus, cibos & vinum ad satietatem ipsis appropinauimus, & rubellas insuper vittas, merculasque alias donauimus eosque cum gaudio amplo ita à nobis dimisimus. Cæteri vero, qui è littore hos à nobis prehensos & abductos viderant, oppido dolentibus similes pro more illius regionis fumum confestim excitarunt. Mihi vero, vt ad littus longũ percurrerem, permissu facto, cum aliquot diebus præter paucos profugos incolas, & desertas oras, insulamq; quandam perparuã, & hominũ, & fructuum, & pecorum & volucrum sterilem nihil captarem aut dispicerem, vsque

*Insula Madegascar siue S. Laurentij. Promontorium S. Romani.*

*Cabo S. Maria.*

vſque ad 16. Aug. cum pina noſtra loco quieuimus. Poſteri diei mane primo Orientem verſus iterum egreſſi, Syluæ cuidam, ex qua altus fumus attollebatur, nos acclinauimus, magnam ibi collectam incolarum turbam inuentum iri confiſi. Præter duos tamen viros, retia ſua geſtantes, cum nihil offenderemus, fumi locum ſequentes, vetulam quandam cum puella ericas exurentem deprehendimus. Cuius nutu facto, cum modo omiſſos viros redadire iuberemur, ipſi nos aduertentes, abiectis retibus contentim profugere, & ſaltu proximo diſparuere. Quorum tamen nos veſtigia ſecuti ad littus proximum ibi nauiculam monoxylam corripuimus: qua cum flumen tranſmittere ſatageremus, paruitatis illius inaſſueti nos ipſos euertimus, & enatando oram iterum corripuimus. Rebus itaque ſic nullis præcedentibus, Cymbulam noſtram repetentes, cum pina ad naues primarias, iam propter obortam tempeſtatem anchoris defixas, nos recepimus.

# Caput V.

## *Quid porro ad Hollandorum Cœmiterium acciderit.*



PRÆNOMINATI menſis die 17. Scapham noſtram rurſus oræ admouimus: ex qua cum terni ab vno latere, & bini ab altero terram illam intrarent, offenſo vno cum fœmina viro circa Veſperam ad ſcapham reuerſi ſunt. Terni vero alteri cum pyxide ſeu compaſſo, ne fors errarent, ſyluam quandam permetientes, ad ſolis occaſum virum nigrum iuuenē inuenerunt: à quo ad alium annoſiorem (ceu parentem ipſius) perducti cancros ibi appoſitos ederunt, & aquam potarunt. Quibus ſumptis cum noſtri ſe longius produci rogarent, ipſi ſomno ſibi opus eſſe ſignis ſuis reſponderunt. Qui tamen oblata vitta vna rubra, & altera alba ineſcati, ad procedendum ſe alacres præſtiterunt. Cum ergo iam diluculo prodituro milliare vnum emenſi eſſent, ſenior ille aliquo abſcedens, breui tamen rediit, & ſuccenſo igne iterum nonnihil vna conquieuere. Vnde tamen, cum mora longa tuta non videretur, ſe maturo iterum è loco promouerunt. Tandem & alter iunior profugiens, ſex aliis viris ſtipatus confeſtim reuerſus eſt: qui, quod perſæpe inter ſe quaſi quoddam concilium agerent, ſuſpicionem proditionis noſtratibus mouerunt haud leuem.

Hi, etſi petitis quibuſdam orbiculis donarentur: nihilominus tamen noſtros inuadentes, lapidibus confertim in eos coniectis, eos ita laſſos & confectos reddebant, vt ſe nolentes dedere cogerentur. Veſtibus ergo noſtrates exuti, & armis ſpoliati, poſtquam iuxta littus ad poſteri diei Veſperam vſq; viam ſuam relegiſſent, ſub ſeram noctem ex fluminis altera parte à nobis conſpecti, ad naues valde laſſi & eneruati reducti ſunt. *Tres noſtrū veſtibus exuti.*

Aug. 20. cum iterum continentem premerent, ad dextram, caſulam quādam conſpicati, in ea viros duos & mulieres quatuor inuenerunt. Hi aquæ, cuius inopia erat, hauriendæ illis locum monſtraturi, virum ductorem in Comitatum dederunt. A quo ergo eo quatuor noſtrates deducti, cum aquam limoſam & inidoneam potui ſenſiſſent, nullam haurientes, ſcapham quandam obuiam conſectati ſunt, ex qua piſces quoſdam Coralliis redimebant. Interim cum è longinquo conſpectam ſcapham quoque aliam venarentur, ex arbuſtis tres Nigrorum glomeres prorumpere obſeruarunt: quorum primas, quem Andream nominabant, vt ad locum quendam ab aquis non profundum egrederentur, geſtibus innuit. Vnde nos inſidias nocturnas augurantes altum mare ad

vesperam repetiuimus. Sub noctem duæ nos Almadiæ ( Scaphæ sunt ) visitantes, cancros afferebant. Quibus cum de commeatu nostro quoque aliquid impertiuissemus, ipsi cantu edito se valde hilares præstiterunt. Nihilominus tamen ipsorum insidias metuentes, dimissis iis excubias diligentes contra improuisos insultus egimus. Nocte prætergressa, cum vlterius ad ripam inueheremur, nec tamen aquam dulcem nansisceremur, ad locum pristinum reuersis incolæ II. scaphis ad nos appellentes, nos ad sua diuerticula inuitarunt commercia cum ipsis actum. Quod assensuri quidem in littus tamen egredi recusauimus, quod iniuriæ prioris nostratibus haud pridem illatæ adhuc bene memores essemus. Nam & præter hoc post arbusta magnam incolarum turbam conspiciebamus latitantem, ipsorum superiore & ipso illic restitante. Qui tamen nostra mora inductus tandem prægrandi *Canoa* ( nauis genus est ) ad nos tandem appulit, & incolarum pisces pro globulis nobiscum permutauit. Panno Xylino ad genua vsq; promisso amiciebatur, ad Hispanicarum tegetum morem intersepto. Piscibus itaque ab hoc impetratis, ad ostium aquæ dulcis inuecturi, cum velis incitatioribus ipsos peruerteremus, ipsi in terram redierunt: quo loco quosdam in insidiis quasi stantes cum relinquerent, nostris idem quoque faciendi, locumque excubiis muniendi ansam causamque dederunt. Cum ergo nostratium quinque, terram illam speculaturi, angulum iam quendam tenerent, ex insidiis 50. Nigri prorumpentes, illos circumquaque obcingebant, & *Assagayas* suas in eos confertim contorquebant, adeo vt nostri ad contra pugnandum nolentes volentes compellerentur. Sclopeto itaque excusso nostrum aliquis Nigri cuiusdam Caput ita violenter transadegit, vt eo loco desubito mortuus is concideret. Cuius casum cum viderent, cæteri fortunam vlteriorem experiri desperantes, fuga se certatim omnes subduxerunt. Quorum nos itaque securi, corpora nostra refectum ad naues rediuimus, de successu felici hilariter ouantes. Prodita itaque iam sufficienter incolarum præsidia, & cum in arido isto & sitiente loco præter exhaustas & steriles arbores, nec aquam, nec rerum necessariarum quicquam adipisci liceret: Vespere appellente ad naues nostras remeauimus.

# Caput VI.

## *Quid pinæ nostræ, in quærenda aqua deerranti, acciderit: quæ item interea in naui gesta sint.*



VM dicti mensis 21. die ad naues nostras sine aqua & commeatu alio redissemus: potuque quotidiano interim dolia nostra pleraque releuarētur: communi suffragio decretum est, vt pinas nostra cum instructa & armata scapha intra Septentrionem procurreret, refectamēta necessaria & vndam dulcem peruestigatum paratumque. Hoc itaque proposito 22. Septembr. mane mare ingressæ, tertio itineris die 2. paruas aridasque insulas offendentes, præter Piscatores aliquos inibi nocturnam quietem captantes nihil obseruarunt. Longius itaque recta sub Tropicum Capricorni ad gradus 23 ½ progressæ locum alium *Baya de Sant* Augustino adierunt, quo fluuium quendam latum & amœnum, duobus bracchiis in mare se exonerantem repererunt. Quem itaque cum impulsa pina inueherentur, incolæ vltro & sine metu accurrentes, tam albos homines ibi visos, quam pinam sine remis impulsis quasi à seipsa motam oppido admirati sunt. Propius ergo cōgressi cum nostratibus de ouibus aliquot, quas terra illa & prægrandes & præpingues fert, de pacti

*Baya de Sant Augustino.*

depacti sunt: quarum loco præsentanea mercimonia, vt specula, vittas rubras & globulos aliquot acceperunt. E nostris autem cum forte quidam ex stanno fusum cochlear proferret, pro eo incolarũ aliquis ex grege optimum & grandissimum bouem spopondit. Qui tamen verbi sui pœnitens cum se iterum subduceret, cæterorum quiuis bouem pro cochleari tanta cõtentione stipulabatur, vt, nisi primo illorum cochlear traditum esset, de eo auferendo manus conserturi certo fuissent. Pro arrha itaque ille Assagayas suas interim deponebat, dum bouem adduceret. Sic ergo pro cochlearibus multas pecudes permutauimus. Nostratibus regio illa valde amœna, vallibus vndiquaque viridantibus ornatissima apparebat, volucrum suaui concentu tota personans. Cercopithecorum etiam in Tamarindi arboribus magna copia notata est. Fructus illius loci magna efficacia hepar & renes perfrigerant, limum interim etiam & mucrum ventriculi absumentes: Ideoque nobis, qui scorbuto prope omnes confecti & detriti eramus, valde vtiles & commodi. Interim dum *Pinas* nostra abesset, duo quidam è nauigantibus rebelles lata sententia iudiciaria condemnati sunt, vt in terram expositi pœnæ loco diebus quinque in insula peruestigarent, an forsan inde aurantia & fructus refectorios alios auferre possent. Id quod & factum est. 30. Septembr. Ioannes Digeums nauta obiit: qui post in paruæ Insulæ illius Cæmiterio Hollandico sepultus est, sic dicto, quod Hollandorum ibi numerus magnus terra conditus sit. *Tamarindi arbores.*

Cum aliquot diebus interea inconstans aër inualesceret, nec ad terram adeundã occasio esset, tandem sereniore illo micante 29. dicti mensis die in Continentem egressi sumus, damnatos emissitios duos quæsitum, & aquam peruestigatum. Etsi vero homines nullos attingeremus: subinde tamen fumos quosdam eleuari videntes, & proditiones metuentes, vesperi in altum remeauimus, & mane littus repetentes ibi retibus pisces captauimus. Tandem tempore quodam Nigri prodibant vndecim, inter quos & primus ille fuerat, qui insidias nuper nobis intentauerat. *Batauorũ seu Hollandorum cæmiterium.*

Ad quem cum nostrum quinque egrederemur, reconciliatis animis pacti loco 5. Assagayas & Xylinum suum pallium nobis obtulit: quem nos ob id vicissim specillis & globulis aliquot donauimus, ea nimirum conditione, vt postero die ad nos commeatum adueherent. Quod facientes, cum pro piscibus aliquot cochlearia stannea recepissent, à nobis vino Hispanico præpoto inuitati, ebri redditi sunt. Quam nos occasionem paratam videntes, captiuos illos vniuersos ad naues abducere statueramus, vt pro iis dein redimendis nobis ad victum necessaria afferrentur. Cum tamen interea Pinam nostram cum scapha approperantem prospiceremus, sententia mutata, eos irritare inconsultum duximus. Intelligentes igitur Pinæ feliciter & ex voto omnia cessisse, recollectis animis, & ægris (sui tum mouendi tum reficiendi causa naues egressi) vndiquaque conuocatis, ventum secundum ad 7. Octob. vsque diem optauimus. Eo fere tempore in defuncti nautæ locum alio facta electione suffecto, inter præfectos nauium atrox dissensio oborta est, quæ societati vniuersæ post incommodo cessit maximo. 7. Octobr. itaque è statione nostra nauib. actis, cum locum illum, quo Pinas nostra ante substiterat, impeteremus, eiusdem die 9. ad vesperam ibi feliciter appulimus. Ab incolis vero aduentantibus summam pecoris abundantiam edocti, & vt in Continentem egrederemur, amice inuitati, primoribus loci signis aliquot ex succino oblatis, pro cochleari quouis bouem, aut 3. vel 4. oues recipientes, pecorib. redemptis cymbam nostram ita aggrauauimus, vt retro ad naues redituri loco moueri nõ possemus, dũ scaphis occurrentib. binis parte magna imposita, illa nõnihil alleuiaretur. Sed & postero die ad naues nostras incolę oues quãplurimas nigras aduehebant: vt iã nulla victualiorũ penuria sed recre-

andorum

andorum ægrorum omne ſtudium, vnica opera reſtaret. Qua cauſa, cum præfectorum tres emitteremus, locum quendam in inſula, exponendis & refocillandis morbidis idoneum conuenientemque quæſitum: eo conſecuto, 12. die vniuerſos infirmos ſub arborum ramis & tentoriis conſtituerunt, ita tamen, vt nauis Hollandiæ ægri ſeorſim à cæteris collocarentur. Poſtero itaque die cum aquatum, fluuium ſupra dictum appeteremus, nihil opinati, tres quatuorve ſclopornm eliſus audientes, conuerſi totum littus Nigris oppletum conſpeximus, qui ad propugnaculum noſtrum maius certatum irruebant. Cum vero, qui illud tenebant, animoſe inſultibus reſiſterent, Nigrique è nauibus inſuper noſtris aliquos adhuc accelerare & ſclopetis in ipſos fulminare viderent: læſis ex ſuis aliquot, confertim profugerunt, & campos colleſque tutos inuolarunt. Quos ex Hollandia naui ægros inuenerunt, veſtibus exutos ſpoliarunt, & contra cæteros quoque idem attentarunt. A quibus tamen animoſius propulſi, & in fugā verſi ſunt. Nobis itaque contra inſultus ſimiles propugnaculo nouiter arboribus conſtrato, & tormentis pluribus munito opus erat. Incolæ interea ſecuri omnis periculi, nihilominus ad naues noſtras quotidie ventitabant cum ſuis pecoribus, quaſi longe alij, quam qui nobiſcum conflixiſſent, etſi illorum nonnulli prædas ereptas adhuc corpore ſuo geſtarent. 22. die cum Nigros magno numero paſſim conglobari cerneremus, eos propugnaculum noſtrum inuaſuros augurati ſumus. Ad Veſperam itaque ſcaphas binas pro illius præſidio emiſimus: quarum vna cum pinæ noſtræ incaute illideretur, euerſa eſt. Quem tumultum, cum qui in pina erant, audirent, ſubitaneo motu conſternati iam ad tormentum in eos diſplodendum accurrebant, quod arbitrarētur, incolas ſuis Laccis illam oppugnatum veniſſe. Re cognita tamen, præſtito auxilio omnes ſeruati ſunt, amiſſis ſaltem gladiis & eorum armis. Altera ſcapha vero, cum iam ad littus acceſſura eſſet, & illius aduentus ex Mauritio naui vt & Hollandia diſploſo tormento ſignū daretur: tumultu iſto nocturno perculſi qui in propugnaculo erant, trepidantes ad littus accurrerunt, nec quemquam vel hominem vel nauem admiſerunt. Sed & ſclopetis in adnauigantes noſtros detonantes, eos à littore penitus arcebant. adeo vt infecta re ad naues redire cogerentur. Quæ res ſubitanea, etiam ipſis nauibus terrori fuit, & impedimento, quo minus propoſitū ſuum vrgere poſſent.

*Aegri ſpoliantur*

# Caput VII.

## *Quo pacto incolas aliquot cœperimus: & quid porro actum.*



OCTOBRIS 26. mane ex propugnaculo noſtro aliquot venatum (id enim quotidie factitantes, vel ſclopetis vel retibus cercopithecos, pſittacos, gallinas barbaricas & aues innumeras ad epulum quotidianum capiebant) egreſſi, in caſula quadam Piſcatoris Nigros offenderunt: qui tamen fuga exilientes, poſt ſe vnum reliquerant in ſella textoria cōſidentem, & veſtem Xylinam parantem: quem prehenſum noſtri in propugnaculum ſecum abripuerunt. Paulo poſt *Canoas* ſeptem ad propugnaculum comparentes, Piſces nobis emendos obtulerunt. Cum vero prædæ magnum numerum ſecum haberent, nuper Hollandis infirmis vi extortę: noſtris eas repetendi & vi præripiendi venia facta, cum incolæ aduerſarentur, ipſorum vno glande traiecto & aliis aliquot vulneratis, vir vnus cū binis fœminis & quaternis pueris & Canoas quatuor capti ſunt. Cum vero qui in nauibus eramus, Nigros conflictatos & in fugam actus animaduerteremus, ſcaphis

ſcaphis noſtris eos propere inſectabamur. Quod videntes illi, recta littus ſuis Canoas incurrerunt, & in ſaltus ſyluasque ſeſe coniecerunt. Nos itaque demiſſis duabus fœminis & pueris minoribus, reliquos ad nauem captiuos abduximus. 30. die cum quodam captiuorum flumen quoddam intrauimus, pecora, ſi fieri poſſet, pro vſu noſtro emptum, aut pro captiuo noſtro permutatum. Quo cum veniſſemus, incolæ occurrentes captiui manus exoſculabantur, & pro eo redimendo bouem vnum cum ouibus binis depoſuerunt. Sequenti die denuo cum captiuo puero idem flumen propoſito ſimili relegimus. Pro quo tamen ne ouiculam quidem vnicam promittere volebant, ſed contra pro vno cochleari puellam nobis vendendam ſtipulabantur. Sic ergo quotidie certis excurſibus inſtitutis, pecudes, piſces & Tamarindos ſufficienti copia nanciſcebamur: vſq; dum variis & crebris conflictibus, incolis fugatis & alienatis, penuria ciborũ tandem aliqua oboriretur. Decretum itaque factum eſt, vt pinas noſtra velis mandata diſpiceret, num forte in littore proximo quodam vel negotiatoriam vrbẽ, vel portum alium tutum perueſtigare poſſet. 26. Nouembr. cum noſtrum ſex ad figendas feras egrederentur, ſex grandes oues in propugnaculum intulerunt, quarum binæ caudas habebant 22. vel 23. pollices craſſas, libras Hollandicas circiter 11. appendentes. Similem aleam deinceps aliquoties tentantes, ſucceſſum tamen diſparem experti ſunt. *Oues maxima quarũ cauda 11. libras pendebat.*

# Caput VIII.

## *Quid emiſſitiæ pinæ acciderit.*



NOVEMBR. 17. cum pinam noſtram rebus mercatoriis probe inſtruxiſſemus, mane vela attollentes, intra occaſum æſtiuum impulimus, & ſinus ibidem obuios quoſq; legimus. Inde rurſus emoti, vt omnem rei & locorum conditionem exactius teneremus, cum iterum ad Aquilonem nõnihil declinaremus, viſis è longinquo fumis, & inſuper vna atque altera Canoas, recta ad ſeptentrionẽ reuerſi inſulam quandã exiguam à Continente milliare prope vnum diſtantem conſpeximus: à qua item alia depreſſior & nuda nobis obuenit, cui quædam maior & valde amœna arboribus lætis vndiquaque conſpicua adhærebat. Ad veſperam prætergreſſis alias inſulas duas, patens maior iterum alia nobis prodiit, ad cuius ſinum incuruum deflectentes, altitudinem poli Antarctici 20½ grad. tenuimus: quo loco oſtium fluminis ad ſinum auſtralem conſpicati, illud impellere vehementer anniſi ſumus quidem, ſed propter turbines & altitudinem loci impediti, altum mare repetiuimus, vt ad noſtras naues reueheremur, in occurſu tamen varios ſinus quoquo verſum legentes, nec vllas inſulas noſtro inſtituto commodas viſas prætervehentes. Quo tamen longo & erroneo ambitu, cum nec homines nec neceſſaria alia perueſtigaremus, proram nauibus noſtris repetendis accommodauimus. In ipſo ergo excurſu primo duæ Canoas nobis obuiantes, cum à nobis appellarentur, indiciis quibusdam ſe à nauibus noſtris iam venire, ad quas propediem neceſſaria conuecturi eſſent, ſignificarunt. Cuius rei gratia quoque è medio ſuo nobis videntibus quendam ex tempore amandabant. Sed fucus iſte tantũ erat. Emiſſus enim breui ſpacio cum 20. hominibus ſociis redibat, quos pone etiam mulieres conſectabantur, diſcretis è locis choreas mutuas agitantes. Viri ſuis armis inſtructi latus alterum tenentes, ſaltus miros edebant, pedibus colliſis tantum ſtrepitum concitantes, vt equorum certum numerum concurrere crederes, adeo vt pone ſtantes à iactatis arenis nõ ſatis tuti eſſent. Fœminæ item parte *Incolarum ſaltandi mos.*

alia collocatæ cantillabant, & certa mensura complosis manibus pedes gressu ad tactum moderato promouebant. Cuius ego spectaculi satur, cum iam metuerem, vt propter ostentatos quosdam globulos ab ipsis obruerer, ad scaphā redire occipiebam. Quod videntes ipsi, cum scapham vi retinere satagerent, ego contra stans illam à solido exturbaui, & cum sociis omnibus ingressus viam ad nauem relegi. Aliquo vsque progressi, socios ipsorum adhuc plurimos iam dudum ipsis expectatos approperare vidimus. Hi omniū qui in insula *Madegascar* sunt pauperrimi, pudenda sua arborum corticibus tantum obuelata habent: in quorum terra nec fructus vllos nec pecora videre nobis licuit. Nihil itaque hoc loco ad commeatum faciens inuenientes, sequentis diei diluculo promouentes 25. Nouembr. circa meridiem naues nostras attigimus, decreuimusque vt crastino diluculo rursus aliqui in littus excurrerent. Sedecim ergo nostratium id audentes, ad paludem seu puteum, quo pecora aquatum agi solitabant, peruenimus: quo loco tamen cum nihil occurreret, procedentes longius Nigros quosdam cum Calabattis suis, quibus aquam hauriunt, obuios accepimus, quos cum ad sua diuerticula sequi vellemus, ipsi fuga disparuerunt. Nihilominus tamen via cœpta nos persistentes, postquam ipsorum casulis propinqui essemus, à 300. incolis derepente obruti & circumuenti sumus, *Assagayas* suas in nos torquere minitantibus. Quos etsi prolatis mercibus quibusdam, & ad permutationem expositis placare studeremus: illi tamen ad nos propius congressi, compulere, vt in ordinē dispositi contra insultus eorum nos muniremus. Eam sub trepidationem cum ex improuiso Muscetta quædam disploderetur, mihi collum ex casu nonnihil amburens: incolæ perculsi, potissimaque parte profugi, à nobis retinebantur tamen, à quibus dein pro aliquot cochlearibus boues binos & tres oues extorquētes, vt inde nos efferremus ab ipsis rogati sumus. Cum vero eo tumultu & homines & pecudes aufugerent, boues nostri & ipsi peregrinorum non assueti, & ob id ferocientes, eruperunt. Circa meridiem Nigri alij propugnaculo nostro accedentes, quasi lac apportarent, nos excire volebant. Quibus tamen cum nemo compareret, à meridie rursus aliis idem agentibus, duo tandem classiarij, & vnus nauclerus prodiere. Qui bona fiducia longius progressi, à Nigris cultris & securiculis magno clamore obruti & oppugnati sunt. Quo conflictu nauclerus hasta per collum traiectus, & postea securi ossa colli confractus periit. Sed & duo classiarij reliqui vulneribus aliquot saucij, nisi districtis gladiis se tutati essent, extra dubium occubuissent. Ad quem tumultum cum insuper Nigrorum ingens turba è syluis exiliret, præ gaudio ad mortuum choreas & saltationes instituerunt. Nos itaque nauclerum nostrum militari processu sepelientes, cum eius vltionem meditaremur, sequentique die armata manu virorum 48. ad eorum diuersoria procederemus, in via tauros 20. aquatum euntes corripuimus, quos ad munitionem nostram comitatu virorum octo abduximus. A qua cum breui spacio adhuc abessent, nostrorum conspectu territi retro erumpentes profugerunt. Quadraginta reliqui ad tentoria Nigrorum porro pedem mouentes, illos cum omnibus bonis & pecoribus aufugisse senserunt. Re ergo nulla expedita retro se contulerunt, & ad locum de bouibus ante profugis vnum iterum offendentes, illum sclopetis confossum ad propugnaculum detulerunt, milliaribus circiter binis terram illam emensi. Sequenti die Canoa vna duobus Nigris acta, sub propugnaculum nostrum adiit: quorum cum vnus fasciculos aliquot bombicinos ablatum in terram exiliisset, nostri sclopetis in eum directis fulminare cœperunt. Quod audientes, qui hauriendæ aquæ causa lacum descenderant, scapha alterum insectati eius socium tandem corripuerunt. De quo cum læsi attestarentur, quod & ipse Nicolai Rausseus naucleri interfectioni interfuisset, de hac causa damnatus, sclopeti glande profossus est.

*Nauclerus Nicolaus Rausseus Nigrorum dolo obtruncatur.*

Rebus

Rebus ergo hoc loco ad victualia paranda plane desperatis, ægris in nauibus habitationem multo commodiorem præstari æstimantes, succenso igne propugnaculum cremauimus,& infirmos nauibus nostris iterum adueximus, cætera prædam Nigris relinquentes.

Mensis dicti die 3. scapha quadam flumen decurrentes, votis nostris commoda quædam captauimus. Fluctus tamen impetu vltra tria milliaria prouehere non valentes, propter loci vastitatem, & visorum incolarum aufugiū sequenti die ad nostros rediuimus. Sexto die ante exortum solem, insulas duas proximas impetentibus propter spissas tenebras eas attingere non licuit. Clariore tamen aurora prodeunte 4. Almadias ex illis in Continentem festinare videntes, easq; incitatius consequentes, propter remorum nostrorum segniorem impulsum assequi non potuimus. Hoc tamen loco Cancris aliqua copia captis in continentem egressi, casas incolarum profugorum subiecto vulcano cremauimus. Nostrum aliqui, cum interea boues aliquot prædati essent, Nigrorum insectatione rapida obruti, eosdem manibus suis iterum emiserunt.

# Caput IX.

## *De forma, Religione, moribus & consuetudinibus populi in Madegascar, nec minus de conditione eorum, qui ad flumen Puecto Sanct. Augustin dictum consederunt.*



OPVLI, qui circa flumen hoc habitant, colore nigro sunt, robusti,& artubus ornate compositis, tum viri tum fœminę. Viri pudendis suis Xylinum velum obdunt, nec minus fœminæ: quarum tamen pectus insuper synthesi sine manica contegitur Aures amplis foraminibus pertusas habent, ita vt per ea transmitti digitus possit. Per ea traiecta ligna rotunda gestant. Illorum religio in professione vnius creatoris consistit, qui omnia creauerit. Circumcisionis quidem legem sequuntur: de precationibus tamen & festis diebus nihil norunt. Dies promiscuos habentes, priuatis appellationibus alium ab alio nihil discernunt: adeoque nec hebdomadas nec menses nec annos numerant. Vltra 10. non numerant, hoc pacto, *Issa, tone, tello, essad, fruto, VVoinbla, Siday, fonlo.* Cacodæmonem, *Taiuuaddei* dictum, valde metuunt: quod ipsos frequenter affligere soleat. Piscatu magna ex parte viuunt: quem partim retibus, partim hastilibus confossoriis exercent, captos pisces siccant & torrent: quos vt & Salem cū Tamarindi corticibus, in terræ illius locum, *Rango* dictum, prouehentes vendunt. Ramulos seu cortices pro hastulis Assagayas dictis aut *Leffo*, item pro magnis cultris, VVici vēdunt. Vnam saltem coniugem dictant, viris 12. fœminis 10. annos fere habentibus. Adulteriū mortis supplicio vindicatur, vt & furta. Viri foris venantur, fœminæ domi filanent,& Xylinos pannos texunt, domesticasq; operas alias tractant. Pro cibis habent pisces, Tamarindos, fabas, lac, carnes. Vnus quidam incolarum si forte aliquando bouem mactat, portionem suam cæteri quiuis inde quasi pro iure auferunt, suo tempore tamen tantam vicissim restituturi. Ferro optimo abundāt, vt & Cupro. Quod si aliquando ipsis cochlear stanneum pro argenteo offerremus, dentibus istud admouentes, si ad morsum durum occurrerat negligebant. Ex qua horum simplicitate videre est, rem quamlibet tanti fere esse, quanti æstimatur. Gossypij, in syluarum humilibus arboribus prouenientis, magna ibi abundantia est. Pecora, fructus, arbores alio à nobis loco descripta inuenies.

*Incolarum Madegascar forma.*

*Habitus.*

*Religio.*

*Dierum ratio.*

*Numeri.*

*Vitæ studia*

*Matrimonia*

# Caput X.

## *Quid ex dulcis aquæ flumine soluentibus ad Iauam vsque occurrerit.*



CVM apud incolas hos porro victualia nulla nobis parata, nec amicitiam vllam firmam & solidam sarciendam ex eorum fuga crebra auguraremur: pinas quoq; nostra portum nullum alium commeatui suggerendo aptum venari posset: anchoris tandem eleuatis 13. Decembr. cursum nostrum in Iauam direximus 15. & 16. die altam terram post cœmiterium Hollandorum adhuc in conspectu habuimus 18. die sub noctem horrida tempestate cum pluuiis infestissimis naues nostras opplentibus obruti sumus. Retro itaque conuersi, & signum accensi ignis præferentes, cum turbines continenter increscerent, vela omnia nostra restrinximus. Secundo die nauem Amsterdam cum pina nostra desiderauimus. Die 21. parum abfuit, quin Hollandia ex aspectu nostro abriperetur. 22. die naues duas ad australem partem conspeximus, ad quas nostra quoque vela contorsimus. die 23. à meridie pinam nostram redadepti, quantis ea periculis exposita fuerit, cognouimus. Sed & Amsterdam naui desiderata cursum intra ortum solstitialem promouentes, 22. Decembr. eleuationem 31. grad. tenebamus. Anni 1596. Ian. 1. grad. numerabamus 21. ita vt ad Septentrionem paulatim propius declinaremus. Quod vero ægrorum nostrorum infirmitas recrudesceret, proram retro in Madegascar ad insulam S. Maria torquere, & victualia noua inde conuehere statuimus. Quam 10. eiusdem mensis die oculis nostris relegimus. Hac eadem nocte plumbum iactantes 17. orgias solidæ arenæ cum alga permixtæ deprehendimus. Insula hæc ad partem australem eminentiam quandam milliare semis in mare porrectam ostendebat, ad quam Pinas nostra tam prope impulerat, vt vix 6. orgiis distans, iactu lapidis eam attingere valeret. Ab insula versus ortum aridum quoddam prominebat, velum è longo referens. Angulus australis duobus sinubus clauditur. Interim insula ipsa magna & amœna est: intra quam & Madegascar flumen quoddam rapidum promanat, cuius nos ostio expositi, inde in Madegascar sinum quendam spectauimus, fluuiis aliquot coeuntibus insignem. Postero die cum in Continentem egredi statueremus, interea *Canoa* quædam ex insula S. Maria ad Hollandicum Leonem, nauem nostram accurrit, oryzam, Cannas Saccharinas & Limonia cum gallina vna offerens: pro quibus illi aliquot strophiola & orbiculos teretes reponentes, insulanos vino porrecto ebrios præstiterunt.

*Insula S. Maria.*

Diuina itaq; gratia cõmodum hunc locum nacti, pinam nostram quoquo versum fluenti profunditatem percontatum emisimus, vt tuto ingressu propius ad insulam proferri liceret. Interim cum scaphis tribus littus appellentes, ibi incolarum aliquammultos, Limonia, palmitas (qui fructus pineæ nuci similis in præcelsarum arborũ non ramis aut surculis, sed ipso trunco, vndique spinoso, extuberat, valde suauis & coloris aurei) *Bannamas lac* & alia huius generis plura apportantes offendimus. Genus quoque fructus, palmulis simile, sed vt piper linguam exurens, habebant: vt & aliud quoddam, maiora pyra referens, nitus quidem mucculentum, sed sanum tamẽ, & refrigerans.

*Fructus insulæ S. Mariæ.*

Sed fruct⁹ alius ibi videbatur, Meloniis similis, cortice tamẽ duro vestitus. Ab iisdẽ quoq; animalcula bina, magnitudine Cuniculos referẽtia mercati sumus: quorum caput vulpem, corpus reliquum erinaceum præsentabat. Hæc in aquis capiun-

*Animalia mira.*

capiuntur. Iam ergo cum ſcaphis noſtris incolas ductores longius proſecuti, porroque procedere non ſatis tutum arbitrati, è noſtris quinque emiſimus, qui incolas ad diuerticula ſua comitarentur. Qui poſt reuerſi ſignificarunt, aquam dulcem abs ſe inuentam eſſe. Nos tamen in reditu Continentem iterum ingreſſi, fructus multos legebamus, & prata quædam paſcua obſeruauimus. Circa veſperam ad nauem reuerſi, Pinam reducē ibidem offendimus, quæ pleriſque in locis profunditatem fluminis 15.18. aut 20. orgiarum obtinuerat. Poſtero die, cum ad terrā propius moueremur, iuxta vicum quendā 20. caſis conſpicuum, egreſſi, illico magnū incolarum numerū conglobari conſpeximus. Inter illos medius *Primas* apparebat, qui ſub arbore quadā ſubſtratæ tegeti inſidebat. Ad quem certo ordine & mulieres aliquot graui inceſſu propinquabant, omnis generis fructus gallinas, & cætera ſimilia apportātes: pro quibus nos poſtmodū ipſis globulos & merculas alias repoſuimus. Primas iſte, quem *Cheque* nominabāt, longa nos oratione alloqui videbatur, cœlū identidem ſuſpiciens. Quem tamen, cum non intelligeremus, præter limonia & fructus paucos alios ab eo nihil mercati fuimus. Boues quidē & oues aliquot adducebātur. Pro quibus tamen cum aliud nihil quam *Manillas*, quibus carebamus nos, accepturieſſent, cōtrahere nō licuit. *Cheque primas insulæ S. Mariæ.*

# Caput XI.

## *Quid Pinæ in Madegaſcar currenti, occurrerit.*



IANVARII 14. die ad diluculum primum naui Hollandiæ cymba quædam prægrandis *Lacca* dicta, & ad lintris Venetiani formam condita, appropinquauit, hominibus 25. & quamplurimis capris, ouibus, gallinis, & oryza onuſta. Quas res pleraſque ab ipſis mercati ſumus. Pòſt ſocia Pina curſum noſtrum in Madegaſcar abripientes, cum Canalē quendam præteruheheremur littus proximum legimus. Et cum per arbores caſulæ aliquot proſpicerentur, egreſſi tamen homines nullos inuenimus. Aliò itaque promoti, ad Oſtium aliud *Canoam* cum aliquot hominibus conſpeximus: ad quos adeundos cum noſtrum binos expoſuiſſemus, incolæ tamen fuga retroceſſerunt.

Noſtris itaque reuerſis, manendum nobis eſſe ſtatuimus, dum fors ipſi ad nos ſponte redirent. Nec fruſtra. Nam 22. Nigri propediem ad nos prouiſebāt, & vt cum mercibus noſtris in Continentem egrederemur, inuitabant. Qui tamen, quod ſecū nihil rerum ſperatarum attuliſſent, ad diem poſterum à nobis rurſus dimiſſi ſunt. Venerant hi haſtis argento conſtratis armati: quorū fœminæ pectus ſyntheſi ex lineo panno tegebantur, veſte item alia ad coxam mediam propendente. Viri panno ex quadam herba cōtexto amiciti, cannam aqua ſalſa plenam, geſtabant. Regio ipſa valde amœna, viridantibusq; vndique arboribus, & quaſi vallo quadruplici cincta prominebat. Poſtero itaq; die, cum nos à Nigris diutius cunctantibus deluſos arbitraremur, adeoque ex illo loco diſceſſionem meditaremur, ipſi cymbis ſuis ad noſtras naues tandem appellebant. Primæ cymbæ tres viri nonnihil oryzæ aduexerant, rogantes, ſecum vt in terram egrederemur, res alias ſpectatum. Interim *Canoa* maior cum 25. viris ad nos contendere viſa eſt, oryzam, gallinas, oua, limonia, citrea mala, bannanas & fabas minuſculas aduehentibus, quæ pleraque pro ſpeculis, globulis & aciculis commutata redemimus. A meridie *Canoæ* quoque aliæ appellebant, inter quas magna quoque *Lanciara Galiottæ* forma eſt, venerat, regem *Phulo* aduehens. Ex quolibet eius latere remiges octo ſtabant. Cæteri omnes eius loci nobiles apparebant, numero 25.

Rex iste Pinam nostram cum sene quodam nobili conscendens supra tapetem stratam considebat,& præmissa longa præfatione,oryza & fructibus aliquot nos donabat. *Canoa* sua *Pinam* nostram circumuehendo vndiquaq; perlustrans, eius structuram valde admiratus est. Quem cum vitris,rosulis,speculis & globulis vicissim munerassemus, Lanciarã suam repetiit. Panno xylino è mediis lumbis ad talos vsque demisso tegebatur, pileum forma mitræ Episcopalis gestans: ex cuius vtroque latere cornu quoddam ad vlnæ dimidiæ longitudinem erectum prodibat : cuius termini floccis seu linamentis constrictis claudebantur. Eum subditi tanta reuerentia obseruabant, vt præsente ipso ne mutire quidem verbulum auderent. Interim & Canoa magna alia cum 33. viris refectamenta plurima attulerat. Quibus omnibus emptis,ad naues reuersi,ostium fluminis etiam alterius adire decreuimus. Cum vero oborta tempestate promouere difficile videretur, priorem locum rursus occupauimus: ad quem paulo post duæ *Almadiæ* cum multis hominibus appellebant: à quibus vitulum vnum pro panni fragmentulo permutare licuisset,nisi gallinarum nobis copia fuisset. Tandem vero, cum merculas nostras prope omnes distraxissemus, ad naues nostras rediuimus.

*Phulo habitus.*

# Caput XII.

## *Quomodo Pinas ad naues redierit: quid ad insulam S. Mariæ porro acciderit: & quando ad Baie Antongil nauigatum sit.*



NOSTRA Pinas cum in *Madegascar* soluisset, viris & necessariis aliis rebus instructæ tres scaphę à nobis ad insulam S.Mariæ emissæ sunt. Quæ à *Cheque* humaniter exceptæ, cum in insula puteum aquæ bonæ reperissent, paucis aliquot gallinis, oryza & fructibus aliis permutatione acceptis ad naues se receperunt. Sed postero 16. nimirum die, scaphis incolæ aliquot ad nos refectamenta varia aduexere; quo tempore & Pinas nostra ex *Madegascar* commode relegerat: quæ tamen sequenti illico die ad S.Mariæ insulam resoluens, aquarum non æqua profunditate inuenta exclusa, prope ad scopulum quendam anchoras fixit, & scapham porro ad littus amandauit. Sed tamen & ipsa ibi homines ad cõmercium præsentes nullos offendit. Die deinde 18. huius mensis, cum nautarum primarius quidam ibi obiisset, cadauer eius præsentibus in insula S.Maria incolis humatum est,demonstrantibus nobis,animam eius iam in cœlo positam esse. Quo argumento pernoscebamus,Dei cognitionem ipsis maiorem esse, quam illis,ad fluuium dulcem qui habitant. A nobis illi quidem contenderant, vt sepeliendi pedes ad genua vsque præcideremus: nos tamen nostrum morem sectati, eum totum & integrum contumulare maluimus. Porro autem necessariam nobis aquam dulcem peruestigatum in *Baie* promouentes, cum nullam reperire liceret,ad ostium tamen illud duas insulas paruas notauimus,quarum prima humilis & arboribus vndique virescens: altera elatior & amœnior, oryza consita videbatur. Quo loco cum incolas nullos attingeremus, propius tamen terræ admoti, casas vndiquaq; humiles multas iuxta littus cõspeximus, quarum singulæ certo à se interuallo distabant. Ex harum ergo vna derepente vir quidam prælonga hasta,& pelta lignea prægrandi armatus prosiliens, clamore edito signum dedit: ad quem confertim, consimiliter armatorum numerus ex casis se glomerauit & collegit tantus, vt mirum & res eadem nobis terrori esset. Quorum tamen

*Incolarum de statu animæ sententia.*

men iudicio post intelleximus, cum incolis Madegascar sibi bellum esse: adeoq; has casas excubitorias ibi constructas, ne fors desubito ab ipsis opprimerentur. In mōte porro proximo vicus quidam amplus, sudibus defixis cinctus apparuit, ab vna quidem parte propter montis præcipitium inaccessus: ab altera vero triplici sudum ordine tam angusto aditu patens, vt nisi solitario homini introire non liceret. Hoc in pago *Cheque* siue Primas habitabat: qui ad hos foras cum coniuge & incolis aliquammultis egressus, cibaria nobis petita varia pretio obtulit, quorum partem fere maximam etiam redemimus. Quod vero & illic dulcis aquæ penuria esset, 21. die, vt inde solueremus, & ad Baie maiorem iuxta littus Madegascar procurreremus, statutum est. Quo transitu insulam S. Mariæ intra orientem & occidentem latissimam deprehendimus. Sed & oryzæ abunde ferax est, vt non minus quoque rerum ad victum necessariarum aliarum: insuper grata amœnitate iucundissima. Populi seu incolæ eius *Gaphres* seu Ethnici sunt, circumcisi tamen, & corporis constitutione haud inanimabiles. De quorum tamen conditione breuitati operam dantes hoc loco prolixius nihil commentari voluimus.

Postquam ergo littus Madegascar iam teneremus, ibidem incolas quosdam & *Canoam* prægrandem procul obseruauimus: ad quos postquam binis scaphis congrederemur propius, discretis locis succensos ignes videntes, in proximo 12. Nigros cum sex scaphulis offendimus. Sex ergo nostrum ad pagum quendam à littore non procul absitum emisimus: ad cuius oppositum vicus alius maior, ædibus elatioribus, & incolarum numero magno illustris conspiciebatur: à quibus nostrates pro longiusculis Madrigettis multum gallinarum, oryzæ, mellis, Meligettarum seu cardamomi, zinziberis viridis, phaseolorum aurantiorumq; facta permutatione acceperunt, & eosdem postero quoque die ad se inuitarunt. Interim & è naui Amsterdā ad nos cymba emissa, in media via ab incolis quibusdam ad spaciosum quendam pagū multis incolis habitatum inuitabatur: cuius profecto veste eleganti & pretiosa succincto, scutum Indicum foris in marginis ambitu inauratum præferebatur. Illic loci ergo nostrates arida sub arboribus folia legebant, saporem Gariophyllorum gustata apprime referentia. In confinio vicus etiam alius situs erat: cuius quasi in medio domus quædam præalta, speculæ similis conspiciebatur. In quo ab incolis bouem vnum cum melle modico depacti pone insulam demum retrocessimus.

# Caput XIII.

## *Vt post insulam in Baie Dantongil anchoras miserimus: & quo pacto illic ab incolis habiti fuerimus.*



DIE supra dicti mensis 26. ex proximo flumine, *Canoas* 13. maiores prorumpentes, illic in cōfinio piscari visæ sunt. Ex quibus vna naui nostræ appropinquans, oryzæ nonnihil attulit; addens, si pluribus rebus opus esset, vt è nostris vnum secum in terram emitteremus, & de suis sociis tres in nauem pro vadibus reciperemus. Quod haud iniquum rati, cum donario quodam nostratium vnum amandauimus, & admissos obsides, vim supra modū auidos, pro conditione loci laute habuimus. Nos interea ad paruam quandam insulam inuecti, aquam ibi puram & limpidam, ex alta rupe defluam, haustuque facilem inuenimus. Ipsa alioquin insula præeminens, vnius milliaris ambitu claudi videtur, & oryzæ, fru-

fructuumque aliorum, vt limoniorum, citrorum, & vannanas prouentu laudatissima. Altius ergo ad locum editiorem, 12. fere casis habitatis insignem cōscendentes, ex illo desuper in Continente fluuium, toto fere tractu viri ex pagis aliquot excultum notauimus, in quem se alius minor, & ipse pagis constratus exonerabat. Cum vero editum hunc locum ascenderemus, in transitu quodam, vannanas prouentu celebriore, intra duo ligna defixas binas manus conspeximus, quas incolæ *Nigro* cuidam, in Vannanas furto deprehenso detruncauerant, & ipsum iuxtà loco isto defoderant. Circa vesperam, obsides nostros cum donariis datis manumisimus, postquam emisitius noster ad nos prospere reuersus esset, qui interea & elixis & assis gallinis (quod aiunt) laute habitus, tractatusque, cercopithecum quoque à præfecto loci donatū attulit. Postero die duabus scaphis in occidentalem pagum, *Spackenburg* nobis dictum, & vna in orientalem *S. Angelo* in mappa dictum, sudum constructione adprobe munitum, egressi sumus. In hoc nostrates pro corallio oryzam & gallinas permutauerant: in altero res alias meliores. In Spackenbug præfectus cum suorum plerisque appotus inuentus, nostris quoque è cornu bubulo potum ex melle & oryza coctum, appropinauerat. Pagus iste 200. fere domibus constabat, viris frequentatissimus: quorum 20. in domo excubitoria prælongis hastis & peltis rotundis vigilabant, quolibet in pectoris regione macula alba intersignato. Iam itaque cum ad naues reuertendi tempestiuum videretur, ad scaphas nostras regressi, fluuij turbationem & commotionem tantam experti sumus, vt cum iis traiectionem non satis tutam fore arbitraremur. Quas ob id cum tuto loco deligassemus, casulas aliquot offendimus, quas primum speculatorias rati, post tamen certioribus argumentis primatum quorundam eius loci sepulturam esse coniecimus. Locus lacunis aliquot proximis defossus erat, circa quas cornua grandia aquis conferta seu adimpleta defixa stabant. Tumulus storea desuper constratus erat: & cadauer excauata arbore vna compositum, & superiniecta alia contectum ita terræ infossum iacebat, vt huius capuli pars maior super terram promineret, & ex huius latere sepulti hominis pedes exererentur. Quibus dispiciendis cum occuparemur, pagi *S. Angelo* præfectus ad nos duabus *Canois* aduectus, primatis sui (*Phulo* dicti) id sepulchrum esse, signis quibusdam nobis confirmauit, & vt à vi & eius læsione abstineremus, honorifice rogauit, aliàs erga nos valde humanus & submissus, adeo, vt & de se in suo pago inuisendo amice nos compellaret. Cui ob id cum gratificati essemus, tranquilliore flumine præstito ad naues remeauimus. Postero die scaphis ad *S. Angelo* rursus egressi 700. pondo oryzæ, & gallinarū magnum numerū impetrauimus. E scaphis nostris vna ex pago etiam alio præter taurum dimidium res alias necessarias plurimas aduexit. Incolas, quod vini supra nationes vniuersas nobis scitas auidi & appetentes essent, Hispanico vino ad commodum nostrum abunde delinire didiceramus. Itaque & sequenti die iterum terram ingressi, in tres istos pagos nos partiebamur: ex quibus nostrum quilibet vltra 1200. pondo oryzæ eo die auferebat, copiosius accepturi, nisi ipsis ad excubias discedere opus fuisset, interim, vt futura die rediremus, nos rogātibus. Cum itaque pernoctare apud illos nobis difficile videretur, & cœlum insuper paulatim tonitrubus perstrepere occiperet scaphis solutis ad naues rediuimus. Die 30. & 31. iterum oryzæ multum cum refectamentis aliis obtinuimus: quo tempore ex insula quoque indies aquam hauriebamus, & tum mel, tum citria mala ad abundantiam comparabamus.

*Sepulchrorū forma.*

Februarij 1. die, cum in dictis pagis de oryza mercanda iterum laboraremus, à *Phulo*, pronunciato mandato, incolis id prohibitū esse intelleximus. Cum enim eo tempore quotidianis imbribus terra vehementer madesceret, & oryzæ resectæ pars maxima in agris reficcari non posset: ne insperata incolis annona obori-

oboriretur, veterem oryzam mandato asseruari cõsultum Phulo visum est. Boues tamen 10. ibidem venum nobis exponebantur: de quorum pretio inter nos conueniri nõ poterat. Postquam itaque nobis præsumptum esset, propter istam nouam incommoditatem die Febr. 3. loco illo soluere. 2. eiusdem aleam nouissimam iactantes, in terram rursus egressi sumus, & quocunque modo oryzæ partem magnã, vt & gallinas & capras haud paucas obtinuimus. Quibus impetratis, cum iam instructa naui soluere vellemus: sub nocte mediã tam impetuosa tempestas desubito coorta est, vt iactatis omnibus anchoris nec quicquã firmi stare valeremus, sed quoquouersum acti, naues ingenti periculo prope inuicem collideremus & confringeremus. Eo turbine scaphæ nostræ violento motu abruptæ, & fluctuatione continuante in littus impulsæ sunt: quas Nigri captatas in littus dein extraxerant. Spe itaq; seruandarũ nauiũ nulla alia superstite, cum iam secures ad malos cædendos & deijciendos omnes arripuissemus, diuina gratia, quæ in extremis semper efficax est, tranquillitas vndarum sub ipsam noctẽ mitior facta est. Febr. 4. cum leuatis anchoris insulam appeteremus, tum fluenti concitatione, tum venti cõmodi inopia promouere prohibiti, à loco priore haud procul reconsedimus. Febr. 5. bono mane cum 4. viris ad *Leonem* nauem appulimus, vt sub ipsius impulsum littus tenere possem⁹, ad scaphas nostras ab incolis eductas, redimendas. Sed aluei præcipitio retroacti id confectũ dare nõ potuissemus, nisi ab incolis supra dicti pagi ad occasũ fluminis siti strenue adiuti essemus: à quib. id quoq; pariter intelleximus, quod S. Angelo incolæ scaphas nostras cõfregerint. Eò ergo delati, cum de statu scapharũ serio ipsos cõpellaremus, illas ad aluei vorticem cõminutas esse, respõsum ab ipsis accepimus. Quod cum per omnia vt verũ non agnosceremus, missis è nostratibus viris quinq;, fragmẽta quidẽ nauium aliqua, sed ferramẽtis suis vndiq; spoliata tamen reperimus. Itaq; sic rẽ proditam quidã incolarũ sentientes, sibiq; de vindiciis metuentes, tumultuarie bona sua cum liberis in *Canoas* coniecerunt, & fuga sibi per aduersum fluuiũ salutẽ quæsiuerunt. Reliquorũ vero 50. circiter, hastis suis & peltis, vt nos à littore abstinerẽt, cõfertim irruerunt. 6. & 7. die ad aquã hauriendam in insulã traiecimus. 8. die tribus traiectionib. nostrum 48. viri expositi sumus, vt perditarũ scapharũ loco ab incolis *Lanciaras* aliquot seu nauiculas mercarentur. Qui cum in littus egressi essemus, versus orientẽ 60. circiter Nigros cũ hastis & clypeis suis saltitantes cõspeximus, & ad conflictũ nos quasi prouocantes, minitabundis apprime similes: qui ob id etiã hastarũ suarum cuspides in aquã immissas, & pòst eleuatas in os destillare sinebant. Quo gestu se sanguine nostro tincturos ita hastas esse significabãt, quamprimũ nos in oram efferremus. Dictoq; citius interim etiã lapidũ tam violento in nos cõiectu fulminabant, vt nulla parte Solis tuti essemus. His itaq; & similibus ipsorũ iniuriis irritati, cum iam de corio nostro luderetur, glandẽ vnam atq; alterã in eos vicissim displosimus, saltem vt à capite nostro illos arceremus. Qua re ipsi quidẽ primò adeo non terrefacti sunt, vt post scuta sua cõditi ictus nostros propè vel cũ ludibrio exciperent: vsq; dum hic illo, illic alio corruente fugã capesserẽt, & secũ abreptis vulneratis post casas suas se saluarent. Breui ab hoc tumultu tẽpore elapso illorundem incolarũ duo vel tres ad nos emissi, vt à cęsione quiesceremus, nos obnixe rogarunt, & pecorũ adducendorũ fidem religiose depacti sunt. Quos tamen nostri frementes adhuc & ira æstuantes adeo non audierunt, vt eos sclopetis elidendis persequi nõ desisterent. Iam ergo incolarũ nemine amplius se proferente, nostri rectà littus inuecti, sociorũ partem in pagũ ad explorandos profugos amandarunt. Vbi cum ipsi pręter puellã relictam, neminem reperirent, prædã passim obuiam inuaserunt, & secũ abduxerunt. Sed & nescio, quo casu fortuito, ignis ædes aridissimo, & ad flammam cõcipiendam aptissimo tum ligno, tum stramine cõtextas corripiẽs, eas tam violẽta diffusione vniuersas

*Minarum modus.*

exussit, & ad effugiũ nostris vix spatium superesset. Incolarum eius loci 130. circiter vno numero fuerãt: de quibus vix 4. cæsos à Nigris in syluam pertractos cum bonis aliis haud temnendis offendimus, quæ tamen omnia ne attacta quidẽ ibidem reliquimus. Nostri vero, cum ad cœmiterium dictũ peruenissent, incolarũ de Spackenburg multos inuenerunt, quibus se comes & humanos præbebant. Inter eos & bini illi obsides fuerant, quos nobiscum in naui habueramus. Reliquis itaq; de longinquo videntibus, quod suis nulla parte infesti essemus, ad nos tum viri tum fœminæ cum liberis suis certatim se profundebãt, & tum oryzam, tum fructus alios secum apportabant. Nostri ergo duos in exustum pagũ illũ boues petitũ missuri, obsides ex incolis ternos asseruarunt. Quos tamen re impetrata, & sociis saluis reducibus factis, iterum à se dimiserunt. Paulo post, cum iam in nauibus essemus, insulanorũ lecta manus, clypeis & hastis armatorum in littore rursus comparebat, & Pinæ nostræ affligendæ minitabatur. Sed porro nihil ab hoc attentatum est. Nono die nauis nostra à Hollandico Leone ad insulam aquæ vehendæ causa rediit: postquam dein 46. viri nostratium in terram egressi, iuxta cœmiterium 4. vel 5. incolas de Spackenburg inuenerunt, rogantes, vt ad Phulo ipsorum pergerent. Quod cum facerent, paganos vniuersos profugos, casasque eorum occlusas offenderunt.

Missis tamen deinde aliquouersum tribus viris, præfectum loci cum 69. viris, hastilibus & clypeis suit instructis inuenerunt: qui tamen ad nostratiũ conspectum se confestim in syluam recipientes, colloquiũ illis denegarunt. Hac itaq; re per nostrates denunciata, 10. alios ad syluam propius amandari visum est, qui tamen è longinquo tantum profugos ad colloquiũ pellicerẽt, & amicitiã nostram ipsis sponderent: hoc expresso mandato addito, vt nec quenquã temere violarẽt, nec ædibus ignes subderent, nec habitacula eorũ perfringerent, aut quoquo modo spoliarent. Qui cum hoc instituto iam syluæ appropinquassent, Nigri sensim retro itantes, ne ad se propius pergerent, annuebant. Illorũ tamen quidam cum ad nos in pagum inermes, gallinas aliquot, & nonnihil oryzæ detulissent, illæsis ipsis dimissis inde in S. Angelo pagum remeauimus, vt *Lanciaram*, quam ibi ante exustionem loci reliqueramus, auferremus: vbi tamen nec quenquã hominum, nec nauem petitã inuenientes ad Septentrionalem pagum, iuxta fluminis superiorem partem situm, procurrere statuimus. Illic itaq; Nigrorũ ingentem numerum, collectum obseruauimus, qui vniuersi patrio more armati cõfluxerant, vt congeries ista pagorũ videretur multorum. Nam inter eos 4. distincti Phulo seu primates suis ministris stipati cõspectabantur: ad quos etiam vndiquaq; tum terra tum mari lintribus sese identidem cõplures accumulabant. Hi ergo ad nos missis suis, vt vallo congesto excederemus, rogitantes, pecora adducenda cõpromittebant. Quod & præstitere, quam primum latus superius occupassemus, vallo deserto. Nam taurum cum capro ad nos agentes, significabant, ex alio abactis pecudibus sibi iam nihil superesse, quod impertirẽt: pro quibus adeo à nobis bonam corallij partẽ & Magridettas aliquot receperunt, etsi horum nihil captare visi, saltem discessum nostrum sollicitarent. Sed & præfectorum cuiuis vini pocillum apporrectum est, cuius illi miro desiderio capti sunt. Quo hausto, nutibus suis, vt die postero ad auferenda plura rediremus, nobis significabant.

Die 10. circa meridiẽ *Lanciara* vna è Spackenburg ad naues nostras appellẽs, rogabat, vt in littus expositi à Phulo suo nonnihil pecorũ acciperemus. Cui annuentes, postero die apud cœmiteriũ egressi, Nigros aliquot nos quidẽ morantes seu præstolatos inuenimus: sed cum ijdem nos in pagũ pergere iuberent, rebus diffidentes, è nostris duos eò præmisimus, qui de quinque obsidibus dandis instarent. Quibus impetratis, pagum adeuntes bouem vnicum obtinuimus, cum profugi incolæ secum pecudes reliquas abegissent. Hinc ergo ad pagum

Septen-

Septentrionalem reuersis, incolæ bouem vnum obtulerunt: pro quo cum parte aliqua corallij quatuor fere vlnas panni linei receperunt. Quæ cum ad naues traiecissemus, postero die Lancraræ duæ ad nauem Amsterdam omnis generis fructus & oryzam, sed inter cætera selectissimas cannas sacchari aduehebant. Quibus, vt ad suum quoque pagum acclinaremus obtestatis, cursum nostrum sectati eadem adhuc vespera ex Baye illa soluimus.

# Caput XIV.

## *De conditione & situ Baye, illius incolis, & qua occasione nostri inde soluerint.*



*Aye Dontangil* altitudinem graduum 16. habet, circuitum fere milliariũ 5. sortita, & insula præterea præalta insignis fructibus omnis generis, vt limoniis, malis citriis, aurantiis, & insuper melle, vannanas, gallinis, rebusq; aliis abundantissima: præcipue vero eadem illustri scatebra prenobilis est, quæ suis riuulis ex alto desiliens, nauib. aquatu cõmodissima venit. Sed & tribus minutis aliis insulis prædita est, vt & fluuio quodam, vicis aliquot proximis culto. Porro iuxta scaturiginis decliue ad mediam fere Bayam prope vallum septentrionale tres alij quoque pagi populosissimi, & deinceps iuxta aluei productum ad aquilonium alium fluuium vsq;, adhuc plures conspiciuntur: vnde vastum illud fluentum, ad quod oryzæ vim maximam mercati simus, duobus brachiis, vno in septentrionẽ, alio in austrum diffinditur: in quorum medio parua insula, ad aquilonem vero maior pagus S. Angelo dictus visitur. Hic proceris palis aut vallis obseptus, domibus fere 250. constat: à quo porro versus fluuij caput vicus alius, & ipse populis esculentisque abunde confertus prostat, pagus aquilonaris dictus. Ad aditus læuam, Spackenburg vicus situs est, domibus circiter 180. excultus: à quo extrorsum iuxta insulam dictam penes fluuium proximum nouissimus vicus alius occurrit. Et tot pagi nobis illic in proximo moratis cogniti & aditi sunt. Ad incolarum vero quod naturam & conditionẽ attinet, vtensilibus fere paucissimis se onerant. Ad consessum & decubitum storeis paruis, iisq; coloribus variis intertextis vtuntur: quibus sellulas, affabre factas, loco puluini dormituri substernunt. Mortaria ad summum bina tundendæ & excorticandæ oryzæ, vt & cribrum ei colandæ, & ollam coquendæ, & saccum asseruandæ, & calaboros (cochlearia sunt) hauriendæ, aut exedendæ adhibent. Regis ornatus & amictus cæterorũ fere similis est, pannus nempe restrictus, ex certaq; herba contextus. Brachia sua multis annulis cupreis, vt & colla orbiculis aggrauant. Primas eorum (Phulos dictus) ex clunabulo seu sica lata eaq; longiuscula internoscitur, quam ille sceptri loco gestat. Cæteri omnes huius dictamini parentes, terrã colunt. Venationibus etiam sese exercent, quibus arcu feras figunt, aut cercopithecos. Student quoq; piscatui, & ludis bellicis, ad quos suo modo valde agiles, prompti & robusti sunt. Tum interdiu, tum noctu certa quadã in domo suas excubias agũt: ad quã rem vigilũ plerunq; 30. selecti & constituti sunt, à cæteris signo albo ad pectus assuto internoscibiles. Pro armis habent hastas promissas, & prægrandes parmas ligneas, post quas se ita dextre compositeq; occulere norunt, vt de pedibus vix quicquã nudum promineat. Occupantur iidẽ quoq; re pecuaria. Fœminæ illorũ serunt plantantq;, & oryzam vannanasq; patria arte præparant. Carne perraro vescuntur. Piscibus fere & lacte saturæ. Ex definita quadã herba vestes sibi contexunt (ex qua & viri amiciuntur

*Sinus Dontangil descriptio.*

*Supellex incolarum.*

*Ornatus*

*Domus excubiarum.*


ciuntur

ciuntur) ad genua fere propendentes, superius corpus synthesi saltem simplici contectæ. Pro ornatu gestant armillas ex stanno, vel crudo argento ad formam manillarum ex Guinea allatarum fabrefactas, vt & ex eadem materia globulos rotundos, quibus tamen Magridettas, & ex vitro cyanei coloris rotundos orbiculos longe præferunt. Lapidem apud eosdem quoque *Languecca* dictum, ex Zeilon insula aduectum cum rotundis aliis Magridettis Dallemannis conspeximus. Boues insuper præualidos,& tanti æstimatos possident, vt adorari ibi illos,& ad Canorinorum, Indorumq; Malabarorum exemplum singulari religione coli ab initio arbitraremur. Capras magno numero alunt. Oues habent rariores,sed tamen & canes non paucos. Cicures eorum aues sunt gallinæ & anates. Feræ autem gregis innumeri. Grana serũt leguntq; oryzam, phaseolos triplicis generis,milium; fructus autem vannanas, limonia, mala citria, aurancia (sed hæc tamen copia minore quam in insula S. Mariæ) zinziber, grana paradysi seu Meligettas, & fructum item alium auellanæ nucis magnitudinẽ habentem, cuius folia Gariophyllos odore referunt. Radicem adhæc quandam externa facie zinziberi valde similem,interius tamen flauam seu auream, quæ lingua Malaica *Cunhet*, Arabica *Ttabet*, Lusitanica *Casran de las Indias* nuncupatur, effodiũt, quæ mansa ad primum gustum quidem propter abundantem humiditatem nullius efficaciæ creditur: tandem vero linguæ acrimoniam quandam zinzibere leuiorem offert. Lilia eadem candidissima promit: aliàs medicinæ tota vtilis. Huius permagna quoque in Iaua & Indiæ locis aliis copia prouenit.

*Languecca lapis.*

*Fructus.*

# Caput XV.

## *Qua ex causa nauibus nostris in Sundam soluerimus.*



VNDIQVAQVE euolutis nobiscum rerum præsentiũ circumstantiis, cum propter cõceptum ab incolis metum suspicionemq; nullam cum iis amicitiam firmam pactum iri existimaremus. Feb.12.die an.1596.impellente Circio viã in Sundam arripuimus:quo cursu cum 14. die dicti mensis terra de Cabo Antongil nobis adhuc in conspectu esset, cõtinua malacia fluctuantes, tandem 24. Febr. ventum occidentalem, nobis valde desideratum nacti sumus. Toto hoc transitu fere semper magna volucrum copia, *Weroæ* ab incolis, à Lusitanis vero *Garayas*, dictarum obseruatur: vt & aliæ *Robos Forcados* appellatæ, quæ nigrę aues, ad picarum tamen fere modum variegatæ sunt, caudam promissam, instar forficis sartoriæ fissam diductamq; habentes. Aues hæ, vt & volantes, pisces alij seorsim suo quodam loco percensebuntur. Ad Sundam itaque titubante cæcia ventisq; inter se valde diuersis iter tenentes, tandem mense Martio diebus 14. integris ventũ impellentem occiduum consecuti sumus, & ex Cõpasso rationẽ putantes, inuenimus nos iam 70. milliarib. ad orientalem insulam *Brandaen* nauigare. Opinione itaque nostra breuia vniuersa, ex mappis præsentibus monstrata, præterlegentes, illorum tamen nulla obseruare potuimus. Attamen vortices aliquos, ibi serpentes quamplurimos ructantes in transitu notauimus. Maij 4. die sub ipsum nouilunium aduerso vento vsq; ad 27 diem eiusdem mẽsis acti sumus, quo tempore, cum gubernatores nauium Dolide missa fundum nullum tenerent, & pincernę simul aquam valde deminui quererentur, decretum factum est, vt porro cuiuis portio saltẽ dimidia, nempe ad dies singulos mensura aquæ media ministraretur. Quo euentu sitis inter nauigantes miserrima oborta est, vel ob id quoque compri-

*Aues Meroæ siue Garayas.*

*Brandae insula.*

comprimis, quod tempus idem æstu annuo alias molestissimum esset. Pinas interim de aqua superstite Leoni naui nonnihil cõmunicabat. Iunij 3. die de transgressore quodam supplicium sumptum est, pœnæ loco sclopeti glande traiecto. Eodẽ loco rursus Cinereas prædictas Meroas seu Gauias, & aues cæteras grandi copia notauimus. Die 5. terra quædã nobis conspecta est: de qua visa obleuandæ & mitigandæ sitis solatium, gaudium publicum desiderantibus oblatum est. Sed ad illam tamen propius admouentes, insulam esse, & à Sumatra (vbi polus Australis grad. 5½ fere attollitur.) 16. fere milliaria distare, comperimus. Postero itaque die vel dum propius impellentes, cum iuxta eam sex vel septem Canoas conspicaremur, nec tamen ad illas cursum satis tutum sciremus: Celocem ad eas de loci situ & ratione percontatum emisimus. Interim post maiorem hanc insulam duæ quoq; minores alię conspectui nostro obtigerunt, ad opinionem nostrã figendis anchoris haud incommodæ. Insulani vero conspecti, cum nostros ad se recta excurrere viderent, remis suis concitatius terræ appellentes, & Canoas suas in aridum extrahentes, confertim vno numero viri 23. profugere cœperunt, & colloquium nostratibus detrectare. Colore hi Brasilianos æmulabãtur, & capillis ad humeros demissis, arcus cum spiculis quam plurimis gestabant. Quos eo pacto armatos ob id ne ipsi quidem nostrates omnino cõsequi poterant: nec eos prolatis monstratisque aliquibus mercimoniis ad se prorsus pellicere.

*Transgressor quidam plexus.*

Frustra itaq; eo excursu facto ad naues post reditum est: à quo dein sequente nocte vento aduerso ad Septentrionem tam valido impetu retro compulsi sumus, vt sub diei posteri auroram nos à terra tribus integris milliaribus abesse cerneremus. Sed & eadem tempestate pinas nostra è cõspectu nostro disiecta est. Quã ob causam cum ex Leone disploso tormento & aplustriis suffixis signũ daretur, paulo post altam Sumatræ terram & pinam nos ad eam recta pręuolitantem conspicati, de insula amittenda & pina cõsectanda sententiam ratã fecimus. Porro itaq; Iunij die 11. Sumatrã insulã q̃ proxime subiuimus: à qua iuxta littora Iauę, insulæ multæ se prodiderunt: ad quarum vnam longiuscule porrectam, incognitam tamen, confidentes fundum argillaceum 25. orgiarum tenuimus. Eodem è loco ex Amsterdam naui emissa scapha Canoã quandam conspectã insectata est: quam tamen remis suis attingere haud valuit. Postero die in insulam è nauibus egressi, eam desertam, incultam & meris syluis asperã aduertimus: quæ ob id nec suppeditandæ quidem aquæ indicium vllũ promebat. Interim sub depressis littoribus prima vice tria, secunda vero nouem vela à nobis notata sunt, quorũ vnum naues nostras prætercurrens, iuxta dictam modo longiusculi protractus insulam substitit. Ad quam nauem cum celocem nostram emisissemus, viros sedecim offendit, quorum sex remis ducendis occupabantur, cæteri sub tabernaculo seu postico conclaui, ad *Paraus* formam constructo, vestibus ex omni colorum genere variegatis amiciti considebant. Qui tamen ad colloquium sollicitati à nostris intelligi nihil potuerunt. Cumque de *Bantam & Iapara* per modicum, de Sunda vero & *Calapa* nihil quicquam indicare possent, ad littus, vnde egressi erant, proram retorserunt. Cui rei, cum nos non vsquequaque fideremus, ꝙ eos piratas esse, nauesq; ex Mancabo versus Bantã traiecturas obseruare suspicaremur, collatis sententiis decreuimus, vt pinas nostra cum addita Celoce armata terram Sumatræ, hanc rẽ certius percontatum, ad eosdẽ iterũ colloquio sistendos impeteret. Pinas ergo viris 16. munita, cum velum recta in terræ edita panderet, villos seu pagos aliquot in transcursu legit, quorum primarios *Dampin* vocabant. Quo toto cursu cum vbinis 20. 21. & 22. orgias fundi arenosi teneret, citra vesperam quam proxime apud insulam quandam, duabus minoribus aliis cinctam, sese demisit. Hominum ibi quidem expressæ voces audiebantur: sed interim tamen nec quicquam vel hominum vel nauium cõparebat,

*Sumatra terra.*

*Insula longiuscula.*

*Paraus certum nauis genus.*

*Dampin oppida seu pagi primarij.*

vsq; dum consecuta die aquam queritantibus naues vno quidem loco stare quatuor, alio autem sex velis ferri conspicerentur. Quæ hactenus quidem à se inuicem remotius currentes, nobis conspectis arctius se iungere illico cœperunt. De aquæ ergo hauriendæ loco à nobis interrogati, cum digito intento aliquẽ monstrarent quidem: nos tamen veriti, ne commento tali & excogitato dolo ab illis saltem amoueri quæreremur, vt nos ad pinam nostram haud cunctantes comitarentur, vrgentius apud illos instituimus. Quod annuẽtes, cum bona pace nos in suas naues suscepissent, ingressis nobis varia exprompserunt & commonstrarunt. Inter quæ & inauratus pugio, Crees ipsis nominatus, & aureus item annulus, adamante non magni pretij, nec vsqueadeo artificiose polito consitus, numerabantur. Iidem sub primum nostrum conspectum æneum quoq; tormentulum *Bas*, ipsis dictum, pro sui defensione exprompserant: sed cum deinde admissos nos illud attentius contueri viderent, idem reconderunt. Postquam itaque hi nos *Canoa* sua ad pinam vsque comitati essent eosdem ad naues suas reduces nos quoque officij loco iterum consectati, pro rubeis & cyaneis corollis atque *Madrigettis* cum ipsis pisces, Vannanas, Melones, cannas saccharinas, cocos, allia, cæpas, & fructus item alios nobis tum quidem incognitos permutauimus. Ex quo loco vna cum iisdem post ad Sumatræ terram firmam perreximus.

# Caput XVI.

## *Quid in Sumatræ insulæ pago quodam, Dampin dicto, cum primate loci congressis & confabulatis euenerit.*



CVM *Paraus* dicta naui itaque prouecti, breui interuallo tres vel quatuor Canoas occurrentes habuimus, ex quibus haud temnendæ æstimationis viri aliquot, lineis vestimentis colore cyaneo tinctis induti conspiciebantur. Quos cum de aqua haurienda percontaremur, via monstrata nos per alueũ salsuginosum ad locum quẽdam perduxerunt, quo 20. circiter ædiculas, casarum ad formã extructas & ex palmarum foliis affabre intersertis contectas offendimus. A loci ergo huius inquilinis rogatis, ad aquam peruestigandam nostrum binis deductis, illam quidẽ riuo præcipiti confertim defluam deprehenderunt, sed haustu tamen difficilem, si incolæ quid contra nos fors moliri vellent. Hoc omnium primo loco piper crescere conspeximus, quod contortim & volutim per crassas & elatas Cannas, instar lupuli in altum assurgebat: cuius ob id præsignem copiã, vt & Garyophyllos, Nuces Muscatas, cucurbitas & cucumeres, coemimus. Carnis ibi nulla copia, sed vim tamen ex palmæ fructibus confecti largitas haud parua aderat. Huiusce regionis fœminæ crassissimis armillis ornatæ, à lũbis mediis tela desuper procidua, & item alia superius corpus seu pectus intectæ spectabantur: quæ crines vinculo iuxta occiput religatos promittebant. Metuentibus vero nobis, vt, defluxu maris facto, incolæ contra nos quid machinandi tempus nanciscerentur: celoce ad *Pinam* reuersi, illam è loco illo vela fecisse animaduertimus. Qua causa ad duas alias minores insulas aquæ gratia excurrere coacti, re infecta & inde remeauimus. Postea ad pinam 4. Canoæ impellentes, gallinas, oryzam, piper & caxas emendas obtulerant. Ego interea postquam celoce locum illum, quo naues aliquot morari conspexeramus, incurrerem, de aqua haurienda percontaturus: accidit vt de improuiso nulla nostrorum voluntate sclopetum disploderetur.

*Piperis crementum.*

Cuius

cuius fragore, qui in *Paraus* naui erant, peruti, festinanter velamenta sua storeacea prætenderunt, productoque suo tormento *Bas*, & quasi hostili animo id à nobis factum esset, vibratis armis valde nobis minitati sunt. Remis itaque celocem nostram in terram impulsam cum illi viderent, littus & ipsi insilientes, egressuros nos abstinuerunt: vt ad priorem locum, vnde veneramus, nobis vitandi tumultus gratia omnino redeundum esset. Ad nauem postmodum frustra quæsita aqua reuertentes, Almadiam cum ea quandam inuenimus, à qua pro 12. Regalibus octonorum baziorum, Caxas permutantes, pro singulis Regalibus Caxas 3500. recepimus, vt minoris monetę nulla nobis post penuria esset. Vndarum vero refluxu mari altiore facto, cum *Paraus* statione se sua efferret, nos sub noctem ad eandem remeantes, præter salsam aquam tamen nihil inuenimus. Pinas postmodum vento ab ipsa ora perflante ad naues redacta, *Paraus* aliam attigit, quæ nostris in longiuscula supra dicta insula aquę copiam monstrauit. Sed & loci Dynasta vltro nobis spopondit in Bantam se nos Gubernatoris loco prouehere velle, si pro qualibet naui Regales quinque quaternorum mercedis loco ipsi depēderemus. A meridie *Paraus* iterum alia ad Pinam ventitabat, *Caxas* pro Regalibus permutatura, quam tamen inanem à nobis demisimus. Sequenti die, dicti mensis, scilicet 19. scaphis aliquot pro adferenda aqua excurrimus. Sed & Niger Laurentianus, qui numerato die apud nos fatum obierat, post insulam proximam terræ mandatus est: quo tempore ex Bantam velum quoddam promoueri cernebamus. Ad insulæ, iuxta quam nauibus consederamus, tergū quatuor insuper aliæ comparebant: qua nocte ex occidentis & Septentrionis intermedio ventus prævalidus ingruebat.

*Caxa minor moneta*

Iunij 16. sublatis anchoris eodem vento prouecti, bolide bis iacta 22. orgias fundum arenosum tenuimus. Sedata itaque paulo post Concitatione, ne retro longius abiiceremur fluctibus, ab oriente in occasum turgentibus, anchoras rursus demisimus. Sed à meridie derepente iterū perflante borea, Orientē arripuimus, quæ meta intra præallatam illam longamq; insulā excurrerat. Ex freto isto recta perflante vento, naucleri insulani Dynastę consilio ad 19. orgias cōsedimus. Vbi cum ex Bantam discretas aliquot *Paraus* vela facere conspicaremur, recta sub insulam deflexímus, quod venti aduersi paulatim increbescerent. Inde tandem rursus promouentes cœcia impellente, naues itidem alias in Sumatram protendere conspeximus. Quod vero quotidie ibi Eurum à meridie flare nobis scitum esset, ad 15. orgias iterum anchoris consedimus ad posterum vsque diem, quo locum mouentibus noua alia *Canoas* à firma Sumatræ terra Cocos aliquot, nonnihil Betelle, & Areca attulit. Sed nauis isthæc Dynastæ insulam, naucleri nostri propria fuerat, viris 14. onerata: quorum duo nauem nostram conscendentes, Nauclero dicto honorem singularem exhibuerunt, Manu nimirum eius pedem à planta sursum ad genu vsque promulcentes, & eadem manu post caput suum à mento ad verticem vsque quasi perfricantes. Nocte hac cœlum vndiquaque pluuiosum nos molestabat. Iunij 18. die distinctis quibusdam locis naues septem prospeximus, quarū è binis ad nos appellentib. altera Naucleri nostri *Paraus* fuerat: altera vero procerus quidam & ad speciē illustris vir, Xylina veste aureo filo intexta indutus vehebatur, qui Betelle, Arecca & Cocos nobis offerebat, pro quibus eundem nos quadam lintei portione donauimus. Qui tamen à nobis discedentes, furtim indusium & linteamina alia nostratibus surripuerunt. In freti huius faucibus bolide missa 25. orgias tenuimus, fluctibus violento pulsu in occidentem nutantibus, adeo vt ab ortu in austrum vento boreali nobis currendum esset. Circa vesperam iterum 28. Orgiis defixi, loco illo Vespertilionum magnum numerum conspeximus, gallinas magnitudine æquantium: vt ob id spectaculum hoc nobis certæ admirationi esset.

*Mirus reuerētia exhibendæ modus.*

*Vespertiliones magnitudine gallinæ.*

Iunij

Iunij 19. castellum quoddam prætergredientibus nobis *Paraus* quam plurimæ appropinquauere, quarum aliquæ velis quoque vtebantur. Hæ *Cocos*, piper, Garyophyllos, Nuces muscatas, Vannanas, gallinas, & aurantia aduehentes, an ex Goa vel Cochino versus Bantam contenderemus, percontabantur. Cursu interim nostro nihil singulariter promouentes, cum anchoris iterum 27. orgias teneremus, fluctu aduerso & aere gelidiusculo gliscente, quieuimus, vsque dum postero die Africo flante nonnihil inde rursus progressi, malacia coacti anchoris ad 22. vel 30. orgias consideremus: sub cuius tamen tempus medium vela rursus attollentes, discretas passim naues è longinquo prospeximus.

# Caput XVII.

## *Ad portum Sundæ prouectis nobis quid primo impulsu obuenerit.*



IAM tum propter fluctus aduersarios, tum crebras vētorum permutationes, (quod nimirum à media nocte ad sequentis diei medium, horam quippe decimam, vulturnus, & à dicta iterum hora vsque ad noctem Fauonius, ordinariis vicibus spirare solitant, vnde iter illud nauigantibus perdifficile accidit) velis remisque lentissimis progressi, vix tandem Iunij 22. portum ad Bantam & oram Sundæ attigimus: quo loco in prospectu nostro amœna quidem & viridans vndiq; , sed depressior quædam insula promicabat, quam *Iauani Pulo Payan*, id est, oblongam insulam vocitant, ad cuius latus septentrionale vltra 70. vela conspicati, è longinquo syluulam quandam appellere credidimus. Vt referebatur, naues istæ omnes piscatoriæ erant: quo documento concludi potest, Bantam, vrbem populosissimam esse. In Baye seu sinu quodam terræ Iauæ *Iunco* (quod nomen Iauanæ nauis onerum 16. capacis est) quandam obseruauimus: à qua cum ad nos Canoa quæpiam visendos expediretur, idiomatis nostri ignara, & ob id ad Iunco reuersa Lusitanum quendam secum aduexit: quem de itinere nostro percunctatum, postquam in nostras naues inuitassemus, ad Iunco è vestigio remeantem, & velis sublatis angulum proximum transnauigantem, cum Iunco è conspectu nostro perdidimus. Ad horam diei 12. cum orgias 34. teneremus, paulo post deflua vnda 24. & dein ab horis duabus 10. post octo, deinceps 7. orgias tenuimus, à qua diminutione mare deinde paulatim altius iterum consurrexit. Firma Iauæ terra ex vno latere, ex altero *Pulo Payan* nobis versabatur: ex quo loco ad ortum plures alias insulas, & ipsam Bantam ciuitatem nobis recta oppositam conspeximus, ad quam vela minora visa vniuersa festinabant. Ventus tum quidem è mari spirabat Cæcias. Consilio itaque naucleri nostri ad austroeurum currentes circa vesperā ex ciuitate *Paraus* vnā approperantē conspeximus, qua sex Lusitani suis sclauis ad naues nostras prouecti significabant, à Gubernatore se missos, vnde nā veniremus percontatū: Nostrum siquidem aduentum, vt Gubernatori, sic non minus incolis vniuersis terrori & formidini esse. Quibus cum nos Hollandos profiteremur, commemoraremusque bona nos pace & amicitia nostra mercimonia pro aromatis ipsorum permutatum venisse: ipsi nos quidem loco opportuno, sed tempore valde incommodo appulisse responderunt: quod vix ante quinque dies, *Somas* totidem (naues Chinenses sunt) in Chinam amandarint: & quod itidem, quas eius diei mane naues in Baye subsistentes vidissemus, toto illo littoris protractu vix dum aromata collectum excurrerint. In cæteris erga nos nihil inhumani erant: adeoque de Rege, vbinam esset, rogati, illum ante

*Pulo Payā.*

*Iunco nauis Iauana.*

*Iauæ situs seu ratio.*

*Palimban,*

*Palimban*, Sumatræ ciuitatem, ob defectionem factam oppugnatam, cum suorum quamplurimis occubuisse, placide significarunt. Regem cũ suis maximam quidem ciuitatis partem iam dum occupasse: verum rege capto ab occupantiũ manibus eandem rursus excussam esse. Velis 200. cum quidem instructum in Sumatram descendisse: sed hominum partem maximam fame inediaque confectam tabuisse: filiumque regni heredem vnicum relictum esse, qui mensium iam quinque ætatem haberet. Ob cuius infantiam incolæ defuncti regis vxorem quandam regni Gubernatricem constituerint, mediocris ætatis fœminam, *Chepate* nuncupatam. Inter Lusitanos istos quidam numerabantur, qui quondam se in Thomæ Candisi naue ad *Ternatem* fuisse referebant: signa & commemorationem addentes ingentis miseriæ seditionisque, à Lancastro Capitaneo ad Malaccam Lusitanis subiectam inter naues Lusitanicas concitatæ. *Palimban Sumatræ ciuitas.* *Chephate Sumatra Gubernatrix.* *Thomas Candisi.* *Lancaster Capitaneus.*

Quarum tamen historiarum nos saturi solius negotiationis gratia nos præsto esse retulimus. Interim obnixe illi à nobis contenderant, ne nostras naues à Don Antonio missas diceremus, ne inter ipsos secta vel tumultus quispiam oriatur, qui nullo dubio facileque per eos moueri posset, qui è terra illa præscripti in *Pegu, Bengala, Ternassarin, Martaban, iuxta littus, Choromandel*, imo tota India ad causam suam affectatius asserendam, reconsedissent. Apud illos enim amicitiam facile parabilem esse significabant: sed iis tamen nimium credi haud debere, cum nihil aliud quam seditionem ad libertates suas redipiscendas meditentur. Per Lusitanos hos Gubernatori nostra quidem officia & amicitiam denunciabamus: sed ipsi tamen gaudium conceptum simulantes, ad ciuitatem reuersi, dolose Gubernatori à nobis audita omnia percensebant.

Dicti mensis die 24. insulæ propius succedentes ad *Pulo Payan* recta conscedimus. Ex qua intra meridiem occidentemque viridans quędam & humilis insula prominebat, defluo riuulo insignis, apud quam cum nos subsisteremus, Nauclerus ad Bantam, duobus adhuc milliaribus distantem, nos prægressus est. Paulo post Oceani Almirans, *Tomongan Angabaya*, cum interprete ad naues nostras accedens, per eum Gubernatoris nomine amicitiam & omnia ad refectionem nostram necessaria, quæ in sua quidem potestate haberet, nobis nuncupauit, & simul, vt in ciuitatem egrederemur, inuitauit. *Tomongan Angabaya, præfectus maris.*

De qua delatione cum ipsi gratias haberemus, & vt ad nos in naues conscenderet, rogaremus, ipse officium hoc detrectans, sibi in Insula oblonga aliud agendum prostare prætendit: interim tamen sollicitatos aliquot bis coctos panes secum auferens.

Quibus cum à nobis abscederet, & duas vaccas mittendas voueret, ipse non ad insulam, sed ciuitatem quidem recta conuersus, nullas tamen pro voto suo videndas vaccas emisit. Sed & deinceps Regiorum vectigalium Iudex, *Sabander* dictus, cum Lusitanis quibusdam ad nos appulit, Regis Senatusque nomine nobis amicitiam fidissimam deferens, & vna aliquammultas Gallinas, Capras & fructus alios impertiens, addita compromissione, vt, quibuscunque opus esset, compotes redderemur. Idem quoque nos apprime commodo tempore appulisse commemorabat, cum pipere omnes agri adeo prægnantes essent, vt prouentus vnius anni duplex videri posset. Hoc ergo à nauibus nostris ad ciuitatem redeunte, Lusitani remanentes à nobis prandio adhibiti, vt nobis à Iauanensibus circumspectissime caueremus, adhortati sunt. Ad conuiuium hoc nostrum, Iauanensium, Turcarum, Chinensium, *Bengalorum*, Arabum, Persarum, *Guzaratorum*, nationumque aliarum tanta copia furtim præterea confluxerat, vt locus vix omnes caperet, qui tamen vniuersi vino Hispanico appoti, circa vesperam è nauibus ad vrbem redierunt, in discedentium honorem binis tormentis elisis. Sequenti die *Tomongan Angabaya* cum *Sabandro* denuo ad nos prouisentes *Sabander, vectigalis Regij iudex.*

uisentes, Gubernatoris nomine suoque necessaria vniuersa offerebant, & vna, ne Lusitanis temere quid fideremus, rogitabant: qui vnum hoc satagerent, vt nos passim inuisos apud omnes præstarent, homines quidem à naturæ malitia tam secretos & occultos, vt animis sensisque à nemine quoquã solide cognosci possent. Sed & ad sumendum animum, metumque omnem excutiendum nos vnice cohortabantur, quod portus iste mercatoribus vniuersis pateret: suadebantque, nos ante cæteros omnes aromata & species petitas impetraturos esse. Et cum petiissent, vt ex promptis nonnullis mercibus opulentiæ nostræ ipsis specimen daremus, gratificantes, eos vlnis octo *Cassæ* viridis donauimus. His hoc pacto dimissis, Gubernatoris mandato breui post Niger quidam, natione Quillinus alias Quillinum Panian id est, longus Quillinus dictus ad nos adiit, denuncians, vniuersum regnũ suppetias nostras & auxiliarem manum sollicitare, & rogare, vt ad Palimban Sumatræ ciuitatẽ vela facientes, è parte maritima ciuitatẽ tormentis concussam oppugnaremus, & sic ipsis pedestri itinere secuturis ad inuadendã & occupãdam eam cõmoditatem præstaremus. Quo facto, prædam totius vrbis obuiã nobis cessuram magno emolumento addebant. Sed petitionẽ huius tum nos ita diluimus, quod non pugnatum, verum mercatũ ad eos appulissemus. Superius dicti gemini cum apud nos adhuc morarentur, cũ mappas nostras videre auerent, ex illis cursum nostrum eos docuimus: id addentes, peregrinationis tam longinquæ hanc nobis vnicam causam instituendæ fuisse, vt bona ipsorũ gratia negotiationis perpetuitatẽ stipularemur. Qua re ipsi oppido q̃dẽ gauere visi sunt, maxime, ꝙ à nobis didicissent, singulis sex mensibus ad eos excursum, nostrosq; recursum confici posse, etsi hæc quidem nauigatione in perdiscenda tutissima & compẽdiosissima via menses 14. triuissemus. Quo colloquio discessum tũc erat.

Postero die 26. nationes diuersæ nauibus nostris acclinabant, cum quibus omnibus amica æquitate negotiati sumus. Sed & his nos de Lusitanis cauendis commonefacientibus, merces quasdam valde gratas exprompsimus. Ex eo loco celocem nostram, necessariis viris munitam ad sinum occidentalem, à Iaua 3. mill. dissitum expediuimus, vt ad pagum ibi finitimum de emendis pecoribus laborarent. Hi, quod sclaui meri essent, etsi illorum vendendorum nullam copiam haberent, attamen pro Norinbergensib. speculis ternis prægrandem ollã, *Indigo* humida confertam permutarunt. Interea temporis ad nauem Mauritium Satrapa (vt apparebat) quidam accedens, visis mappis de propere re nulla alia asserta recessit: quem postea à Lusitanis ad nos explorandos emissitium cognoueramus. Chinenses quidem varij generis ad nos merces conuehebant, vt procellanas, Serica, opera sericum & similia. Nautæ nostri naues in mare altius promouentes, circa meridiem austrinouento paruas quinque insulas transmeauerunt, quo tempore Bernhardus Heynick diem obiit. Cum vero ad dictas insulas nostri nullum aditum inuenirent, vesperi intra easdem medias anchoras iactantes, locum eum ad defuncti nomen *Berels* siue Bernhardi indigetauerunt: vt consimili quoq; modo primarij Chirurgi nomine Hermanni, Insulam Hermanniam vocauerunt. Diei 27. mane primo *Paraus* quamplurimæ vna cum Sabandro ad nos aduectæ sunt: qui hortator nobis erat, vt in terram egressi, Gubernatorẽ salutaremus, & iuxta suetũ morẽ Regis loco ipsi pro pacis & fœderis signo munus deferremus. Quam ad rem duo nostrũ primarij cum vase crystallino, in aurato speculo, pannoq; Coccinei coloris, secreti, à Quillino Paniã deducti sunt. Hi itaq; ad portũ inuecti, & aquã præhumilem, & stationem valde aridam inuenerunt. Ingressis illis cum primum Lusitani occurrissent, salutatione vltroque citroque facta dolosa, iterum discesserunt. A quibus Sabander eos accipiens, in palatium Gubernatoris, prandentis adhuc deduxit: quem præstolandi gratia in hortum secedentes, fusum ibi tormentum æneum præsigne conspexerunt, ad cu-

*Insula Berels.*
*Insula Hermanni.*

ad cuius os granati quinq; fabæ magnitudinem superantes inserti infixique nitebant: cui in proximo *Basæ* quinq; & item Mortarium vnum accubabant, peluesq; aliquot non procul inde appendebant. Gubernatori porro venięti tandem munus prædictum oblatū est, rogatumq;, an æquo ferre animo posset, si nostri eū inuiserent, & de perpetuo fœdere contraherent aut paciscerentur. Qui cum per interpretem, se deliberationem huius rei habiturum respondisset: nostri exinde in Sabandri aulam deducti, & tragematis adpostis bene habiti, naues circa vesperam repetiuerunt. Postero die, cum de Gubernatore nos visitaturo nuncium ferretur, extractis & in ordinem dispositis tormentis nostris, ad eum magnifice accipiendum omnia adornata sunt. Proceres præterea aliquāmulti nauibus ad nos contendebant, vt & nonnulli mercatores ex Persia, *Garacone*, &c. qui pretiosissima Cinnamomi & vitæ aqua nos munerabant. Sed & fructuū venum allatorū, vt raphanorū, cæparum, alliorū &c. nulla penuria hic erat: quod illic in confinio Indicæ quāplurimæ naues, quas Iuncos vocant, subsisterent, quæ nouarū indies aliunde accedentium cumulabantur. Euronotum versus riuus quidā spectabatur, ex quo creberrimæ Paraus victualia nobis necessaria aduehebant. *Granati fabæ magnitudine.*

# Caput XVIII.

## *Quidnam Gubernatore naues visitante gestum sit.*



IVNII 26. diei matutino tempore cum aliquot classiariis ego amandatus sum, vt Gubernatori obuiam progressi, eum salutaremus, commemoraremusq; classis primates desiderāter ipsum exspectare, vniceq; rogare, ne ex causa quapiam cōparere recusaret: adeoq;, si rei minus fideret, obsidem me interea secum adseruaret. Ad ciuitatem itaq;, longa serie iuxta littus protensam, vallisq; suffartis & tormentis oppido compositis munitam cū appulissemus, Gubernatoris interpres, Quilinus Panian qui ex S. Thoma in Nealipur ciuitate iuxta littus Choromandel sita oriundus erat, nobis percensebat, Gubernatorem ad portum classis primatem expectare, rogareq;, vt ab eo inde arcesseretur. Qua eius volūtate percepta, ad naues rediuimus, vt ibi celoce parata, cum primate gubernatorem inuitaremus: cuius rei prænunciandæ gratia Balaan quoq; quædam emissa ei nostrum accessum indicatū fuerat. His ita agitatis, Sabander ad Celocem appellens, sollicitauit, vt vt in terram nos egressi, seipsum interim obsidem in nauibus asseruaremus. Quod nos tamē negantes, terram attingere prius noluimus, quam solida pax inter nos confirmata interuenisset. Sed & Lusitani nobis suas omnes facultates officiosa delatione nuncupabant. Tandem Gubernator ex portu 16. grandibus *Paraus* conspicuus soluit: cui cum primas noster eadem naui acconsedisset, præministrata ad narrandum occasione Belgij nostræ patriæ statum potissimum ipsi explicauit, rogatusque quot numero naues quotannis ibi quamque numeroso milite instrui possint, quot mensibus ad emetiendum hoc à nobis institutum iter opus esset, & an hoc idem iter deinceps quoque ad eos tentaturi essemus, omnia ex ordine plane expediuit. Quæ dum mutuo ita colloquio tererentur, interim ad naues nostras deuentum erat: vbi Gubernator cum nobilibus suis omnibus pompatice & splendide acceptus est. Iam ergo cum in *Caiut* (nauis cubiculum primarium est) deduceretur, subitaneo pauore ille adeo perculsus stabat, vt totus contremisceret, in carcerem se nimirum aliquem abstrudi ratus. Et si verum fateri licet, facinus id quidem satis audax & temerarium erat, Gubernatorem ipsum cum nobilitatis suæ præcipuis tam confidenter extra qui-

dem ciuitatem se peregrinis nauibus committere. Sabandri tamen & Tomongani sollicitationibus persuasus conclaue illud tandem ingressus est, & officiosis verbis spopondit, aromatum nemini cuiquam quicquam cessurum prius, quam ad placidum & sufficientiam naues nostras nos petitis rebus onerassemus. Sollicitanti deinde, vt merces nostras ipsi conspectandas promeremus, panni aliquot *Holosericei* Coccineique expediti sunt. Quorum cum aliquam partem rogitaret, vtriusque generis pannum accepit integrum à non inuitis. Naue tandem nostra à summo ad imum diligenter oculis perlustrata, vt ad discessum eius honoris gratia omnia nostra tormenta disploderemus obtestatus, petitam rem impetrauit. Ad quam rem propius oculis vsurpandam, Sabander interim, dum ista fierent, in naui restitit. Postero die cum classiariis aliquot ego res quasdam nauibus necessarias mercatum ciuitatem ingrediebar.

*Cornelius Holtzman.* Iulij primo die Cornelius Holtzman cum sociis nouem Gubernatorem adeuntes, ab eodem vt & primoribus regni cæteris pro loci consuetudine solemniter accepti sunt: quibus ob id patentes Comitis Mauritij literas, de solido fœdere & pace stabilienda, adeoque de tuta ad mercatorum cæterorum exemplum negotiatione exercenda inscriptas, insinuarunt. Quæ cum Lusitanica Arabicaq; lingua accurate expressæ legerentur, post à nostris cautione propria illorũ manu præscripta sollicitata, discessum & ad naues reditum est. *Cæsar, Raya Dauina.* Huius diei vesperam præpotens quidam Dominus & illustris in Bantam venit, quẽ Lusitani Cæsarem salutabant, quod pater eius Regibus omnibus in Iaua imperitaret. Hunc Bantani autem ideo suum Imperatorem agnoscere recusabant, quod ante hoc tempus idem in Malacca aliquandiu vixisset, adeoq; Lusitanorum partibus haud obscure iam faueret. Vnde eo recepto sibi metuebant, ne Lusitanis subditi fieri cogerentur. *Cæsari reges quid se præbeant.* Huius rei tamen nullo respectu habito, passim ab omnibus regie admissus est, adeo, vt & Reges ipsi complicatis eum manibus alloquerentur, qui gestus Sclauorum in suos dominos est. Idem iste Iulij 2. cum filiis suis & aliquot Lusitanis ad naues nostras excurrens, omniaq; quæ in illis erant curiose dispiciens, nescio quid magni deferebat. Pretiosa è gossypio veste sarta, aureoq; filo traiecta indutus venerat: cuius filij magni pretij aureum oblõgum Clinodium, gemmis affabre intersertis ornatum, & è cingulo pendulum gestabant. *Capita fœderis.* Altero die Cornelius Holtzman in terram denuo egressus est, tentatum & curatum, an fœderis capita, gubernatori ante consignata, confirmari stabiliriq; possent. Quæ haud cunctanter ab eodem subscripta, & vtrinq; præstito iuramento obfirmata obtinuerunt, hac generali nimirum clausula, vt fidem vtraq; pars sartam sanctamq; seruaret, & si alterutri illarum aliunde quid incommodi aut belli intentaretur, altera expedite ad hostem debellandum & fundẽdum se sisteret. In via Cæsar dictus nostratibus obuians, eosdem secum ad palatium suum, extra ciuitatem (qua pernoctare nunquam solet) situm inuitatos abduxit: vbi epulum, varij generis fructibus Indicis & conseruis opiparũ ipsis ministrauit. Cui cum & Lusitani aliquot adhibiti essent, qui nostratium familiaritatem contentissime ambiebant. inde se efferentes iunctim vno comitatu in ciuitatem redierunt, vbi à mercatorib. quãplurimis nostri submisse inuitati, passimque laute habiti tractatique vesperi naues repetiuerunt. Interea nullo non tempore ad nos quãplurimi ventitabant, spe & velo oblatæ amicitiæ à nobis quid impetraturi. Nonnulli quoq; piperis vẽdendi titulo se muniebant: cuius tamen emendi consilium nos in messem propediem futuram differebamus. Die 5. Quillinus Panian noctu ad naues nostras appellens, Gubernatoris nomine nos cohortatus est, vt circumspectos & paratos nos gereremus. *Cæsaris molimen.* Cæsarem enim, lingua sua *Raya Dauina* dictum, sub specie visitationis amicæ, incautos nos opprimere cogitare: ad quod felicius patrandum iam dum quoque Lusitanos stipendio certo conduxisset.

Collegio

Collegio ergo nostro conuocato, cum ad singulos se muniendos & accingendos edictum factum esset, tormenta etiam globis accuratè onerata sunt, & reseratis armamentorum vasis, necessaria omnibus arma exprompta. A meridie de eadem proditione diligenter cauenda à Gubernatore denuo admoniti sumus, addita significatione, de nobis inuadendis iam in ciuitate hostium discissos animos gliscere, cum alij id institutum proteruius vrgeant, alij contra ex causa æquius dissuadeant. Nos tamen admonitiones istas omnino dissimulantes, ex nostris quendam cum confictо nuncio in palatium Sabandri amandauimus: qui vno isto loco vltra 40. sclopeta parata expeditaque inueniebat. De qua re cum eum Sabander suspicaciorem obseruasset, quæstionem præueniens, ea ad exigendum & ciuitate exturbandum Cæsarem deprompta asseuerauit: qui factionibus quotidianis ita inualesceret, vt de occupanda ciuitate metus haud frustraneus esset. Cæsar interea ad facinus præsumptum vrgendum, vndiquaque socios & complices conquirebat: quorum cum multi bona eius pace refragari non possent, inuiti assenserunt. Cum vero pòst Cæsar institutum suum nobis proditum persentisceret: viam nos obtruncandi aliam meditatus, significari nobis curauit, conuiuium sibi paratum magnificum esse, & ad id omnes nauarchos, naucleros, classiarios, officiarios, tubicines, & Musicos nostros inuitare, qui diem illum generaliter apud se haberent, & familiaritatis mutuæ confirmatione sese inuicem demererent.

Dies autem conuiuij 8. Iulij nominabatur. Iulij 7. die sociorum nostrorum iterum bini emittebantur, vt Gubernatori & comprimis Cæsari significarent, ne contra naues nostras quicquam attentarent. De machinatione enim illorum nos satis edoctos, & ob id contra omnem euentum prouide munitos esse: adeo vt eas inuasurum, suum ipsius & probrum & damnum haud dubio cusuri sint. Cautius itaque agerent, nec per omnia Lusitanis fidem haberent, qui eos sui priuati commodi causa saltem instigarent, vt soli nimirum ex omnibus nationibus negotiatione ibi valerent, & ob id per proteruiam nos piratas aut Anglos (qui, quod ante triennium ibi malo exemplo grassati essent, passim omnibus nauseabantur) confingerent. Quibus assertis pro clausula obtestati sumus, vt boni publici gratia sinistram de nobis per calumniatores quosdam concitatam suspicionem mitterent, & liberam negotiationem, cuius vnius gratia locum hunc adiissemus, haud inuiti nobis indulgerent. Cæsar harum se rerum nihil conscium simulans, excusatione doli præmissa, rogando dein institit, vt supra dicti officiarij inuitati cõstituto die pro amicitiæ symbolo conuiuio se sisterent: quod se relaturos fideliter nostrates ei promittebãt. Die tamen 8. Iulij iterũ binos nobiles cum honorariis ad Cæsarẽ ablegauimus, qui interea ad classis nostrę primates cõuiuio adducẽdos nunciũ suum emiserat: cui se tamen vniuersi officiose de emansione excusabãt, prætendentes, de valetudine aliquot suorũ non satis bene cõstitutum esse. Prius tamen, quam nuncius redabiret, in nauis partẽ inferiorem ille deducebatur: vbi cum tam frequẽtes ex parietibus pendere armaturas cõspexisset, stupore perculsus bene longo tẽpore vix verbũ fari poterat: tum tandem confidens rogitaret, an Capitaneus & qua de causa potissimum cõmotus esset. Tandẽ à nauibus idem in terrã reuersus, omnia quæ viderat spargẽdo & effutiendo trepidationẽ apud omnes sequenti nocte tantã concitauit, vt de nauib. oppugnãdis pòst animũ fere omnẽ abijcerent. Iam ergo postquã Cæsar detectum suũ consilium vtrunq; persensit, asserta suæ innocentiæ qualicunq; persuasione, acceptoq; honorario 11. Iul. Iacatrã inde profectus est. Etsi vero Cæsaris dilutiones ad speciem haud ineptę essent: certo tamen nobis documẽto cõpertum erat, Lusitanos eidẽ iam dum pro nudis nauibus 4000. Regales octonorũ addixisse, & institutũ Cæsaris insuper etiã omni apparatu, tormẽtis, commeatuq; subministrato adiuisse.

*Cæsaris altera fraus.*

*Cæsar dolo detecto abit.*

*Baſa ſeu Baſs tormentum æneum minus.*

Nono Iulij die in Bantæ ſtationem *Iunco* quædam incurrit, ex *Baſis* æneis octies deſulminans,& apluſtre candidum pro ſymbolo gaudij, quod portum iam tutum ad Bantam attigiſſet,ſuffigens.

*Goia Raioan Turca.*

Decimo & vndecimo die Turcici Arabiciq; mercatores quamplurimi naues noſtras accedebant,inter quos quidam etiam *Goia Raioan* dictus,qui olim Venetiis degebat,& linguam Italicam probe callebat,numerabatur.Hic ſe redituris nobis comitem offerebat, vnde in patriam Conſtantinopolim poſt perrecturus videbatur. Per *Achem* ſiquidem, Sumatræ ciuitatem tranſitum intutum perhibebat, quod loci Rex, Magnus Achem dictus, omnes mercatores detinere ſolitus breui tempore antè *Bantanis Iunco* duas ſurripuiſſet. Et hi præcipui erant, qui Cæſaris auſum diſſuaſerant, prætendentes, non æqua facilitate naues Hollandicas, qua Luſitanicas occupatum iri, quas ante triennium ſub amicitiæ ſpecie intra Maduram & Iauam iuxta Ioartan violenta manu inuaſiſſet.

*Achem Sumatræ ciuitas.*

Iulij 12. tres nobiles è noſtris in occurſum Sabandri emiſſi, eundem ad naues deduxerūt. Poſtulabat iſte, vt primarius noſter in terram gubernatoris compellandi gratia egrederetur,ſeipſo interim in nauibus manſuro obſide. Quod etſi quidem primarius non admiſſurus eſſet: attamen filius eius natu maximus patris loco relictus eſt, & Cornel. Holtzman cum Reynero Verchel Sabrandri ductu Gubernatorem conuenerunt: vbi repetito iuramento noſtrates promiſerunt, caſu ita poſcente Gubernatori pro viribus & cunctis facultatibus ſuis ſubuenire,& in commerciis fidem perpetuo ſartam habere.Sed & Gubernatore noſtris auxilium firmum contra hoſtes omnes, etiam ipſum Cæſarem fors quippiam deinceps moliturum addicente,poſtquam his ratis datis inuicem diſceſſiſſent, poſtero die illico merces quaſdam in tabernam nobis conceſſam exportauimus:quibus vendendis *Reynerus Verchel* præficiebatur. Eodem fere tempore *Factor Malacanus* obiit, ab omnibus valde deploratus: qui nuperæ Luſitanorum factioni ſe quoq; præ reliquis oppoſuerat. Die 16. Gubernator ipſe frequenti virorum comitatu in tabernam noſtram deſcēdit, merces quamplurimas pro fori æquitate eo pacto emens, vt eas ad piperis futuram meſſem ſolueret. Sed ab hoc deinde plurimi quoque nobiles,mercatoresque, vt Arabes,Chinenſes,Bengalenſes & Mallaici tum ad tabernam noſtram, tum naues accedentes, piper venum nobis offerebant: eius tamen primores noſtri nihil redimere ſtatuebant, priuſquam de valore cum Gubernatore conuentum eſſet.

*Cornelius Holtzman & Reyn. Verchel fœdus firmāt.*

Die 19. *Quillinus Panian* ſub noctem cum Reyneri literis ad naues noſtras rediit,tum merces plures ſollicitans, tum denuncians, quod poſtero die Gubernator cum ciuitatis Epiſcopo naues noſtras ſpectatum venturus eſſet. Quare adornatis & compoſitis ſingulis, mane cum nobilibus quibuſdam eis occurſum à me eſt.Cum vero iam ad ciuitatem ventum eſſet, vnda valde humili inuenta, in ciuitatem interim me exportari curaui, vt Reynerum Verchelium in taberna conuenirem.Qui cum ad Sabandri palatium properaret,eum cum Gubernatore eſſe intelligens,infecta re ad me rediit. Fruſtra itaq; nobis morantibus, ad Gubernatorem ego ablegatus abij, vt ei ſignificarem, apud naues noſtras eius præſentiam valde optari: Qui ob id rectà quoque naue ſua accelerans, à noſtris ſolemniter acceptus petiit, vt mercium noſtrarum taxam ei patefaceremus: quæ tamen res in aliud tempus differebatur. Vitreis itaque aliquot munuſculis oblatis, & in honoris ſpecimen nonnullis maioribus tormentis eliſis, ad ciuitatem redierunt. Nobis interim à diuerſis nationibus piperis indies magna copia venum apportabatur,pretio ſatis tolerabili. Cum vero noſtris ſententia ſtaret meſſis futuræ omnino expectandæ, emptionem hoc tempore omittendam conſultius rati ſunt:etſi Luſitanorum quidam, *Petrus de Tayda*, noſtram amicitiam ſibi ſtudioſe concilians, cum mercatoribus aliis quoque ſemper nobis emptionem ſuade-

*Petrus de Tayda Luſitanus Hollandorum ſtudioſiſſimus.*

ſuaderent, piper iam omnium æquiſſimi pretij proſtare, affirmando: cum poſtea ad Chinenſium appulſum illud carius multo futurum ſit.

Luſitanus hic littorum omnium inſularumque Indiæ orientalis nauclerus ſcientiſſimus erat: quas etiam mappis aliquot expreſſas nobis ſpectandas exhibuerat. Iulij 28. die mercium permutandarum cauſa ego ablegabar. In foro itaque magno, quod *Baſar* vocant, à ruſticis quotidie multum piperis, menſura ſolita, quam *Gonlan* nuncupant, redemimus: quo modo, cum quantitas eius increſceret, & nec dum meſſis inſtaret, à primoribus conſtitutum eſt, vt emptio ad commoditatem maiorem differretur. Hæc ita dum agerentur, Luſitani interim nihil feriati, Gubernatorem indies obtundebant, proditores nos & exploratores cauillantes, qui terræ illius conditionem percontatum veniſſemus, non quod prætenderemus, commercia tractatum. Nullo dubio nos prædatum egreſſos, cum nauibus in tranſitu quibuſdam conflictatos eſſe, & ſociorum noſtrorum partem maximam infelici pugna prodidiſſe. Alias fieri haud vllo pacto potuiſſe, vt à tam diſſitis terris ſolis quaternis nauibus & tam imbelli manu in has oras penetrare potuerimus. Flandros ſe præterea ad Vlyſbonam quamplurimos alios quoque vidiſſe, nobis tamen nulla parte ſimiles. Quibus ſermonibus illi Gubernatorem paulatim ita obtuderant, vt iam de nobis nouas ſuſpiciones conciperet, ad quas firmandas iidem quoque magnam illi pecuniæ vim deferebant, vt nimirum eo loco negotiatio nobis nulla libera permitteretur. Gubernator, vt ſupra diximus, partem quidem auri merciumque haud minimam à nobis impetrauerat, quam appenſo pipere deinceps ſolueret. Debiti itaque vt illius aliquam partem aliquando minueraret, pro vno *Catti* ſaccos quinque ſtipulabatur, & à Chinenſibus piperis interim tantum, quantum huic rei opus erat, mercabatur, ſaccos nimirum ſex pro vno catti, & pro duobus, ſaccos vndecim. Cui eius conuentioni, cum primores noſtri non acquieſcere vellent, & Luſitani interim ſuis calumniis ferventer inſtarent, multoſque Bantanorum primatum magnis largitionibus in odium noſtri concitarent, bonorum permutatio tum quidem dilata, & in tempus aliud reiecta eſt. Haud leuibus indiciis itaque noſtris perſuadebatur, hoc vnum quæri agitarique ab aduerſariis, vt longius protracta re, tractu temporis diuturniore apparatus nobis promptus plerusque deficeret. Quod & ipſum à dicto *Pedro* de *Tayda* ſufficienter confirmabatur: qui geſtorum conſiliorumq; omnium minimum ad nos quotidie certius accurabat, adeo, vt à Luſitanis Iauaniſque contra nos tractari, ne tantillum quidem poſſet, cuius indicium apud nos breui tempore non expeditum eſſet. Sed bono viro hic eius erga nos fauor haud vſquequaque boni euentus fuit. Re enim comperta Gubernator ſollicitantibus Luſitanis eius obtruncandi veniam fecit. Quod 15. Auguſti die confectum daturi, illum quidem nonnihil vulnerauerunt: ſed deinde 16. die, cum à meridie ſomnum captaret, viri 16. eius domum irrumpentes, in lecto ſuo eundem penitus confecerint: quod facinus ſceleratum tamen nec vlla inquiſitio nec pœna conſecuta eſt.

*Gonlan menſura.*

*Luſitanorũ noua iniuria.*

Caput

# Caput XIX.

## *De nostrorum captiuatione, & quid illam secutum sit.*



IAM ergo præfectis nostris clare videntibus piperis solutionem seu traditionem deinceps nullam sperari posse: de Gubernatore promissam fidem fallente indignabundi, verbis vltro citroque datis eò vsque deuenerunt, vt primarius noster expresse minitaretur, tum vrbem se tormentis concussurum, tum *Iuncos* è statione prope ciuitatem obducturum, nisi solutio primo quouis tempore maturaretur. Interim saccos 21. pipere in Bazar coempto plenos ad naues conuehentes, conuasatis cęteris quoq; mercibus nos abitum parare simulauimus. Sub eum tumultum Lusitani forte *Iuncos* duas Gariophyllis & mercibus aliis onerauerant, vt eas *Malaccam* deueherent. Gubernator itaque, qui acribus verbis iam cum primario nostro contenderat, veritus, vt, si in portu suo bona illa vim paterentur, eadem præfecto Malaccano refundere cogeretur: cum Pinam nostram insuper ad Bantam, profunditatem maris vndiquaque permetientem transcurrere videret, terrorem iam nouum multo grauiorem concipiebat. Quo facto lauani nautæ vniuersi rudentes præcidentes, naues aggeri propius impulerunt. Postero mane, cum certo rumore cognouissem, ad *Iacatram* biremes nauesq; alias quamplurimas pro nauibus nostris opprimendis, & iis à littore abstinendis instrui expedirique: missis literis, ad naues propediem rem hanc renunciaui. Qua tamen admonitione non curata, *Cornelius Holtzman* cum septem sociis in terram egressus, Gubernatorem rei componendæ causa adiit, qui eos iunctim omnes ob id secum quasi captiuos detinuit, & confestim quendam ad tabernam nostram ablegauit, qui suaderet, vt cõiuncti eo loco maneremus, nec quoquam profugeremus, cum præterquã primarium nostrum, nullum alium ista res attineret, qui Gubernatorem verbis illicitis oblæsisset.

*Cornelius Holtzman cũ 7. socijs capitur.*

Die 29. cum 9. Sclauis interpretem suum Gubernator ad naues nostras amandauit, qui denunciaret, quod hactenus vnius primarij nostri ob culpam & minas detenti essemus. Gubernatorem itaque deinceps cum *Iunco* geminæ, Gariophyllis oneratæ, intactæ iam à portu soluissent, vt porro differremur, nihil quicquam satagere. Cui prætextui cum nostri non per omnia fidem haberent, elapsum interpretem ponè consectantes, eum cum cæteris comitibus captum compedibus in naui Mauritio induerunt, & ex Sclauis binos in terram exposuerunt, nunciaturos Gubernatori, nisi nostrates vinculis emitteret, velle se interpretem vnà secum auehere. Nuncio hoc ad Gubernatorem, qui in Sabandri forte aula eius filij nuptiis intererat, relato, ira ille in tantum excanduit, vt de conuiuio exurgens sanctè deieraret, velle se, nisi interpres ante Solis occubitum restitueretur, nos omnes vno mortis supplicio cõficere. Quibus nos adeo minis territi, ad nostras naues datis cum tribus Sclauis Lusitanicis literis illico significauimus, vt nulla mora captiuos emitterent, in nos vniuersos crudeli mortis genere obtruncatos experiri mallent. Qui deinde ad nos reuersi, binos Sclauos redemptos adhærebant, indicantes, cæteros quoque vnà secum appulsuros fuisse, nisi & aeris tempestas, & Canoæ simul pusillitas obstitissent. Aurora posteri diei promicante, cum interpres saluus in terram rediisset, pace Gubernatoris impetrauimus, vt quinq; viri scapha emissi nostris in nauibus certum facerent, trita adhuc omnia esse, nec minus iam quam prius negotiationem nobis omnem liberam per-

tam perstare. Merces itaque nouas ad nos emitterent, & de bono euentu sperarent. Nostris vero qui in nauibus erant, cum videretur de mittendis mercibus longe aliud, cum Pinæ scapha virum vnum aliquot pueris stipatum emittentes significauerunt, vt ad extricãdos nos prima quauis occasione viam comminiscemur, quod sibi, ob aquæ defectum, longior mora valde difficilis futura esset. Emissitius ergo iste cum nudus sine nostris ad nos hoc pacto veniret, & ob id à Gubernatore eandem vinculorum sortem nobiscum experiretur, solatio haud magno nos reficiebat: eò comprimis, quod iuxta denunciaret, decreuisse nostrates suas quatuor naues ad ciuitatem propius agere, & illam pro viribus tormentis dispositis concutere. Quod institutum eorum nos tamen literis de imminente exinde periculo expedientibus missis, tum quidem auerteramus: interim tamen & aquam dulcem, & commeatum cæterum sollicitantibus illis ex vrbe mittentes.

Septembri 4. nostrates cum piscatore quodam inquilino, ad hanc rem intercepto, literas ad Gubernatorem dederunt, laborem latoris aliquot minutis speculis rependentes. Die 5. cum Gubernator de emittendis ad nostrates literis mandatum prohibitorium euulgasset, nihilominus tamen cum Sclauo Lusitanico aliquas transmisimus. Qui proditus, & interceptus, ad Gubernatorem vinctus breui rediit. Literæ huic ademptæ mihi pòst in palatij adyto *Pacebam* dicto, restitutæ, huius fere argumenti erant. Rogitare nimirum nostrates, vt liberi in pedes restitueremur cum omnibus mercibus aduectis. Quod si inficiarentur vrbani, tum se de vindicanda iniuria modum excogitare coactum iri, cum quo iuramento sacro constituta essent, nulla ab ipsis parte seruari expresse viderent. Quo argumento lecto, ad cæteros, qui in Sabrandi aula tenebantur, rem significatum ego contendi. Eo itaque loco, cum iuncti de rerum agendarum modo deliberaremus, *Quillinus Panian* interpres approperans, nunciauit, naues nostras prope ciuitatem anchoris suffixas *Iuncos* vi occupasse, & hac iniuria ciuitatem vniuersam in arma compulisse, Sed & nos ipsi tormentorum fragorem in ciuitate abunde audiebamus. A Gubernatore verò senatu bellico coacto, statutum est, vt vinctos nos omnes Sabander carceribus mandaret. Cæteri qui tabernam tenebant, constricti & ipsi ad aulam primo, deinde ad locum illum protracti sunt, quo supplicio affici sontes sueuerunt, vt eodem & ipsi mortis pœnam luerent. Breui tamen pòst Gubernator nuncium alium misit, qui de seruandis nobis, & in Chinensium ædes distribuendis mandatum promulgebat. Ita ergo locis discretis clausi, post tamen carceri priori rursus iniecti sumus, vinculisque multo arctioribus constricti. Nihilo tamen minus interim Gubernator instabat, vt per literas nostros de porro oppugnanda ciuitate dehortaremur: quod & factum, posteroque die induciæ constitutæ sunt, ad vias reconciliationis felicius inueniendas. Nos quoque occasione data cum iis in Bantam tractabamus, quorum Iunco à nostris interceptæ essent. Sed cum omnia frustra tentarentur, in carceres omnino redeundum nobis fuerat.

*Pacebam palatij arca.*

*Bantã tormentis tentatur.*

M Caput

# Caput XX.

## *Ciuitas tormentis vice secunda quatitur: & Pinam Iauani frustra inuadunt.*



VM itaque, qui foris in nauibus erant, litem nullo expresso decreto terminari viderent, & iuxtà, vt se interea Iauani expeditius munirent, metuerent: Pinam emiserunt, ad cōspectam quandam *Iunco*, post insulā proximam vela facientem, insectandam. Rabidiore itaque impulsu, cum illa fortuito breuiis quibusdam adacta obhæresceret; Vrbici, qui Fustis 24. ad oram expediti morabantur, confestim collecti, & forma mediæ Lunæ conglobati, confertim in eam irruerunt. Nostri itaque cautius se gerentes, hostiles naues tormenta propius subire primò quidem passi sunt: quæ tamen pòst in easdem tam industrio elisu disploserunt, vt illarum vnam funditus mergerent. Iauani interim celocem, quæ Pinæ alligata ad puppem erat, confertim insilientes, funem eius resecto, conflictum iam valde animose vrgebant, hastisq; per columbaria Pinæ immissis, tumultus tam feruentes edebant, vt tormentorum nostris nullus fere amplius vsus esset. Qui tamen prolatis & adhibitis sclopetis tanta virilitate impetiti à nostris sunt, vt & horum pars magna caderet, & cæteris à latere altero irruituris non satis tutus accessus pateret, etsi numero grandi instructi essent. Licet autem & *Basa* displosa in nostros illi defulminarēt, & telis insuper vibrandis instarent: nullum tamen nostrorum læserunt. Videntes itaq; Iauani, in oppugnanda Pina se nihil quam operam & viros perdere, conuersi fugam ad ciuitatem capessiuerunt: ad quam nostri quoque eos insectati, bina in eam tormēta exonerarunt, sed sine damno tamen.

*Pinas in breuijs hæret, & inuaditur.*

His ita foris transactis, nos, qui intus captiui tenebamur, pronunciata sententia iam ad mortem damnati eramus. Cum vero de supplicij genere inter se contenderent, & pars eorum nos palis suffixura, pars altera tormentis obiectura, pars item alia pugionibus transfossura esset: distractis hoc modo potissimorum animis, supplicium nostrum in diem sequentem protractum est. Nostri interim de foris nihil minus tormentis in ciuitatem profulminare vsque ad auroram pergebant, adeo, vt præter Iauanos aliquot, noster quoque carcerarius læderetur. Sed & globus quidam per ipsum Regis palatium peruolitans, vrbanis terrorem incussit haud modicum.

*De supplicij genere Hollandis irrogando Bantanorum dissidium.*

Die 8. Septembris ad naues ex vrbe literæ emissæ sunt, vt longius à ciuitate recederent, instantes. Quod facientes, Iuncos captas Gariophyllis exonerarunt.

Die 10. alteræ ad naues datæ literæ sunt: vt iam captiuis nobis spes surgeret, tolerabili lytro nos liberatum iri.

Die 11. Cum Gubernatoris literis nostras quoque ad naues amandauimus, significaturas, liberos nos datum iri, si porro vrbem quatere desisterent. Si vero bellum magis sitirent, tum Gubernatorem & hoc modo ipsis fortiter restitutu- rum esse. Quibus lectis, à nostris responsum est, aleam sibi omnem iam dum iactam esse: Si quid armis Gubernator contra se posset, quin id re ipsa confectum daret? Sin minus, & sibi diffideret, quin captiuos suos socios vinculis non eximeret? verbis se quidem inanibus porro lactari nolle. Itaque quod visum esset, faceret. Ad hoc scriptum cum responsio nec sequenti die, nec etiam 13. promeretur, anchoris emotis naues nostrę, aqua dulci omnino vacuę, ad eam alicubi peruestigandam loco isto soluerunt.

Cum

Cum itaque rectà in longam illam insulam, vbi nupero accessu aquam hausissent, contenderent, insulam aliam præeminentem, milliaria 8. à Bantan versus Septentrionem dissitam, tenentes, eam aquæ sterilem offenderunt. Coacti itaque oram Sumatræ incurrere, ex ea 15. & 16. die eijcientes, nec his finibus voti sui compotes facti sunt. Die 17. tribus vel quatuor minoribus insulis, *Cocos* fructu plenis, admoti, naues Mauritium & Amsterdam intra eas medias impulerunt. Quo loco cum concitatissimus quidam fluuius prorumperet, naues vicinis scopulis tam propinque impulit, vt saltu vno eos attingere valerent, & periculo non leui expositi essent. Pinas vero & Leo Hollandicus ambitum exteriorem permetientes, post insulam quandam reconuenere: ad quam postquam orgiis 19. solido fundo arenoso defixissent, celocem suam pro indaganda aqua emittentes, primò fumum, postea Indianos aliquos conspicati sunt. Quos cum de aquæ loco percontarentur, eius indiciũ sibi quidem prohibitum esse responderunt: Si tamen nauis quælibet iis sclopetum vnum dono daret, tum se locum monstraturos esse promiserunt. Ita ergo depacti, ab eo die vsque ad 25. Septemb. cõtinenter aquam hausimus, indicibus nostris interim in Bantam redeuntibus. Pagus, ad quem tempore priore anchoras miserant, Malaica lingua *Sumor*, Iauana vero *Lampon* dictus, à Bantan fere 30. milliaribus intra Septentrionem & occidentem situs erat: post quem dein Calend. Octob. infra insulam *Pulo paniam* 15. orgiis nos defiximus. Nos interim qui in Bantam captiui detinebamur, quamprimum naues ab vrbe soluerant, inter eos illico diuisi & dirempti fuimus, quorum Sclaui priore pugna à nostris interfecti erant. Hi etsi nos omni studio ad superstitiosam suam religionem primò pellicerent, nonnullos quoq; vi intentata cogerent: nihilominus tamen pertinaciam nostrã experti, liberam quoquouersum eundi & redeundi copiã versa sententia nobis indulserunt. Sed & Lusitani indies ad præfectum cõcursitantes, pro vendendis nobis 4000. Regales octonorum stipulabantur: quorum tamen dominiũ gratia diuina euitauimus. De nauibus autem nostris reuersis cum indiciũ daretur, bona de euẽtu prospero spe concepta, literis ad naues emissis postero die de statu anni & nostro & rerum aliarum significauimus. Die 3. Octob. literas itẽ alias perarauimus, nunciantes, spem nobis haud frigidã esse, quod leui redemtionis pretio liberari possemus: quod Gubernator, de reducibus nauib. edoctus, nos illico omnes liberos peruagari, & promiscue cum omnibus negotiari permisisset. Die 6. è medio ipso nostrũ vnũ pro fidei maioris argumento captãdo ad naues ablegauimus, qui vberius de periculis, quæ tempore obsessæ aut oppugnatæ ciuitatis sustinuissemus, denarraret, & porro negotiationis nostræ statum pensitatius referret, adderetq; iam ad cõponendam rem vias prostare haud asperas. Quo nostro socio paulo post cũ Sclauo Lusitanico ad nos reuerso, postquã dein vltro citroq; missitatis literis, variisq; assertis apud gubernatorem mediis modisq; eum placauissemus, tandẽ 11. Octob. statutum & decretũ hoc pacto est, vt 2000. Regales octonorũ pendentes, liberi ad naues rediremus. De cæteris vero, quæ cuiuis parti belli tẽpore pro præda cesserunt, ita agi debere, vt occupata occupantium essent manerentq;, & nobis ereptæ merces debitaq; residua loco Iunco gariophyllis onerate essent, & dissidium vtrinq; cõpositum perpetua obliuione sepeliretur: fœdus nouũ & constans redintegraretur, & negotiationes hactenus interruptæ alacrius postmodũ vrgerentur. Quæ omnia vt decreta, ita reipsa in opus deducta sunt. Eodem die binos nos obsides, Chinenses, ad naues amandauimus: quorũ loco cum à nostris 1000. Regales octonorum in ciuitatem perferrẽtur, nos liberũ in pedem restituti sumus. Consequente die cum Chinensibus iterum tot Regales Gubernatori numerati sunt: à quo tẽpore ad nostras naues tum noua victualia cõuecta sunt, tum nostri in terrã egressi piper emerunt; cuius redemti onera ad 24. vsq; Octob. diem à Sabandri

*Situs pagi Sumor seu Lampon. Pulo Panian insula.*

*Holläd i liberantur fœdusq; innouant.*

bandri ministris nauibus adue&ta sunt: vt negotiatio apud omnes amica & pacifica gliscere. Eodem die legatus quidam Malaccanus in Bantam venit, qui nauem suam remis actam sub quadam confini insula reliquerat, quæ tamen & ipsa 30. die ibidem appulit, 10000. Regalibus, vt fama erat, & pretiosis insuper rebus aliis onerata: quæ omnia Gubernatori in hũc finem dono missa venerant, vt nimirum negotiationes nobis interdiceret. Quibus à Gubernatore acceptis, eiusdem mandato illico nobis nunciatum est, illius terræ nobiles negotiationes nostras nequaquam diutius tolerare velle. Et postquam breui ante cum duarũ Iunco dominis de nucibus muscatis, & mace pacti essemus, deque pretio prope conuenissemus: hac & ipsa re à Gubernatore cognita, venditoribus suas merces nobis offerre interdictum est. Iam ergo negotiatione nostra de nouo prohibita, nostris qui in terra erant, nunciari curauimus, quem ad statum res iterum nostræ relapsæ essent: qui interim tamen & à Sabandro, & amicis aliquot aliis admoniti erant, vt è terra haud cunctanter se offerrent, ni denuo vinciti in Lusitanorum manus tradi mallent. Cui suasui parentes, ob hanc causam quoq; cum bonis compluscularis ad naues illico deproperauerũt, etsi mercium partem haud temnendam post se relinquere propter festinationem cogerentur. Cum vero, vt diximus, Lusitani legati nauis in portu restitisset, nostri, qui ad vesperam ex portu ad naues redituri erant, ex illa à Lusitanis aliquot inuasi & oppugnati sunt: qui tamen correptis armis eorum insultum infringentes, ad naues salui & incolumes deuenerunt. Qua discessione facta, deinceps de omni nostra negotiatione actum erat: nisi quod ex duabus Iunco ductis nõnihil mercium adhuc impetrandarum spes quædam effulgeret. Illarum enim domini, cum eodem nobiscũ hospitio in Bantam vsi essent, & ob id familiarius nobis fauerent, contra expressum quoque Gubernatoris mandatum per hospitem suum absentibus nobis clam aliquammultas merces quotidie deferebant, modo nostro periculo eas è portu auferremus. Quod nostra alea attentantes, Calendis Nouembris naues ad portum propius admouimus, & celoce cum 13. viris emissa Iunco binas ad naues reliquas abegimus. In quarum qualibet cum 60. fere Sclaui essent, nec de nostro cum suis dominis cõtractu quicquam cognitum haberent, ad arma adsilientes, ausui nostro resistebant quidem: sed à nostris tamen cum displosis sclopetis 6. vel 7. sternerentur, cæteri exemplo terræfacti è nauibus se præcipitabant, & enatando in terram se saluabant. Hoc itaque successu Iunco binæ ad nauem Mauritium adactæ sunt.

*Hollandis negotiationes iterum interdicuntur.*

Eodem die, cum Lusitanica dicta nauis littori quam proxime accubaret, à nauarcho nostro celoces binæ cum 25. viris illam captum & abductum emissæ sunt. Quod animaduertentes, qui in illa Lusitani præsidiarij erant, Basis binis æneis in nostros tanta virilitate fulminauerunt, vt retro cedendum illis omnino esset: vel ob hanc quoq; potissimum causam, quod vento ab ipso mari efflante celox nostra prope ad littus, vbi incolarũ armatorum numerosa manus nos exceptum stabat, adacta & impulsa fuisset. Qua rerum occasione cum apertæ naues nostræ cum 50. Lusitanis armatis conflicturæ nihil prærogatiuæ haberent, proras ad naues recõtorsimus. Hac velitatione è nostris vnus vulneratus, quatriduo pòst expirauit. E Lusitanorum vero læsis tribus, vnus globo grandiore medius traiectus dissiliit. Sed & volitantium per ciuitatem glandium crebritate tres contacti, vel quatuor, breui, vt ad nos postea nunciabatur, expirarunt. Interim & fama spargebatur, classem in ciuitate contra nos instrui, ad quam muniendam Lusitani non solum nobiles inflammarent, sed & quoscunque obuios tum pecunia numerata, tum ministratis vestibus contra nos pellicerent & conscriberent. Quod si forte quidam in persona, quod aiunt, comparere non possent, illorum Sclauos certo pretio stipularentur.

Noctu ex naui *Amsterdam* aliquot adhuc tormenta grandiora in ciuitatem displosa sunt: à quorum vno globo tres viri obtriti cecidere. Nauis interim Hollandicæ Sclaui *Iunco* quadam obuiam consectati, cum præter resinam ea nihil vehi viderent, integram suo cursui promisere. Circa vesperam nauibus rursus ad ciuitatem propius consedimus. Postero die nauem quandam à mari versus nos cursitantem conspicati, postquam celoce missa ad eam ageremus, ad defensionem demissis storeis præsidiariis se expediti accinxerunt. Qui ob id sclopetis à nobis impetiti, ex cannis telorum munitorum toxico delibutorum tantam molem in nos efflarunt, vt Spiculis cœlum depluere videretur: quorum frequentia nostrum nouem vel decem, & ex his aliqui 4. vel 5. vulneribus sauciati fuerunt. Tela quidem ipsa, etsi propter tenuitatem seu leuitatem alte corpus nõ penetrarent, nihilominus tamen carnem findentia, veneni ratione vlcera putrida excitabant. Nihilominus tamen glandibus nostrorum perfossis illorũ septem viris, cum viderent reliqui, velis incitatis se nos anteuertere non posse, in Celocem suam turmatim desilientes, ea remis expeditioribus deserta naue à nostris se expediuerunt. Nauem hanc captam, oryza, piscibus reficcatis, & bonis leuioribus aliis oneratam nostri inuenerunt: quæ 40. circiter viris munita à Bandermachin, Insulæ *Borneo* ciuitate excurrerat, propter commeatum præstitũ bono nobis fato aducta. His ita transactis, cum biduum integrum aut hospitis nostri, aut *Iunco* supradictarum domini aduentum præstolaremur incassum, mercibus easdem exonerare, & in Mauritium nauem transferre paulatim occepimus: in quibus 20. fere dolia nucum muscatarum nondum lectarum, & 30. saccos Macis cum mercibus nonnullis aliis numerauimus.

*Banderma chin insula Borneo ciuitas.*

Sed missis his, ad mores, Religionem, Oeconomiam, ritus & leges Iauanorum breuiter expedienda nos maturo conuertamus.

# Caput XXI.

## *De origine Iauanorum, & eorum ciuitatibus.*



QVA origine Iauani primum emerserint, pro certo comperire nobis non licuit. De qua re tamen ipsi interrogati, à Chinensibus suum principium esse respõdent, qui quondam in China seruitutibus intolerabilibus pressi & onerati, cum hominum ingenti multitudine inde egressi in insula Iaua consedissent. Cuius rei fides vel ideo dubia non esse debet, quod Chinensibus per omnia similes fere sunt, lata fronte, buccis extulerãtibus, oculis angustis nimirũ conspicui. Ad cuius rei confirmationẽ etiã *Marco ex Paulo Veneto*, quondã *Tartarorum* Regis officiario accedit, quod magna insula Iaua olim *Tartaro* tributaria fuit: quæ tamen hodie, postquã Chinẽses defectione facta à Tartaro desciuerunt, eius dominiũ amplius non agnoscit. Sed & hodie ingens Chinensiũ multitudo in Bantam, negotiationis instituto degit, vt ibi nimirũ duras Chinarũ leges & statuta extranei euitẽt. Interim tamẽ ex China in Iauã difficilis & rara cõmeatio est, nec quisq̃ facile in illã redit semel egressus, nisi forte relictis ibi vxore & liberis ad remeandum euidentem causam habeat.

*Iauani ex China coloni.*

*Marcus Paulus Venetus.*

Iauani suum Regem proprium habent. Et sicuti plerunque euenit apud vniuersas nationes, vt domino primario deficiente, multi pro Regibus sese deinde obtrudant, quod & ab Alexandri Magni obitu accidit, cum se quisq; eius terræ primatem constituisset, cuius ante Gubernator fuisset: sic in Iaua quoque, qui cæteris potentior erat, illis se dominum obtrusit. Vnde factum est, vt singulæ Iauæ ciuitates singulos Reges agnoscant, quorum tamen potentissimus Iauanus

*Vnde singulis Iauæ ciuitatibus singuli reguli sint.*

*Quæ Iauæ ciuitates.* *Ballambuan.* *Bali insula.* *Panarucan*

cluet. Vt vero ex ordine Iauæ vniuersas ciuitates, nobis cognitas, describamus: ab Oriente in occasum protendentes, rem hanc ordiemur.

*Ballambuan* celebris ciuitas, muris & vallis vndiquaque cincta, suo quoque Rege priuato tuta, nostræ commorationis tempore ex causis deinceps percensendis, obsessa fuit. In opposito huius pulcherrima & feracissima *Bali* insula sita est, quæ sinum quendam, *Viam* ad *Balambuam* dictum, constituit. Ab hac versus Septentrionem 10. mill. ciuitas *Panarucan* abiacet, multis Lusitanis Iauanisque, Christianam fidem professis habitata, & suo insuper priuatim Rege, Lusitanis valde fauente, donata. Venalia, quibus hoc loco negotiantur, Sclaui sunt, quorum Lusitani magnam quotannis partem in Malaccam deuehunt. Sed & pipere longo abundat. Ibidem etiam vestes quędam muliebres texi solitāt, quas Iauana lingua *Caniorins* nuncupat. Ipsa ciuitas muris cincta est. Post *Panarucam* mons quidam vastus, sulphure ardens cernitur, qui An. 1586. Primo erupit tanta quidem vi & commotione, vt ab eo 10000. fere oppressi homines fuerint, & lapides prægrandes in ipsam vsque ciuitatem excussi sint: ad cuius eruptum ex fumo tantæ tenebræ concitatæ sunt, vt integro triduo nox densissima perstaret Ciuitas vero illa ad portum sita est, ad quem Lusitani plerunque ex insulis *Molucca*, *Banda*, *Abeyna*, *Timor* & aliis feruntur, aut ex *Malacca* in insulam contendunt. Superius dicti bini Reges Ethnici sunt. *Passaruan* dicta ciuitas à superiore 6. fere mill. distat, muris probe munita, & flumine insigni commoda, cuius Rex ciuitatem *Ballambuam* pridem obsederat de causis iam narrandis. Rex in *Passaruan*, Mauritanæ Religionis professor, filiam Regis de Ballambuam sibi vxorem poposcit: quam etiam illustri comitatu adductam impetrauit. Prima itaque nocte cum sponsus sponsæ pro more accubuisset, illam dein cum omni suo comitatu nefarie obtrūcauit, hac vna de causa, quod, vt ipse, illa Mauritanam fidem non agnosceret. Nec hoc contentus patrato, insuper etiam cum ingēti exercitu ciuitatem *Panarucam* spe expugnationis inuasit, ad quam tamen spe sua frustratus, & multis suorum militum diminutus cum cætero grege ad *Balambuam* properauit, ad quā confidens, supra flumen bina propugnacula extruxit, & idem, ne vel naues vel scaphæ transire possent, palis impactis interclusit. Quadrimestri spacio vrbs hæc obsidebatur: vt intus rerū plerarumque penuria maxima esset. Merces, quibus hoc loco negotiationes agunt, fructus quidam paruus & subtilis est, fragi similitudine, *Garnitre* dictus, qui à mercatoribus Quillinis magnifit, & globulorum vicem supplet. Sed & Panni Xylini inde in Bantam conuehuntur, vbi mercibus Chinensibus permutantur. *Terra de Passaruan* ex præeminenti quodam monte internoscitur: ad cuius radices ciuitas ipsa versus occidentem 10. mill. dissita est, fluuio amœnissimo quam proxima. *Ioartam* ciuitas portu commodissimo insignis est, ex quo pleræque naues, ab insulis Moluccanis in Bantam excurrentes, sese necessariis omnibus reficiunt. Ciuitas cæteroquin ipsa crasso muro cincta & munita, versus partem fluuij occidentalem ciuitatem *Gerrici* proximam habet, cuius Rex à cæteris Regulis omnibus compositis seu complicatis manibus salutari solet, quo habitu gestuve sclaui suos dominos venerari solitant. Ex geminis hisce ciuitatibus in Bantam & loca alia Salis multi cumuli conuehuntur, vnde idem porro in *Baros*, *Speriamon*, & Iambe distrahitur, & pro pipere permutatur. Eius copia in *Celduam* quoque, insulam gossypij & oryzæ feracissimam traiicitur. Post has ciuitates *Surrabaya* sita est, flumine vicino vt & Rege intestino celebris: à qua versus austrum sex milliarib. *Brandaon* ciuitas sita est, Regem eundem, qui in *Cidayo* imperat, agnoscens: ipsa alioquin valde firma, & tum muris, tum vallis propugnaculisque fortificata, portu tamen incommodo, & eodem contra maris æstum parum munito, qui 10. orgiarum limosum fundum tenens, nauibus vento impulsis stationem haud durabilem ministrat. Cuius nos exemplum

*Caniorins gentis vestis.* *Sulphurinus mons.* *Passaruan.* *Regis Passaruan factum haud regium.* *Garnitre fructus.* *Ioartam.* *Gerrici.* *Celduam. insula.* *Surrabaya.* *Brandaon.*

expertos

expertos esse, post narrabitur. Portus iste de longinquo ex tribus montib. superne planis, & ad mensarũ longarũ speciem latis pernoscitur, qui ob hanc causam à Lusitanis *Las Mesas de Tubaon*, à Iauanis autem alio nomine *Batto VVilling* nuncupantur. Stationem hanc *Iunco* quoq; à Moluccanis insulis egressæ incurrunt, vt Sale onerato ponderis defectum suppleant. *Ab Iuama* enim vsq; in *Pattem* Salinæ multæ conspicuæ sunt, cum interim in parte occidentali nullæ reperiantur. Decem milliaribus hinc ad Circium ciuitas *Tubaon* abest, suo & ipsa Regulo præclara, & hominũ confluxu populosissima. Inde 5. mill. *Caioano* ciuitas ad sinũ quẽdam abiacet, Regem quidẽ proprium, sed negotiationẽ nullã habens, vt nõ minus & *Mandalican* oppidũ, quod insulam quidẽ ad portũ adhærentem habet, sed præterea nullis incurrentib. mercatorib. insignis, & solis piscatoribus nota. Versus occasum trium mill. spacio *Iapara* ad sinum quendam conspicitur, in altũ maris trib. fere milliarib. excurrentem. Ciuitas hæc congesto ex Vallis seu sudib. munimento tantum cincta est, & flumine læto, & insuper portu commodo optatissima: adeo, vt ad illũ naues quamplurimæ contendant, rebus se necessariis probe instructum. Hæc priorib. aliquot annis suum proprium Regẽ habuerat, tum maritimo, tum terrestri imperio versus occidentem potentissimum. *A Iapara* porro 25. mill. & à Bantam 45. mill. magna & spaciosa ciuitas *Mataran* abest, cuius Rex potentia Iauam vniuersam exuperat, adeo vt Iauanis obsessionem ex causa facili minitari audeat. Quo in metu & nostro tempore *Bantani* erant, contra eum sese collectis viribus expedientes. *A Iapara* versus occasum mill. 5. *Pati* ciuitas sita est: à qua porro *Dauma* trib. mill. abest, quæ Regem suum adhuc hodie supra dictum Cæsarem veneratur, muris densis & præualidis circundata: à qua iterum 3. mill. ciuitas *Taggal* seiungitur. Trium iam dictarum ciuitatum vnaquæque suum fluuium habet, ad sinum proximum omnes interim sitæ. Porro vero pulcherrima & præampla ciuitas *Charabaon* prouisitur, & muro fortissimo felix, & fluento dulci iuxta opulenta. Hæc ex elatis binis montibus, ad ciuitatis tergum sitis, & ephippium equinum referentibus, discernitur. *Hanc Dermayno* sequitur, fluuio & ipsa felicitata: vt & simili solo *Monucaon. Intra Monucaon & Iacatræ* medium, ad angulum prominulum *Crauaon* pagus magnus, propter piscium abundantiam solis piscatorib, habitatus cubat, ad quẽ fluuius quidam se tribus bracchiis in mare exonerat: quo loco excurri solet in insulas vniuersas ad portũ Iacatræ dispersas, qui portus sinus maris est, ad quem & alia ciuitas regia, hoc loco mihi memoria elapsa, sita est. *Iacatra* regio victualiorum omnium feracissima est, quæ iniuste à quibusdã Sunda Calapa nominatur. Est enim *Sunda* Iauanæ linguæ *Locus* fertilis aut ferax omnium victualiorum, & *Calapa*, idem est quod Nux Indica. Significatur itaque locus *Cocos* seu nucum Indicarum ferax. *Ad Baye* seu sinus fauces eadem paruas quasdam insulas habet, & vadum præterea occultum, in quo impingens Amsterdam nauis rimis multis dirupta hiscuit. Fluuio eadem insigni irrigua est, & nudo vallo circumscripta, incolas fert quamplurimos, insuper & reficiendis nauigantibus valde opportuna. Ad sinum occidentalem 3. fere à Ciuitate milliarib. fluuium ea permittit *Tauioniana* dictum, à quo ad mill. vnum per aduersum flumen pagus quispiam positus est: apud quem, quotquot in Indiæ Orientalis insulas vela faciunt, aquam suis necessitatib. haustim depromunt. Versus occidentem ad tria milliaria fluuius item alius est prægrandis, *Punctan* dictus, cui prælongus eruptus adiacet, recessu maris aridus per aduersum flumen milliare iterum vnum prouectis, pagus quidam nobili indigenæ subditus & *Zenopate* dictus offertur: ad quem piperis copia abundantissima prouenit. Ad partem iterum occidentaliorum milliari vno pagus alius abest, *Tanhara* dictus: in quo transitu multæ insulæ occurrunt, omnibus in Bantã contendentibus permeandæ, apud quã portus omniũ & maximus & cõmodissimus

*Tubaon.* *Caioano.* *Mandalican.* *Iapara.* *Mataran.* *Pati.* *Dauma.* *Taggal.* *Charabaon* *Dermayno.* *Monucaon.* *Crauaon.* *Iacatra regio qualis.* *Tauioniana fluuius.* *Punctan fluuius.* *Zenopate.* *Tanhara.*

simus est, negotiationibusq; creberrimis præ reliquis celebris, de quo tamẽ postea dicturi sumus *Tanharam* deinde in reditu excipiunt pagi illi, de quibus superius commemoratum est, plerique prouentu piperis (cuius pars maxima inde in Bantam à peregrinis mercatoribus importata, Chinensibus venditur) percelebres. Lusitani quidem ante id tempus solitabant & ipsi ibi piper commercari: Sed vt Chinensibus negotiationem hanc propriam faceret, Rex Chinarum illis certam pecuniæ summam dependit, taceo, quod Lusitani alias istis mercibus eo loco emendis parum commodi facerent, cum opus haberent, piper in Iaua distantissime coemere, & illius cum promptissimo maris periculo Cochinum aduecti, Factori Regis quintale quodlibet pro cruciatis 12. tradere. Hoc itaque tempore Lusitani tantum *Druges*, Garyophyllos, nuces myristicas & harum florem, vt & Santalinum lignum coemunt quæ postmodum in Malaccam & loca alia distrahunt.

# Caput XXII.

## *De situ & conditione ciuitatis Bantam.*



BANTAM ciuitas in depressiore loco ad radices præalti cuiusdam montis, ex quo desuper duo riui per vtrumque ciuitatis latus defluunt, sita est. Ex eodem præcipitio per mediã ciuitatem riuus quoque tertius maior deriuatur, eidem & commodum magnum & satis firmum munimentum ministrans. Muri illius orgia vna crassiores, ex latere cocto rubro extructi sunt. Sed & portas quasdam inaccessas habet, ad quas tum noctu tum interdiu excubiæ aguntur attentissimæ. Ad quemlibet lapidis iactum propugnaculum vnum statutum, vno quoq; tormento sed eo sine rotis munitum visitur, quo tamen perindustrie vti norunt, etsi instrumentis nullis aliis instructi sint, quam puluere pyrio ex Malacca aduecto. Turres cæteroquin habent nullas, præter theatra quædam, trium tabulatorum spacio elata, & ex truncis, crassisque lignis consertis constrictisque erecta, quæ acclinatis scalis conscendentes, & easdem post ad se sustollentes, incursantibus hostibus potentissime resistunt. Cum iidem proxime intellexissent, Regem Mataran contra se exercitum educturum, ciuitatis muros circumcirca ambulacro seu circuitu ex arboribus longissimis succoronarunt, tanta latitudine, vt & supra illum tuto ambulare, & firmo pede stare, & contra hostem pugnare liceret. Ciuitas vniuersa tribus tantum latis seu regiis plateis peruia est, quæ omnes ante palatium Regis seu Pacebam coeunt: ex quo loco vna è Pacebam recta ad mare deproperat: altera ad portam terrestrem excurrit: tertia ad portam montis portenditur. Lapidibus ciuitas minime constrata, sed mere arenosa est. Sed & è Canali vno in alium ita transiri potest, vt vniuersa ciuitas scaphis adigendis aperta sit. Canales vero isti cum ad vniuersas emittendas ciuitatis sordes nõ satis magni vel ampli, ipsa quoque ciuitas insuper ex se Paludosa sit, plerunque cœnosi & fœtidi inueniuntur. Incolarum enim tam viri quam fœminæ multoties in publico lauant, & commoto fundo æqua subinde turbatur, lutulentaque redditur. Templum capacissimum habent, *Mesquita* dictum, iuxta Regis palatium ad latus occidentale situm, ad cuius alterum Orientale latus armamentarium, bellicis omnibus instrumentis instructum, opponitur. Ad austrũ aula iunioris Regis posita est, cui Chepate Gubernatoris domus adhæret, iuxta quam supra dicta ad campestrem portam deducens platea excurrit, qua vniuersi Regis serui, Sclaui & officiarij habitant, & insuper stabulum equorum cum culina Regia prostat.

*Mesquita templum.*

prostat. Ciuitas porro in quatuor dirempta partes est, quarum cuilibet nobilis vnus præfectus est, vt eam tempore belli, incendij, & casibus reliquis tutetur. Pars quælibet suis terminis à reliquis discreta est. In qualibet etiam parte suum peculiare tympanum, magnitudinem dolij omas 9. capientis, referens, suspēsum est, quod malleo appendente pulsatur, quoties vel incendiū vel tumultus alius oboritur. Idem & circa meridiem, & auroram & vesperam pro solis aut diei signo publice dando feriunt. Peculiares quoq; pelues habent, quibus sonitum pulsumq; loco campanarum ad excitandum, colligendum cōgregandumq; populū cient. Singulis ciuitatis angulis sui excubitores dati sunt, & nocte aduentāte ponticuli omnes remouentur, alioq; seponuntur, vt transitus de nocte nulli per vrbē pateat. *In Pambam* siue Pacebam singulis noctibus ad carcerem 50. viri excubant, & ad nobilis cuiusuis domū viri 10. vel 12. vigilias agunt: Quorū ædes ingressis primo occursu area quadrilatera *Paceban* dicta, obuenit, vbi poscentium causas audiunt. Locus vero seu tugurium, quo excubię aguntur, arundinibus aut foliis palmarū contectū est. In areæ dictæ angulo quodam suas *Mesquitas* domesticas habent, in quibus meridiei tempore precationes suas fundunt. Ad has fluuius seu riuus est, quo se emundant aut abluunt. Introrsum itaq; pergentibus, aditus angustus offertur, angulis quamplurimis obseptus, vbi sclaui eorū habitant, suos dominos à nocturnis hostium insultib. defensuri. Ipsi enim vt nemini facile fidunt, sic fidei non magnæ sunt ipsimet. Aedes eorum, 4. 8. aut 10. ligneis columnis, artificiose sculptis superinstructæ sunt, superne quidem palmarum foliis intectæ, inferne vero ad frigus captandum totæ patentes. Illic etenim loci aer nunquam frigidus est. De nocte prætensis telis seu velis patentem hunc locum circumquaque obducunt. Cubicula nulla habent, nec ad recondenda necessaria, tabulata superiora vlla. Conditorium saltem vnum habent contignationis vnicæ, sine fenestris, ex lapidibus constructum, & desuper stramine tectum. Hoc bona sua vniuersa asseruant & eripiunt, tempore incendij: quod in hunc finem quoque crassis ramis intortum, & arena confertim inspersa munitum est, ne ignis profundius penetret. Cuncta ædium sublicia ex crassissimis arundinibus, *Bambo* dictis, assulatim dissectis constant. Vnde tenui labore sumptuque suas ædes extruere possunt, quod nostro tempore coram videre licuit. Cum enim repentino quodam incendio ædes quamplurimæ tum intra, tum extra ciuitatem conflagrassent, illæ vniuersæ vno quatriduo reædificatæ & redintegratæ fuerunt. Quoquouersum tum iuxta littus, tum iuxta terram cæteram ædes quamplurimæ ex ordine statutæ sunt, quarum pars maxima nationibus extraneis, vt *Mallaicis, Bengalis, Guzaratis & Abessinis,* quorum ibi peringens copia degit, addicta est. Chinenses locum quendam occidentem versus occuparunt, apud quos & Lusitani consederunt, & nobis præterea habitatio concessa fuit, ex altero latere vallo, ex altero vero palude obsepta, ita vt ex loci natura illa defensioni aptissima esset.

*Excubiæ quales in Bantam.*

A Ciuitatis respectu riuus maior decurrit. Quo loco si dulcis aquæ putei effodi possent, nullo negotio sumptuque leui arx munitissima extrui apta esset, muris nimirum ea ciuitatis parte deiectis, & lapidibus inde erutis ad arcis muros statuendos conuersis. Hoc enim pacto impediri posset, vt nec biremis, nec *Paraus* nec vlla nauis alia vel in ciuitatem temere incurrere, vel ex ea facile egredi posset: cum cæteri canales alias istud genus nauium non admitterent. Sed & vadi ipsius præter hoc tanta humilitas est, longius in mare exporrecta, vt, etiamsi ex nauibus in castellum tormenta fors excuterentur, globi tamen, iactus longitudine eneruati, non facile castello quid incommodaturi sint. Optandum itaque esset, huius loci incolas tempus & occasionem commoda accuratius attendere, priusquam à Lusitanis præuenirentur. Quod siquidem fieret,

nullo dubio ex sola Iaua aromata, verum etiam ex *Malucca, Ambon, Banda, Timor, Solor, Macasser* & insulis quamplurimis aliis confertim importarentur.

# Caput XXIII.

## *De Bantanorum Foris, mercibusque, & qua mensura vel pondere eædem venundentur.*



SINGVLIS diebus in Bantan triplex forum mercib. omnis generis exponendis venundādisq; constituitur. Primū loco quodā spacioso, orientē spectāte agitur, vbi ad solis illico ortū variarum nationū mercatores, vt *Lusitani, Arabes, Turcæ, Chinæ, Quillines, Pegus, Malayos, Bengales, Guzarates, Malabari, Abissini*, & Indici alij suas negotiationes tractatum conueniunt. Huius duratio ad horam diei nonam est, à qua inde ad sua se quisq; recipit. Vt vero expressius sciatur, quænam potissimū & cuius generis merces ibi venales reperiantur, à principio exorsi secundum ædium lōgitudinem procedemus, & porro iuxta aquam, viam reflectemus. Ad fori itaque aditum, vbi *Mesquita* vallo cincta adstat, fœminæ considunt cum saccis, & mensura ipsis *Ganta* dicta, tres circiter libras Hollandicas piperis capiente. Hæ à rusticis allatum piper coemunt, Gantam vnam pro 800. aut 900. *Taxis*, qua re ipsæ valde solertes & industriæ esse solent. Idem locus Chinensibus quoque proprius est, qui priorib. expeditiores, rusticis aduentantibus occurrunt, & quanti piperis vecturam vniuersam æstiment, rogitant. Quam ad rem stateram, textorū libris similem, paratam habent: ex cuius caudice parte vna pondus, ex altera saccus capiendo piperi aptus, ne fors fallantur, appenditur. Ad locum vallis succinctum, vtrinq; quamplurimæ mulieres inueniuntur, *Betelle, Areccam, Melones aquaticos & Vannanas* vendentes: quibus in proximo assident liba & cætera huius generis venum exponentes. Quibus preteritis locus alius est, ad cuius dextrā omnis generis arma, vt *Basæ* æneæ, pugiones, Cros dicti, hastarū Pila, cultri, & ferramenta alia cū Santalo albo & citrino prostant. Ad læuam vero, Saccharū & confectiones aliæ promuntur. Huic in proximo forum fabarium est, quo albi, nigri, rubri, virides & Cærulei Phaseoli venundātur, Ganta quauis pro 300. taxis æstimata. Hoc excipit forum Ceparium seu alliarium, ante quod obambulant mercatores, qui pannis lineis vendendis quæstum faciunt, aut peregre negotiaturis pecunias mutuo dant, ea conditione, vt feliciter reuersi duplum refundant. Quibus si inuia nauis peritat, tum Danistæ nec de capitali nec de vsura tenetur. Ad loci huius dextram forum Gallinarium est, vendendis gallinis, Anatibus, columbis, Capellis, Psittacis & auibus reliquis ordinatum, ad cuius limites viæ dirimuntur, ita vt vna ad tabernas Chinensium, altera ad forum Olitorium, tertia ad *Carnarium* deducat. Tabernas Chinensium adituris ad dexteram Gemmarij aliquot tum *Coracanas* tum *Arabes* sunt, viles pyropos, Hiacinthos, Spinellos, *Balasios*, Granatos, & Robassos venundantes. Ad læuā Bengali & alij picturis & rebus, similibus negotiantur. Post Chinensium tabernas stant, qui vendunt filum sericū, omnis & generis & coloris, & item pannos Sericos, Damascenos, Holosericos, Satinū, filum aureum, diachrysum, catinos cantharosq; Porcellanos, sportulas elegantissimas Laccā, cupreas patinas, maiores minoresq; ex cupro Cantharos, hydrargyrū, capsulas præstantes, varij coloris Papyrum, Calēdaria, aureum foliatū, specilla, pectines, specula minuta, sulphur, machæras Chinenses, quarū vaginæ Lacca obductæ sunt, Radicē Chinæ, flabella, Vmbellas Quitasols dictas, ad Solis & aeris quascunq; iniurias arcendas paratas, quibus duæ plateæq; vtrinq; confertæ sunt.

*Ganta mensura.*

Iam

Iam vero alteram viam tenentibus, Beniali cum suis picturis visuntur. Ad dextram forum lintearium virorum, ad læuam fœminarum nuptarũ occurrit: quorum metam nemo sub grauis mulctæ comminationem ingredi audet. Ex vtroq; porro latere forum est pomarium, Nucarium, vbi pariter variæ herbæ fructusq;, nostris multum dissimiles venundantur. Qui vero horum nostros referunt, sunt poma aurantia, Citria, Limonia & Granata seu punica, quorum forum ad fines viæ terminatur. In reditu forum aditur Piscarium, ad cuius læuam forum Carnarium est, emendis carnibus bouillis, ceruinis & bubalinis comparatum. Porro itaque forum se pandit Aromatarium, ad quod suis tabernis mulieres aromata, pondere minimo & ad cuiusuis arbitrium sollicitato emetiuntur. Aromata autem hæc fere sunt, piper, Garyophylli, albi, nigri, Muscatæ, Macis, Cinnamomũ, Cuminum, Zinziber aridum, Zedoaria, Zurumbeth, piper lõgum, Cubebæ, Amfiun, Fagara, Calambar, Garro, Santalum, Costus Indicus, Nardus, Iuncus odoratus, Calamus aromaticus, Chinæ radix, Rhabarbara, Galanga, Seuersad siue semen Zedoariæ, Fœniculum, anisum, Coriãdrum, *Bangue, Datura, Cannoxit, Cantior, Samparantan, Curcumia, Pontion, Gato, Gambeir, Sasani, Daringi, Tagui, Caumbi, Tianco, Mandian, Maiupodi, Sari, Branhan, Darin Tuio, Tagari, Iurahan, Sambaia, Ialane, Parauas, Comon puto, Beniouin, Saga* alba & nigra, cum cæteris quamplurimis. *Oryzæ* forum ad dextram est, cuius copia maxima saccis prompta astat, & nauiculis ad forum cætera recondita asseruatur. In processus longitudine forum sequitur ollarum, Saccorum, storearum, & salis, cuius ibi prægrandes cumuli prostant, à *Ioartan* & locis finitimis aliis aduecti, & porro alio distrahendi. Ad læuam forum Olei seu *Cocos* est. Iam itaq; ad locum, quo mercatores obambulare diximus, reuersi, horum quoq; negotiandi modũ nonnihil expendamus. Mensura, qua piper vendunt, trium librarum & $\frac{1}{4}$ partis est, Ganta dicta. Sed & aliam maiorem, oryzæ, Sali, fabis & rebus aliis vendendis accommodatam habent, libras quatuor integras piperis capientem. Quod si põdere maiore piper emunt, tum saccis illud tradunt, quorum quilibet *Cates* 45. aut 56. libras habet: quod pondus nisi exquisite appendatur, in damnum id fit emptoris, *Cate* autem vnciæ binæ sunt. Attendi autem diligentissime oportet ne à Iauanis aut cæteris quoque emptori fraus fiat, cum plerunque piperi nigros quosdam lapillos commisceant, à pipere haud facile distinguibiles. Sed & de pipere selecto aridoque satagendum est. Foro hoc finiente, alteri exordium datur, in Pacebam, siue ad palatium Regis, quo annona omnis generis comportatur, & à Chinensibus insuper etiam piper expromitur. Hoc ad meridiem, interdum quoque ad vesperam durat. A meridie ad Chinensiũ habitacula victualia omnia, vt Capellæ, gallinæ &c. venum exponuntur. Huiusmodi itaque fora singulis diebus æquo modo celebrantur, in cuius quæstu faciendo Chinenses se valde ingeniosos præbent. Cæterum de pecunia eorum alio loco commemorabitur.

*Cate sunt binæ vnciæ.*

# Caput XXIV.

## *De Iauanorum in Bantan religione, & commerciis mutuis.*



IN ipsa Iaua, vt & ad tractum maris littoralem vniuersum superstitio Mahumetana gliscit. In ipsius vero terræ meditullio Ethnici sunt, instituta Pythagoræ rata habentes: cuius hoc singulare dogma fuit, animam hominis, è corpore suo vt vetere hospitio expulsam illico in corpus aliud migrare quodcunque obuium. Hac etiam de causa & ab omnibus, quæ vitam vel habẽt, vel habere possunt, prouide abstinent: & animal nullum occidunt aut mactant.

*Pythagorici.*

*Mahumetani.* Ad littus Iauanum, vt diximus, Mahumetem colunt, cuius Alcorano pertinacissime credunt. Prophetas saltem quatuor agnoscunt, Moysen, Dauidem, Iesum Christum, & Mahometem. Templis suis, *Mesquita* dictis, cultum suum seu religionem peragunt, cum silentio & deuotione singulari, faciem ad solem dirigentes, & in humum se subinde multoties prosternentes. Ad monachorum ritum horas plerunque suas lectitant, nulla venia intermittendas. Ieiunia seu Quadrasmias binas vno anno instituunt: vnam celebriorem à 5. Augusti ad dies 40. continuant, quo elapso tempore cum Sclauis & ministris suis vniuersis Pascha celebrant, vt Sartores vno circulo considentes, & in terra coepulantes. Eo tempore dominis suis solennem honorem exhibent, pedes eorum à planta sursum ad genua manu ducta promulcentes, & idem à mento dein per faciem ad occiput vsque repetentes. Hoc quouis 5. Aug. die fieri solet. Primariorũ vxores nullo vnquam tempore foris se spectādas efferunt: quarum à quolibet 12. vel *Dos qualis nubentiũ.* pauciores ductari sueuerunt, pro dote multis Sclauis, viris adductæ. Loco isto cum nos adhuc commoraremur, Sabander filio suo secundo quandam è stirpe seu familia sua coniugans, pro dote 50. viros, 50. mulieres, & 40. virgines cum 300000. *Caxis* (quæ nostræ monetæ faciunt 25. Regales octonorum, computando 12000. Caxas pro Regali vno) coaddidit. Cum his omnibus fœminis rem ipsis habere licitum est. Qui ex maritali cohabitatione liberi nascuntur, hos viris vendere non permissum est, cum primariæ coniugi omnes nascantur, veluti Ismael Saræ: quorum ab illis quamplurimi occiduntur. Quod si quandam ex affinibus suis vxorem ducunt, tum ante exactas nuptias nec sponsus nec sponsa pedem domo efferunt. Nuptiarum die cognatorum serui sclauique ornatissime *Ritus nuptiales.* vestiuntur poliunturque: & vel ad sponsi vel sponsæ ædes hastæ ex ordine multæ defixæ sunt, albis rubeisque Xylinis laciniis seu vexillis, lancearum militarium forma modoque superne religatæ, tormentorum interim sonitu quoquo versum perstrepente. A prandio Equus Ephippiatus sponso adducitur, quo ipse vniuersam ciuitatem ostentandi sui causa perambulat. Vesperi ad sponsam idem redit, ad quam interea, dum sponsus abfuit, Sclaui dotales cum suis præsentiis seu muneribus accesserunt, inter quæ & Dos ipsa eleganter adornata & composita confertur. His factis conuiuium latum & geniale datur, quo parentes sponsi aut sponsę cum his se exhilarant. A quorum obitu deinde sponsus cum sponsa sub vnum tectum, velis circumcirca cinctum, deducti, suo arbitrio concumbunt. A quo postea tempore sponsa extraneo nulli conspicienda datur. Sine *Betelle Iauanorum delitia.* Betelle aut Arecca raros Iauanorum offendas, quæ calce permixta masticant. Ex quo esu os omne purpura intensissima tingitur, vt contra dentes connigrantur, quos ipsi tamen subinde limant, & herbæ cuiusdam affrictu læuigant. His mandandis adeo intenti sunt, vt nec in Regis alloquio ferientur. Quod si familiaritatis gratia alter alterum visitat, Betelle Cistam numero in medium collocant, & de ea amicis præsentibus porrigunt, abeuntibus Cistulam suam replent. Consessuri alicubi altero autoritate maiore valente, minor alter incuruatus ad sedentem alterum ingreditur, dum adsideat: vtrique interim caprarum modo Betelle suum ruminantes.

Caput

# Caput XXV.

## *Quo habitu comitatuq́, Capitaneus ſeu Primas in Bantam ad Pacebam ſe conferat.*



I ex cauſa quadam Primas aliquis (hos Capitaneos dicunt) ad Pacebam ſiue Regis palatium pergit: tum eos vnus vel bini haſtis, & tertius gladio vagina ex holoſerico vel rubra, vel nigra condito inſtructi anteambulant. Cuicunq; itaque haſtæ tales præferuntur, hos Sclauorum aut aliorum vulgarium nemo præterire ſecundum latus audet, ſed in calcaneum ſuum conſidentes, Capitaneum tranſeuntem præſtolari coguntur, quo prætergreſſo, vias ſuas pergunt. Faſtuoſe illi & arroganter incedunt, pannis filo aureo intertextis veſtiti, & caput cidari ex ſindone Bengalica ſubtiliſſima, telam cameralem referente, contecti. Palliola nonnulli manicata holoſerica coloris aut rubri, aut atri geſtant: vt & pugiones, *Cros* dictos, ante vel poſt, cingulo defixos, quibus multum fidunt. Eos ponè miniſtri cõſequuntur, quorum vnus ciſtellam Betelle, alter vrceum aquarium fert, tertius vmbellam diffuſam, Luſitanice *Quitaſel* dictam, domino ſuo obtendit, vt eum à Solis æſtu vindicet. Nudis pedibus omnes incedunt, calceatos prodire ignominioſum rati. Domi tamen interim ex corio rubro calceos, in Chnia, Malacca aut Achen ſutos, & *Quitaſols* vocatos, induunt.

# Caput XXVI.

## *De Jauanorum natura, genere armorum, & bellis.*



AVANI fere obſtinati, infidi, malitioſi & crudeles à natura ſunt. Victores immanè graſſantur. Furtis faciendis ita ſolertes ſunt, vt nationes omnes exuperent: milites interim induſtrij, & imperterriti, & tamen tormentis aut ſclopetis vſurpandis inidonei. Quibus ſi quidem vti ſcirent, nulla vi domabiles eſſent. Arma illorum ſunt ſariſſæ flammigeratæ, & pugiones, & acinaces, aut cortelaſſæ. Clypei ſunt aut lignei, aut ex corio multiplici conglutinati. Thoraces quoque ex bracteis ferreis annullatim commiſſos, aut conſertos geſtant, vt huc ſpectante ex imagine noſcitur. Capillos magna parte prælongos fouent, vt & vngues prominentes. Dentes lima obterunt. Dicto ſuperiorum audientes ſunt, in tantum, vt & quoduis mortis periculum eius confectioni poſthabeant: vindictæ ita auidi, & iuxtà robuſti, vt ab hoſtibus perfoſſi, per ipſa quoque arma ſeſe ad occidendum viciſſim percuſſorem adigant, aut acclinent: quod his noſtris oculis vidimus. Stipendium extra belli caſum nullum habent: cuius tempore pro veſtibus, armis, victu, oryza & piſcibus merent. Mancipia plerique omnes ſunt, qui poſcente re ſcribuntur. Primatum illi diuitiæ potiſſimæ ſunt: quorum qui numeroſiores habet, opulentior & potentior à cæteris æſtimatur. Otioſi perraro ſunt, & quod agant, præfinitum ſemper habent, in vaginis ligneis pro pugionibus exſculpendis præcipue occupati, quas tam ſubtili artificio cælare poſſunt, vt ſpectantibus ars admirationi ſit. Eas ex albo ſantalo parant. Alij arma ſua poliunt, toxico plerunque in hunc finem delibuta, vt vulnera lethalia

inferant: quæ eadem quoque tanto læuore poliunt exacuuntque, vt nouaculis acutie nihil cedant. His quoque tantopere fidunt, vt nec de die, nec de nocte sine illis inueniantur. Eadem somni tempore capitibus supponunt. Aliis eadem contingere non permittunt, veriti nimirum, vt gladio iugulentur proprio: adeo proditionis pleni sunt, vt neutri vel tantum fidat etiam amicissimus. Quin imo nec fratrem facile frater compellat, suo *Cros* non probe instructus. In vestibulo ædium plerunque 3. vel 4. duodenæ hastarum clypeorumque pendent. Sed & in areis persæpe plura tormenta, *Basa* dicta, collocata habẽt, munitione tamen cætera orba. Ad sagittas emittendas fistulis etiam sufflatoriis vtuntur, quibus animæ impulsa venenata tela exspirant aut excutiunt. Ad cuspidem illa binis crenis exasperata sunt, vt pilum, ex piscis dente factum, venenatum in corpore fracto bacillo relinquatur, & putrescat. Sclopetis (vt dictum est) vti nesciunt. Cumque nostrates aliquando illorum vnum de explodendo sclopeto informassent: disciplinæ perceptæ fidens, ad feras feriendas egressus, inque bouem syluestrem forte obuium dirigens, eum quidem glande traiecit, sed vnà cum illo cadente, ipse quoque in humum prostratus, binos dentes sibi excussos, & os faciei seu maxillam inferiorem perfractã sensit, postquam à longa animi defectione sibi reditus consurrexisset. Lætus itaque tauro cæso, deinceps tamen tantum fulmen tractare nunquam redausus est.

# Caput XXVII.

## *De mercatoribus in Bantam indigenis, de eorum item commerciis, autographis, & obligationibus.*



INDIGENÆ mercatores adprime versuti, fallaces, ingeniosi infidique sunt erga peregrinos præcipue & aduenas. Inter sese nonnihil tamen fidelius agunt, & in finitimis quibusuis insulis negotiantur, bona discreta inde aduehentes. A *Macasser & Sambaya* insulis in Bantam oryzam, *Bras* Malaice dictam important: vbi mensuræ ternæ, *Geldeng* dictæ (quarum mensurarũ quælibet in Bantam vnam *Gantam* appendit) *Caxis* plerunque 1000. veneunt. In Bantam eiusdem mensuræ pòst, Gantæ binæ vel ternæ, pro temporis vsu 1000. caxis reuenduntur, quæ summa Stuferos 3. & vnam Blancam belgicam constituit, quæ inde rursus in Malaccam prouehuntur. Ex *Ballambuam* ciuitate multæ nuces Indicæ, siue cocos inferuntur, vbi harum 100. Caxis 1000. redimuntur: in Bantam vero 8. pro Sata vno, aut 40. pro Caxis 1000. Inde quoq; permagnis ollis oleum ex Cocos expressum aufertur, vt & ex *Ioartan, Gerrici & Pati*. A Iauana & confinibus aliis locis salis crassiusculi magna copia affertur, cuius 800. Gantas plerunque 150. caxis emuntur. In Bantam vero Gantas 3. Caxis 1000. reuenduntur. Idem quoque ex Bantam in Sumatram, nempe in *Barros, Speriamon, Tolombauam, Andragiren, Iambe* distrahitur, & pro *Lacca*, pipere albo & nigro, *Bemoyno*, gossypio, testudinum operimentis (*Tartaruga* illic dictis) mercibusque aliis permutant.

Cera Bantam inuehitur ex *Iacatra, Cranaon, Timor, Palimban*, & *Bandermachin*, & dimenso pondere venditur. Ex iisdem quoque locis mel optimum magna abundantia auehitur: cuius olla 13. fere Hollandicos cantharos seu mensuras capiens, 3000. & 4000. Caxis æstimatur. Saccharum ex *Iapara & Iacatra*, copia tamen modica exportatur, colore non album, sed subpurpureum, quale Hollandica

landica lingua Nothum dicitur. Ex *Crauaon* & *Bandermachin* moles maxima piscium resiccatorum effertur. Ferrum maxima abundãtia traijcitur ex *Kerimara*, ad fines occidẽtales à *Borneo* sita, vt & ex *Arpuys*, ex *Bandermachin & Banca* insula, cuius primaria ciuitas & ipsa *Banca* dicta est, vbi copia dulcis aquæ ad 3. orgyas hauritur stannum & plumbum à *Pera & Gustean*: iuxta littora Malaccæ autem ex *Cuda*, Gossypiũ, & ex *Bali Cambaua* vestes, & res aliæ Bantam inuehuntur. Mercatores qui opulentiores sunt, domi plerunq; mansitantes, aliis, qui cum nauibus negotiatoriis abeunt, certam pecuniæ summam in dupli, vel maioris minorisve restitutionem, prout peregrinatio longa futura sit, dinumerant. Ad quam rem firmandam syngraphis datis sese mutuo obligant: ita, vt prospere & feliciter itinere confecto creditori contractus tenore satisfiat: sin minus, & debitor infortunio aliquo tactus soluere reuersus nequeat, tunc is vxorem suam cum liberis pignoris loco creditori tradit, tam diu, vt debitum integre solutum sit: nisi sit, vt nauis ipsa publicam aliquam cladem sustinuerit. Isto etenim casu creditor datam pecuniam ex iure perdit. Hi & similes contractus in folia cuiusdam arboris stylo ferreo describuntur, quę designata postmodum conuoluunt. Si vero papyro inscribantur, eandem duabus tabellis ligneis industriè filo interligant. In papyrum quoque Chinensem varij coloris & summæ subtilitatis scribunt: vt & aliam, ex arborum corticibus confectam. Typographia quidem carent, penna tamen admodum industrie & composite pingere norunt. Characteres tantum 20. habent, quibus omnem suum sensum expedite pronunciant: interim & Malaica lingua & eorum quoque characteribus vsi, quam addiscere facile possunt. Quam qui callet, non in India solum, verum & insulis vniuersis prompte intelligi potest. Scholis institutis Arabicam quoque linguam addocent.

# Caput XXVIII.

## *De mercatoribus alienigenis, in Bantam habitantibus, & ibidem negotiantibus.*



ERSÆ, in Iaua *Corazone* dicti, aut Gemmaria, aut Medicina sibi victum parant, homines sapientes & amabiles, cum quibus æque & pacifice tractari potest. Extraneis aut peregrinis oppidò fauent: & nationes cæteras vniuersas, quotquot ibi negotiantur, comitate & ciuilitate post se relinquunt. Arabes & Pegusij maxima parte in mari negotiantur, merces suas è ciuitate vna in aliam traijcientes. A Chinensibus si varias merces coemunt, quas in finitimis insulis pro aliis commutant. Piper etiam colligunt, quod Chinensib. postea deferunt. *Mallaici Quillini* pecuniam fœnore exponunt *Wuzanatibus*, qui pauperculi sunt, & remigum plerunque officia præstant. Illi vna pecunia sæpe duplum aut triplum lucrantur. Veste xylina induti sunt, & caput *Tulbano* teguntur. Cum negotiandi causa in Bantam veniunt, fœminam sibi quandam pro diurnis nocturnisque officiis emunt, quam recessuri iterum vendunt. Illæ si interea ex ipsis conceperunt, tum natos secum abducunt, & fœminas libertas faciunt per solitam consuetudinem. Quæ postea aliis coniugio iungi, & rem familiarem propriam administrare permittuntur.

*Persæ.*

*Arabes & Pegusii.*

*Mall. Quillini.*

Caput

# Caput XXIX.

## *De Chinensium negotiatione, & eorundem vitæ genere.*



HINENSES in Bantam loco quodam ſeparato habitant, qui vallo ex ſudibus cinctus, & palude proxima munitus eſt. Domus ſeu ædes hoc loco omnium per vniuerſam ciuitatem maximæ & pulcherrimæ viſuntur. Ipſi quidem in commerciis tractandis valde prudentes, & in fœneranda pecunia inuentioſi ſunt, menſis interim opiparis victitantes. Ex China appellentes, fœminam, vt diximus, ſibi ſeruam redimunt, quam in Chinam reuerſuri, reuendunt, liberis ex ea prognatis ſecum abductis. Qui in Bantam illorum habitant, foras in pagos profecti, à ruſticis piper colligunt, ad eandem rem ſecum allatis lancibus inſtructi, & pro ponderato pipere cum ruſticis ex æquo & bono paciſcentes. Pagani, qui pecunia opus habent, piper vſque ad Chinenſium nauium appulſum aſſeruant, cuius poſtea binos ſaccos pro vna *Cate* (ſunt 100000. *Caxas*) iis vendunt: qua pecunia dein ipſi iterum ſaccos fere octo recolligunt. Ianuario menſe ſingulis annis octo vel decem naues appellere ſolent, quarum quælibet 25. circiter onera, nec plura capiunt. Inferius enim eædem acuminatæ ſeu compreſſæ ventrem extuberantem nullum habent: ſpecie magis, quam re capaces. Pro mercibus iſtis monetam iſtiuſmodi afferunt, quæ probi valoris, & in Banta, & in vniuerſa Iaua viciniſque omnibus Inſulis habet, Malaice *Cax*, Iauanè vero *Pilos* dictã, obolo minorem, & ex plumbo cum cupri ſpuma permixto fuſam, ita fragilẽ, vt ſi forte manipulus illius imprudenti è manibus excidat, leui iſto caſu 10. aut 12. pluresq; interdũ frangantur. Vnica nocte in aqua ſalſa maceratæ, & manè extractæ tam glutinanter inter ſe cohærent, vt diſrupturus, maſſam fere mediam perditurus ſis. Moneta iſta in ciuitate quadam *Chincheu*, grad. 25. ad polum Arcticum ſita funditur, anno primùm 1590. à Rege *Hammion* ciuitatis illius domino ſpargi cœpta. Regis huius anteceſſor *Wontai* cum obſeruaſſet, *Caxas* ante 20. annos à Rege *Hoyien* ſignatos, innumera multitudine Inſulas vniuerſas compleuiſſe, cum tamen in China nihil valerent, ſed venditio omnis emptioque puri argenti adnumeratis fragmentulis, quæ *Conduris* (fabæ rubellæ minutæ ſunt, ex latere macula nigra notatæ, Latinè *Abrus* dictæ) apponderabantur, perageretur: adeoque Chinenſes mercatores, qui monetæ huius vim grandem ſecum ſubinde aduehebãt, ſoluendis mercibus nihil proficere conſideraret: huius vilis & improbi nummi inuentor fuit, vt nimirum crebro ille vſu frangeretur, & aboleretur. Cuius intentum *Hammion* ſecutus, eos adhuc multo nequiores cudit ac fudit. Stramine per medium quadrangulare foramen permiſſo, 200. vno ſemper faſciculo infilantur, quem numerum *Satack* ipſi vocitant, qui noſtræ monetæ ſeſquidenarium appendit. Quini huiuſmodi *Satack* millenos nummos faciunt, vno nomine *Sapacou* dictos, 12000. & 13000. horum, pro moneta Regali octonorum aliquãdo redemimus. *Caxas* veteres raro videre licet, cum prope omnes perierint, nec in ipſa Iaua conſpicui. Illi antequam cuderentur, pro Caxis 10000. ſex ſaccos piperis comparare licebat, cum tamen hodie poſt Chinenſium aduentum duo ſaltem aut duobus additus dimidius pro 100000. Caxis iam valentibus emantur. *Porcellanas* ijdem quoque afferunt pretioſiores & viliores: quarum ſub Chinenſium aduentum, in Ianuarium incidentem, pro Caxis 100. patinas 5. vel 6. redimere liceat. Extra id tempus, eodem pretio vix duas, aut ad ſummum ternas impetrare eſt. Pannos etiam

*Cate quantum.*

*Cax quid.*

*Chincheu ciuitas.*

*Caxas quis ſignarit.*

*Conduri quid.*

*Satack quid.*

*Sapacou quid.*

& serici integros, vario colore tinctos, vt & pannorum partes, 14. vel 15. vlnarum, cum mercibus aliis plurimis aduehunt. Cuius rei qui plura scire desiderat, tabernas illorum perlustret eo in capite, vbi de foro seu Bazar eorum dictum est. De *Conduri* pondere præterea hoc sciendum est, etsi Regales octonorum quamplurimi in Chinam inuehantur, illorum tamen nullos in vsu quotidiano esse, sed in partes secari omnes, & Conduris (de quibus supra diximus) apponderari. Conduri 10. *Mas* faciunt: Mas vero 10. *Tayet* vnum, quæ summa 12. simplices Regales constituit. *Condurorũ ratio* Laccan iidem omnem, à ciuitate *Tolonbauan* (vbi ingenti copia abundat) aduectam coemunt, pro ea rotundos globulos reponentes, interim per aduersum flumen ascendere coacti. Sed & *Anil*, in *Auier* ollis conditum, vt & Santalum, Muscatas, Gariophyllos, *Tartarugam*, (testudinum terga sunt, *Tartarugaquid.* ex quibus in China elegantes cistulas condunt) dentes Elephantinos, ex quibus sellas formant, argento æquatas, quod soli *Mandarijus* siue Vicereges iis portentur, aduehunt. In negotiationibus suis valde se prouidos præstant, vt nationes fere omnes superent. Victus certum emolumentum quærunt vino ex oryza, & nucibus Indicis destillato, cuius artis præ cæteris peritissimi sunt.

# Caput XXX.

## *De Chinensium Religione & œconomia.*



ETSI Chinenses quidem credant Deum esse vnum, qui cuncta crearit, & ex nihilo cõdiderit: nihilo tamen minus & diabolum adorationis cultu venerantur, quem suis in templis aut larariis depictum & expressum habẽt, nimirum in editiore, sed obscuro tamen & tenebricosiore loco sedentẽ, tribus *Dæmonis mali forma & cultus.* coronis cum exertis vastis cornibus caput cinctũ, facie terribili & formidolosa metuendum, pedum manuumque loco vngues exerentẽ, & facie insuper ventri horribili addita prodigiosum. Ad simulachrum hoc flexis genibus in faciem prouoluuntur, & capite illiso terram aliquoties percutiunt. Hoc exacto, quicquid forte secum attulere, seu fructus, seu res aliæ sint, supra aram eidem offerunt, nuncupantque, & pedibus eius subijciunt. Postea in genua considentes capite nutare incipiunt, dum portentum hoc oblatis satiatum esse suspicantur. Tum vero catinum, oblata re plenum domum secum abripiunt, & cum domesticis suis deuorant. A nobis hi aliquando rogati, cur Dæmonem malum adorarent, & munera ista eidem offerrent, vero Deo spreto & neglecto, responderunt, ad Deum placandum nulla oblatione opus esse, cum is natura sua optimus & innox sit. Quod vero Diabolo sacra facerent, hoc à se fine fieri, vt, cum Genius maius & nocendi ingeniosus sit, nihil sibi damni intentaret. Forte fortuna tabulas nobiscum quasdam habebamus, quibus iudicium Christi extremum, & infernus depicta erant. Quas natis Chinensibus (nam præter hos alij quoque ibidem diu habitarunt, Mahumetanam hæresin professi) ostendentes, & Diabolum vnguibus radentes, eo vsq; ira illos inflammauimus, vt pedibus terram tunderent, & furiosorum more frenderent, comminantes, harum rerum probe cõscium Diabolum, ignominiam suæ imagini illatam haud dubio breui spacio acriter vindicaturum. Rebus œconomicis plerunque occupantur, de mercibus sortiendo, & easdem ex ordine disponendo. Ad vesperam alij cum aliis cõgregantur, & tripudiis choreisq; interdum totas noctes iuncti conficiunt: cui se lætitiæ persæpe quoque laruati quidam, aut personati histriones ingerunt. Domos mundas & probe instructas possident, de pane lucrando interim valde sollicit & operosi: quem si industria sua compara-

runt, lautis epulis iterum impendunt, & agitatis inuicem conuiuiis, hilariter absumunt. Mulieres emptitias, vt dictum est, aliquot discretas habent, quas suis officiis adhibent: vt & discretos quosdam mercenarios aut emtos seruos, quos quoquouersum ad piperis & rerum aliarum mercatum ablegant. Eosdem quoque aliis ad excursionis officium de pacto pretio accommodant, interim tamen ad suum quoque curandum iuxtà commodum pecuniæ priuatæ semper aliquid committentes.

# Caput XXXI.

## *Qua arte Lusitani in Bantam, & coadiacentibus insulis negotientur.*



LVSITANI, vt plerisq; compertum est, vltra annos iam 100. in India commercia sua agitarunt, vnde locis fere omnibus, quæstum aliquem professis, arces suas & castella munita extruxerũt, sicut in *Tidore* Moluccana insula, Gariophyllorum feracissima, & in Ambon siue Amboyna videre est. Indigenæ vero de hac re cum Lusitanis fere assiduò deprælaintur. In *Timor* insula quoq; castellum extruxerunt, vt Santalũ album & citrinum colligant, & in multas Indiæ oras venum distrahant, nempe ad littus *Malabar, Negapatan, Bengala, Chatigan, Pegu, Martaban, Aracan,* vbi in pretio singulari habetur, & vsib. quotidianis impenditur. Eo vendẽdo quæstus tantum parari potest, vt pro ligni vno trunco, in *Timor* portione aliqua panni linei binis Regalibus æstimati, redempto locis supra dictis 12. vel 16. Regalibus reuendatur. Lusitani quinetiam in *Panaruca* ciuitate ad Iauæ littus posita habitãt, vt & in Bantam, vbi etsi nullo dominio vtantur, operose tamen cum mercatoribus aliis negotiantur. Sed & ad *Ternatem* insulam, quæ & ipsa Moluccanarum vna est, arcem olim possederant, ex qua tamen ante 20. annos à Rege adhuc hodie sceptrum tenente armata manu eiecti & expulsi sunt, quod patrem ipsius propinato veneno sustulissent. Ad eam itaq; insulam rursus occupandam iam discretis vicibus varias artes cõmenti sunt, sed frustra. Tandem & anno 91. manu collecta portum eius multis nauibus ad ciuitatem occupandam inuecti sunt. Cum vero prætoriæ nauis malus ictu violento à tormentario Græco cõfringeretur, & deijceretur, re infecta iterum discedere coacti sunt: quod illic loci ob terræ siccitatem arbores malo extruendo idoneæ nullæ prouenirent. Sed vt de arcibus eorum pergamus, præter supradictas habent vnam, quæ ad fretũ Malaccanum, & aliam, quæ ad Septentrionẽ, & tertiam ad Goam Indiæ metropolim, quæ sita est, vt & alias ad Cochinum, Ornum, *Diu, Damaon, Chaul,* & ad littus Malabar extructas, nec minus in *Zeilan, Columbo, Malacca, Maccao, China, Iapan:* quibus tamen plerisq; regionibus solidũ imperiũ non habent, sed diuersis locis quasi dispersi, ab vno loco in aliũ cum mercib. suis, celocibus propter harũ celeritatem traijciunt. In Bantam extra ciuitatẽ cum Chinensibus habitant: quod harum nationũ nulli in illa considere concessum sit, ibi Gariophyllos, muscatas, macem, santalũ, cubebas, piper longum, & merces aridas alias cõmercantur, non pecunia numerata, sed linteis & mercibus cæteris, quas à suis dominis è Malacca accipiunt. Nam Capitaneorũ episcopi cæterorumq; fere omnes Factores sunt. In Bantã nec templũ, nec sacellum vllũ habent: attamen in *Panarucam,* quo loco Christiani Nigri multi sunt, caligis Indicis fluctuantib. ad Persarũ morem induti. Sclauos hi suos semper cum *Quitasol* pedissequos habent, grauitatem vbiq; & suam magnificentiam præferentes: sicut ex priore Lindtschotani libro repetere licet.

Caput

# Caput XXXII.

## *Qualia Bantani conciliabula agant, quæ ipsi Senatum Castrensem vocant.*



N Bantam conuentus publicos de causis particularibus in *Paceban* instituunt, quo tempore æstus Solis intensior deferbuit. Ad illos quicunq; volunt, coeunt. Quod si qui lites forenses habent, eos in persona comparere, causam suam dicere, & aduersarium diluere necesse est. Eo itaque loco procuratores aut Aduocati quęstum nullum sperare possunt. Nam nec ipsæ causæ tam diu apud eos protrahi solent. Causæ vero publicæ & regionem concernentes sub noctem ad Lunæ faciem decernuntur. Ad quem morem veteri superstitione, ex Persia (vt legitur) propagata compulsi sunt: ita vt & hodierno tempore ad nouilunij apparentiam domuum tecta, & arborum cacumina conscendant, & pertinaci contuitu Lunam peruideant: à quo spectaculo lætabundi in Senatu sedentes manent, dum Luna rursus occidat. Postea discessione facta, domum quisque suam repetit, & dum fercula quædam adornata sint, cum vna suarum coniugum indormiens exhilaratur. A meridie iterum congressi eorum causas audiunt, qui postero die in Senatu easdem publice propositur i sunt. Quo itaque rursus collecti & congregati, vniuersi in terram desident, & in duorum vel quatuor primariorum vno ordine considentium, medium, Rex vel Gubernator sese collocat, qui cæteris causas necessarias proponit, & illarum deliberationem sollicitat, quo nempe vel modo vel via procedere oporteat. In responsis audiendis à summo ad imum descenditur, collectisque singulorum sentētiis tandem quod facto opus sit, decernitur. Quod si bellum res concernit, Capitaneis omnibus, qui 300. sunt, cōuentus indicitur. Nam multitudo cætera omnis inter hos diuisa est. Expeditione aliqua decreta, ex 300. istis vnus secernitur, cui cæteri omnes obediunt.

*Bantanorū de Luna superstitio.*

# Caput XXXIII.

## *De rusticis, colonis & Sclauis in Iaua.*



Tergo ciuitatis Bantam, post littus de Sunda, ad radices montis *Gonon Besar* appellati, piperis cremento celebris, populus quidam numerosus consedit, qui quondam à monte iuxta *Passaruan* eo Coloniam deduxit. Quo loco cum à *Passaruan* Rege seruitutibus iniquis protererentur, in Bantam pace Regis, aliquot articulis præstitutis, admissi sunt, ciuitatemque *Sura* dictam condiderunt, qua & Rex ipsorum consedit. Cæteri, quos ciuitas non capiebat, quoquouersum se in pagos distribuebant. Pacis amantissimi sunt, & agricultura victum quærunt. Pythagoræ leges & Braminiorum exemplum sectati, nihil quod vitam habet, edunt, homines ad miraculum continentes. Prius quam Alcoranus aut Mahumeti superstitio disseminaretur, Iauani omnes vna religione gaudebant. Nunc & per hos eadem varia facta est. Vxores nullas ducunt, vestes ex candida arborum papyro sutas gestant: cuius materiæ partem quoque capiti obuoluunt, & item aliā è lumbis demittunt. Hic omnis eorum vestitus est. Vitam deniq; merè Philosophicam degunt. Hi piper & fructus aliis vendentes in Bantam deportāt.

*Gonon Besar mons.*

*Azygi.*

Agricolæ Iauani à Rege aut aliis primatibus terram conducere solent: & proës vel oryzam vel caxas appendunt. His mutare locum, & aliò migrare, quoties lubet, licet: quos *Captiuos del Rey* vocant. Sclauorum nonnulli in pagis quibusdam, vnum dominum agnoscentibus, habitant, agros dominorum colentes, & fructus maturos colligentes, eosdemq; herili culinæ importantes. Interdum hi prædia eadem à dominis suis cōducunt, & pro qualibet *Cocos* arbore 1500. aut 2000. caxas stipulantur. Quo contractu ne quid damni sentiat, ipsi cura est. Hi iidem persæpe pro diali stipendio operis delatis merent, Caxas 800. plerunque cum victu, aut 1000. sine eo lucrantes. Cæteri, qui dominis suis domi deseruiunt, præter victum & amictum nihil impetrant. Sclauorum quoque genus aliud est, qui sex diebus dominis, & sex aliis sibimet laborant, siue piscatores, siue opifices alij sint. Qua in re, vt fideliter agant, accurate attenditur. Si etenim de lucro vel tantillum celari aut præripi ab iis nascatur, tum aut dominis aliis venduntur, aut compedibus induuntur. Eadem & mulierum sors est: quarum aliquæ in *Bazar* pro constituto lucro merces vendunt, aliæ texunt: quædam fila trahunt, vniuersæ id sedulo agentes, & suo, & dominorum victui diligenter studeant. Horum Sclauorum si quendam domini vendituri sunt, eosdem ostiatim circumducunt. Pro quibus qui pecuniam (*Fardos* plerunque quinque, qui nostrates florenos 9. constituunt, aut pluribus veneunt) grandiorem defert, eos possidet. Qui ex his liberi nascuntur, dominorum non minus ac ipsi parentes proprij fiunt, sicut & apud nos boues, oues, & animantes cæteræ. His iure suo ad omne arbitrium vtuntur, licet interficiendi potestatem, nondum consulto Rege, aut Gubernatore, non habeant.

*Fardos quid.*

# Caput XXXIIII.

## *De Biremibus seu Fustis, Triremibus seu Galiottis, nauibus seu Juncis, Paraus, celocibus, & scaphis, tum in Iaua, tum adiacentibus alijs locis vsitatis, & quo singulæ condi, extruiq; loco soleant.*



IN Bantam Biremes aliquot quidem & Triremis maxima visitur, quibus tamen industrie vti non possunt. Longa asseruatione Solisq; calore hiatus duxerunt, etsi superstructis tectis cōtra has iniurias quomodolibet munitæ sunt. Illis vero vtuntur, aut vrbem quandam maritimam occupaturi, aut expetitionem in quemcunuis locum alium facturi. Easdem quoque mensibus quinque ante aduentum nostrum contra Palimbam eduxerant, nauibus aliis prope 200. tum Fustis, tum celocibus, tum cæteri generis similibus munitas. Ad quas tamen instruendas segniores sunt. Harum idea subnexa suo loco figura exprimitur. Formam quidem triremium habent: ad puppim tamen circuitu seu ambulatorio insignes. Sclaui & remiges cæteri inferius soli, sed cōclusi: tamen suum officium faciunt, quorum supra caput tabulatum pertensum est, in quo milites cōsistunt, ex eo loco liberius & expeditius pugnaturi. Ex prora quatuor plerunq; tormēta, ipsis *Basa* dicta exeruntur. Nauis ipsa malos binos habet. *Paraus* suas insulis submittunt, vt pyratas & incommoda maris alia explorent, & eadem ordinariis denuncient. Cauent etiam, ne vlla bona clam, in fraudem vectigalis auehātur. Hæ ædiū more superintectæ sunt, vt & eorum, quos delitiis adhibēt, phaseli. Nisi per

tecta

tecta illa, in nauem descensus nulli datur. Malos grandes, cum antenna fortissima ferunt, summaque imaque parte arundine longa clausa, eo modo, quo apud nos epidromi radius velum ex certo graminis genere contextum est: cuiusmodi in *Punctan* plurima parantur. Eadem interdum ex arborũ foliis consuuntur. Proram sex plerunq; viri occupãt, vt, si opus sit, remos trahant. In puppi duo clauum tenent, vterq; suũ peculiarẽ: qui non in puppis imæ medio affiguntur, sed restib. ad latera nauis elatiora religantur. Remos huius generis *Iuncos* ipsorum vniuersæ habent, quibus mare traiiciunt in *Moluccam, Bandam, Borudo, Sumatram & Malaccam.* Insuper in prora præter antennam interdum illæ Siparij malum habent, ab illa ad puppim vsq; superstrato tabulato intectæ, vt contra solis æstum, imbres & rorem tuti sedere possint nauigantes. Parte postica *Cabutam* seu Speculam habent, soli nauis Capitaneo destinatam. Inferna parte *Iuncos* in spatia discreta dirempta est, quibus merces intrudunt. Per tabulati vtrunque latus ingressus quispiam est, quo etiam loco suos focos habent. Tabulis hydrographicis nullis vtuntur, cum illarum ignari sint. Illarum quidem institutionem quandam à Lusitanis nacti, nunc Compasso vtuntur, & tamen præter octo ventos non cognitos habent: cum apud eos toto anno duo saltem venti frequentius spirare soleant. Quorum vnus Borrholybicus, quem sua lingua *Zeilaon* vocant, octobri mense exurgens, ad finem Martij aut Calendas Aprilis perducat. Quo interuallo vnde tam impetuosa fluctuatione in Orientem exæstuant, Vt ex insula *Le Bock* aliquando soluentes, post vndecim dierum velificationem ad eandem repulsi nos fuerimus. Aprili mense Euri, quos *Timor* pro insularum appellatione, quas perflant, (sicut & Galli austrum *Le vent de Scosse*, id est, ventum ex Scotia spirantem appellant) nuncupant, perflare incipiunt, quorum impulsu ab ortu in occasum fluctus tanta vi mouentur, vt vectoribus illis nauigatio ad occasum perfacilis, ab hoc in ortum difficilis sit. In Moluccas aut Bandam insulas nauigaturi milliare aut sesquimilliare vnum à littore secundum Iauæ longitudinem excurrunt, ita, vt in prospectu semper oram teneant. Cumque prope littus vnda & profundior & tutior, quam ab illo remotius sit: insuper etiam de die violentior è mari ventus altanus expectari debeat: fit, vt iuxta littus felicior cursus fiat. Ventus enim iste accurate diligenterque attendendus est, & vela interim omnia ad littorum contigua cogenda, dum ventus consilescat. Vbi dein post noctem mediam ab ipsa terra ventus commodus grato frigore optatus, donec Sol Cæciç vicinus sit, & altanus redeat, perspirat. Eo tempore præter binos gubernatores clauum nemo torquet: qui perpetuo in littore, viæ apprime gnari procurrunt, nec vlla mappa opus habent.

*Le Bock insula.*

Nauium harum *Iunco* quamplurimæ fabricantur in Bandermachin, quæ ciuitas insulæ *Borneo* est: quo loco vna, mercibus insuper necessariis, vt Cera, oryza, piscibus resiccatis & aliis commode instructa, vili plerunque pretio comparari potest. Ibidem nauis quoque aliud genus fabricant, præmagnum, ad *Iunco* fere similitudinem, acatiis impulsum. *Biremes* seu *Cathuris* quamplurimç conduntur in *Lassaon*, Iauæ ciuitate, intra *Charabaon & Iaparam* sita: vbi ligni, nauib. extruendis commodissimi, copia maxima prouenit.

Indicæ Orientales insulæ pleræque nauigatu commodæ sunt: naues tamen interim pusillas tantum ferentes: ita vt biremis maxima vltra 20. onera non capiat. Accepimus tamen, eas, quæ ex China & Pegu importantur, aliquãto maiores esse. Celociũ minorum genus quoddam habẽt, cursus tam pernicis, vt admirari opus sit: quarum similes nullo nos vidisse loco commeminimus. Eæ ex arboris trunco excauatæ sunt, priore parte admodum acutæ, cum aluo rotunda. Quæ vt ne facile euertantur, vtrinque ad latera binis arundinibus crassissimis, vna è celoce orgia protensis, quasi in æquilibrio sustinentur:

 ipsis

ipsis arundinibus tamen tum ante, tum post sparo transmisso firmatis, & ad nauem religatis. His velum tam grande superstructum est, vt nauem ventorum immani violentia velo suo non euerti & pessum ire admiratione dignissimum sit. Quod si quidem aliquando fieret, tam expediti tamen illi natatores sunt, vt nullo ipsis euersio periculo futura sit. Quod si forte nauis, arundinibus dictis nō aggrauata, euertitur, tum illi repositæ tam diu connatant, dum resiccata ea & aquis euacuata cursum cæptum promouere possint. Longius pronauigantes, suas semper sibi vxores socias assumunt: nos impendio aliquando admirati, quod tam longinquum iter sine officio mulierum confecissemus. Nobis itaque gratificaturi, vnam de suis, nauibus nostris adduxerunt: quam tamen ad eos in continenti remisimus, de fœda sponsa ipsis gratias habentes.

*Familiare & humanum incolarum officium, accommodatio coniugum.*

# Caput XXXV.

*Quid gestum sit, dum captas Iuncos exoneraremus: quomodo item ad fluuium Taniun aquæ hauriendæ gratia excurrerimus.*



BANTAM ciuitate cum soluissemus, adeoque ad exonerandas Iuncos captas, post insulas quasdam concessissemus, Dominis eorum indicium fieri accurauimus, vt ad nos profecti, præstitam solutionem auferrent. Cum vero nullo responso dato, *Iunco* biduum integrum releuandam differremus, spem nobis subinde de dominorum accessu factitantes: frustra nos morari videntes, tandem merces exonerare occepimus. Interim nos cinctum, & Iuncos redadeptum Bantani expeditionem laboriosam parabunt: ad quam Lusitani eos inflammantes, auxilium solidum ipsis condixerunt. Cæsari quoque, militi seu Duci imperterrito propositi sui vrgendi, nuncium fecerunt. Hic itaque cum 6. vel 7. biremibus, 150. viris conflictum auide sitientibus infra *Puloduam* excubabat, ad nos simulanter enuncians, quod Bantanis indignabundus, ciuitatem eorum ingredi non dignaretur: suam interim nobis amicitiam deferens, ad cuius veritatem testificandam quoque capram mitteret, & contra Bantanos auxilium nostrum consiliumque sollicitaret. Biduo antequam hæc fierent, nostri Iunco quandam longo maris tractu persectantes, eandem tandem vi ceperunt. Quod intelligentes Bantani, profunda nocte *Iuncos* duas emiserunt, vt in altum mare longius prouectæ, mane redirent, & in Bantam se contendere simularent. Quo stratagemate futurum sperabant, vt, ad prioris diei exemplum, nos ad eas excurreremus, & longius à tormentorū præsidio nos efferremus: quos ob id ipsi occasione hac biremibus suis in medio cursu obruerent, & reuersuros interciperent. Cuius quoque rei gratia iam dum naues aliquot sub *Puloduam* collocauerunt. Nos tamen singulari Dei prouidentia admoniti, & dolum intentatum subodorati, contra illas, naues nullas emisimus. Interim Cæsar denuo *Paraus* quandam cum munere ad nos expediebat, tutum commeatum sollicitans, quem impetrauit. Postea *Paraus* iterum alia ad nauem *Mauritium* appulit, cum 4. vel 5. Chinensibus, quorum vnus hospitis nostri in Bantam frater fuerat, solutionem à nobis acceptum aduectus. Cui, cum fidem dare per omnia non possemus, per eundem tamen nauium dominis (quos ipse Gubernatoris mandato in vincula abreptos aiebat, veluti nobiscum facientes) vt ventitarent ipsi, enunciari curauimus. Nihilominus, qui victualia apportarent, nauibus nostris quotidie aliqui accli-

*Bantanorum proteruia noua. Cæsaris vafrities.*

acclinabant. Quibus, cum ad Gubernatorem literas quaſdã credituri eſſemus, officium ipſi excuſantes, ſine venia & voluntate Gubernatoris ſe aduenisse, & ob id literas tuto non tradere poſſe, prætenderunt. Ex his ipſis, claſſem potentem cum Paraus & triremibus magna feſtinatione contra nos apparari intelleximus, iam dum certo decreto facto, quiſnã eorum conflictui principiũ daret. Itaq; ab inſulis nonnihil longius egreſſi ſumus, vt & ad hoſtes proſpectandos, & eoſdem reprimendos, maior occaſio eſſet, neq; ab iiſdem inſperato à tergo inuadi poſſemus. Sequente die Cæſar ad naues appellens, rogauit, vt cum captæ Iunco nobis nullo vſui eſſent, illarum vnam ſibi impertiremus. Cui ex tempore reſpõſum eſt, eas adhuc ſuis dominis aſſeruari. Qui ſi venirent, tum eoſdem & has recepturos, & inſuper debitam pro exoneratis mercib. pecuniam. Qui ſi vero omnino emanerent, tum eaſdem noſtra pace Cæſaris haud ægre ceſſuras. Nobis tamen interim perſuaſum erat, eũ plus explorandi nos animo quã Iuncos impetrandi inſtituto appuliſſe. Data tamen colloquij copia, quid à primo vſque noſtro aduentu geſtum ſit, longa ſerie eidem denarrauimus: certo nuncio nos edoctos inſuper profeſſi, quod is ipſe nos prodendi & obtruncandi conſilium coqueret. Quem is ſermonem intercipiens, reſpõdit, odio ſui à maleuolis hæc omnia talia ſpargi, quæ nos ob id mera figmenta crederemus. Clam ad nos interdum quidam etiam Guſſarates & Abyſſimi veniebant. Poſtero die Cæſar ad naues noſtras remeans, abducendas Iuncos inſtrumẽta ſecum neceſſaria omnia aduexit. Quem tamen priore reſponſo dato dimiſimus. Diſcedens is nos de nauali expeditione Bantanorum iterum admonuit, naues noſtras breui oppreſſura. His itaque ex cauſis commiſſariis & claſſiariis omnib. coactis, an, cum de omni negotiatione in Bantam confirmanda deſperatum eſſet, loco eo diſcedendum ſit, deliberatũ eſt. Prius tamẽ placuit, ad conuehendam aq̃ dulcẽ, fluuium *Tanianiana* incurrere, & ea hauſta deinceps decernere, an ad *Moluccanas* inſulas procurrendum, an in patriam redeundum ſit. Quod poſtremum nautæ omnes acriter vrgebant quidem, cauſas, quæ perſuaderent, varias aſſerentes. Contra vero commiſſarij ad circumeundas inſulas autores ſuaſoresque non ſegniores ſe præbebant. Eodem adhuc die venientes quidam, de expeditis & paratis Bantanis iterum admonuerunt, quod nimirum poſtero die nauibus ſuis nos oppreſſuri ſint: cui rei ſe nobiles multi & ciuitatis primates adiunxiſſent, ad milites animoſiores reddendos. Prioribus quoq; diebus duas ſupra dictas Iuncos emiſſas referebant, vt nos à nauibus excirent, & in altum perductos opprimerent.

*Exprobratio Cæſari facta.*

De rerum harum euentu itaque anxie cenſentes, ex omnibus circumſtantiis concluſimus, prælium hoc commiſſum nobis nec commodo nec honori futurum eſſe: & tamen fieri poſſe, vt, licet hoſtium numerum frequentiſſimum cæderemus, noſtrorum tamen vna aliquot deſideraremus, in quorum vita nobis multum poſitum eſſet.

Vt itaq; neceſſaria ageremus, ad veſperæ primum appulſum locum mouẽtes, ad fluuium *Tanianiana*, verſus orientem octo mill. à Bantam ſitum vela fecimus, quam poſtero die Aethiops quidam, natione Guzarates, nobis monſtrauit, ad ſinum occidentalem ad *Baye* de *Iacatra* poſt inſulas quaſdam poſitam. Ibi ergo verſus Auſtroeurum ad fauces inſulæ 10. orgiis fundo argilloſo, demiſſi inuenimus, Iauæ terram eo loco maxima parte ex ortu in occaſum protendi, humilem & depreſſam, diſcretis aliquot pagis & fluuiis conſpicuam, ſed breuiis tamen vndique impeditam, vt, exempli cauſa, ad *Punctan*, *Tanbaran*, quæ valde populoſa eſt, *&* *Paraus* quamplurimis abundat, quæ ex *Iacatra* & littore finitimo in Bantam inuehuntur. Terra penitior multis paruis inſulis habitatur, vt & ſinus ipſe maris: intra quas omnes inſulas velis tutus tranſitus eſt, quarum quammultæ hortis & viridariis, fructus Iauanos promentibus,

*Hollandi à Bantã diſcedunt.*

tibus, amœnissimæ sunt. Infra has insulas, piscium maxima abundantia est, vt horum gratia pleriq; piscatores è Bantam piscatum eo excurrant.

Nouemb. 8. Nauem nostram necessariis viris munientes, cum dicto superius indice fluuium inuecti sumus, magnum quidem & profundum, sed ad fauces tamen breuiis impeditum. Eo loco focorum quædam vestigia offendimus, à piscatoribus præterita nocte ibi quietem captantibus relicta. Hominum quoq; vestigia legimus, sed homines tamen nullos conspicati, etsi milliari vno per aduersum flumen pagus quidam magnus, Regi Iacatræ subditus prospiciatur. Die proximo Chinenses aliquot cum *Paraus* naue ad nos appulere, inter quos hospitis quoq; nostri affinis erant. Hi aliquot ollas vini sublimati ad nos apportabant, & in Iacatram pro aliis quoque refectamentis auehendis propere redibant, commemorantes prius in Iacatra vnam adhuc Iunco Muscatis nucibus oneratā subsistere, quæ breui ante ex Bantam insula soluisset. Quod nos tamen eius indiciū ita interpretabamur, quasi eo nos propter Iuncos supra dictas geminas ipsius arbitrio nondum æq; solutas vindicare quæreret. Suspicionem hanc euentus confirmabat. Quotidie enim ingens *Paraus* copia multis hominibus stipata ex Bantam in *Iacatram* cursitabat, quod ante hoc isthac in regione nunquā euenerat, & Iauanos ipsos in admirationem compulerat. Dicti mensis die 11. noua Paraus ex Bantam nos exploratum, & institutum nostrum percontatum appulit, titulo vendendorum commeatuum, & porcellanarum. Commemorabant hi Lusitanos Iuncos duas nucibus Muscatis plenas emisse, & easdem soluere coactos: dissidio vero inter eos coorto, Lusitanos quosdam glandib. traiectos esse: nauium vero dominum, tormenti maioris globo attritum, occubuisse, Sed hæ meræ nugæ erant. Interea hospitis nostri frater ad nauem Hollandiam rursus appulit, cum certificatione, quod Iunco nucibus conferta vel dum in fluuio quodam ad Iacatram moraretur: ad cuius rei veritatem certius noscendam suos insuper ministros sub specie cibariorum emendorum in Iacatram amandauit.

Nouemb. 11. die, senatu classico iterum conuocato, collectis suffragiis statutum est, vt in Iacatram aut Sundam Calapam vela fierent, compertum nimirum & scitum, quæ nauis istius nucibus confertæ ratio statusque esset, & an eas numerato æquo pretio adipisci liceret. Cuius periculo facto, post consilium ex re & tempore caperemus. Postero itaque die, cum reuersi sclaui victualia nobis attulissent, velis leuatis Iacatram incurrimus, à tribus insulis, fluuio præsitis, mare ascendentes: quod puluinorum alter ad austronotum versus terram porrigeretur. Ad Austroeurum itaque properantes, vitandarum insularum causa cursum crebro variauimus. Vesperi ad Iacatram vrbem substitimus, vbi polus australis grad. 5. minut. 40. attollitur. Hæc primitus *Sunda Calapa* dicta erat, propter *Cocos* seu nucum Indicarum vbertatem, quæ Malaice *Calapa* vocitantur. Ibidem 7. orgiis fundo argilloso consedimus. Terra ipsa humilis & depressa, extuberantiis & Insulis plurimis conserta: vt nocturno tempore illic transiri non nisi cum periculo queat. Eo itaque appropinquantes, nucum *Paraus* quidem ante fluuium perstantem vidimus, sed simul naues subinde alias atque alias tum adeuntes tum abeuntes, quasi eam exoneraturæ, & in Bantam traiecturæ essent. Sed hæc omnia in perniciem nostram ita excogitata erant. Vniuersus enim fluuius quamplurimis nauibus, à viris instructissimis oppletus erat, nos certo inuasuris, quamprimum nostram celocem Iunco nucum applicuissemus.

Die 14. bono mane, ex ciuitate, *Paraus* quamplurimæ discretis vicibus cum cibariis nauibus nostris applicuere. Sed & Sabander ipse nos accedens obtulit, siquidem quibusdam rebus nobis opus esset, eas ex vrbe aduehere. Si vero quendam è nostris in terram emissuri essemus, tum ad eorundem vsque reditum se pro obside apud nos commoraturum. E nostris itaq; binos cum hospitis nostri

nostri affine in terram emisimus, qui data opera percontarentur, num certa forte quantitas aromatum venalis prostaret. Quos abeuntes Sabander, homo valde ciuilis, & Lusitanicæ linguæ peritus ad ciuitatem vsque comitatus est, vbi nostrates ad 3000. ædium offenderunt. Ciuitatem ipsam fluuius quidam præmagnus permeabat, sudum congerie alias munitam. Incolarum vero pars maxima deserta ea profugerat. Sabander nostrates ad ædes suas vocatos, laute & splendide habuit, circa Vesperam ad naues redeuntes quidem: Cæterum de mercibus nullis venalibus certiores. Regi, terrestri itinere eo profecto aduentum nostrum significauit. Præcipuum & maximum ciuitatis commodum, fluuius perlabens est, qui originem suam, vt supra dictum est, in penitiore terra sortitus, regionem vniuersam irrigat, & ad fructus omnes esculentos vegetat: quorum insignis copia sequenti die ab incolis post ad nos perlata est, de quibus cum iis amice & pacifice conuenimus. Die 16. Rex ipse Hollandiæ naui appropinquauit, primatibus & nobilibus multis stipatus: cui, vndiquaque nauem perspicato honorarium oblatum est. Discedens de prompta humanitate & muneratione facta gratias egit, & si qua in re sua ope nobis opus futurum esset, voluntatem paratam detulit, Die 17. Senatus classicus decreuit, vt in Iauam versus orientem pergeremus, etsi nullius lucri spe id fieret. Sequenti itaque die anchoras leuantes, proram recta per fretum secundum littus Iauanum orientem versus protorsimus. Eo die cum vix horam vnam vela fecissemus, nauis Amsterdam in breuia impegit, à Iacatra duobus fere milliaribus desita, quæ prius obseruari non possunt, quam teneantur, cũ nihilum exæstuent. Quo impulsu nauis rimas egit: ad quam ob id inde abducẽdam, Celocem paratam emisimus. Vespere adpellente, iactis anchoris quod nocturno tempore vauigatio ibi periculosa esset, in solo argilloso sex orgiis, à Iacatra sex milliaribus consedimus, propius ad *Crauaon* pagum, quo propter piscationis felicitatem piscatores plurimi cõsederunt. Postero die duabus ante auroram horis leuantes, anchoras, recta secundũ littus promouimus, quo loca ora maxime incuruatur, ita, vt rectitudinem nullam perpetuo tenere liceat. Die 22. Iunco quædã nobis obuiauit, quam cum Amsterdam nauis & Pina consectarentur, ad alloquium eos attingere non potuerunt. Cursum itaq; cœptum continuantes, die 26. procellis immanibus concussi sumus, adeo, vt Hollãdiæ nauis velum ruptũ & solutum ventis difflaretur. Die 27. piscatores multos è mari oræ approperantes conspeximus: qui compellati, nos quam proxime ad Iacatram esse denunciarunt. Interim collegium aliquoties collectum seu coactum fuit, gratia deliberandi, quemnam porro cursum teneremus. Commissarij de Moluccis adeundis insulis instabant, tentatum & exploratum, an ibi negotiationem certam stipulari liceret. Hæ insulæ fere 200. mill. versum Orientem sitæ erant, ad quas attingendas & tempestas commoda, & optatus ventus, & fluctus secundus fauere videbantur. Nautæ vero cæteri insulam Sumatræ relegendam, & Iunco illam ibi expectandam, quæ inde in Bantam piperis apportandi causa perrexisset, consultius rati sunt. Sed frustranea hæc omnia fuerunt. Die 29. insulæ cuidam successimus, ex qua piscatorum ingens numerus in mare procurrebat. Hi nos ad austrum insulæ vela facere debere innuebant. Quo indicio suspicabamur, eo loco habitaculum quoddam prostare. Insula hæc montib. celsis vastisque, è terra depressa erectis insignis est, arboribus iuxta vndique conspicua. Eodem loco polus australis grad. 6. eleuati Insula *Kyrimaan Iaca* vocata est, à continente non procul absita: ad quam fundo argilloso anchoris demissis, à terra semimilliari vno occidentem versus 10. orgiis consedimus. Collegio itaque & hic conuocato, pro more nihil magni decretum est.

*Sabandri conuiuium dolosum.*

# Caput XXXVI.

## *Quomodo quatuor naues in portu ad Cidayo anchoras miserint. De proditione pariter à Rege Cidayo Brandaon dicto, contra eas tentata.*



ORRO itaq; secundum littoris productionem prouecti 2. Decembr. ad nos appellentes piscatores quamplurimos cõspeximus, Terram hanc supra *Tubaon* esse, nobis significãtes. Ad Angulum itaq; nobis oppositum permeandũ omni nisu contendebamus. Hoc loco terra ab ortu in austrum à meridie in aquilonem porrigitur, montosa alias & facile noscenda: vbi præeminens quidam mons ab occasu in orientem nauigantib. se galeri forma cum margine lato pandit, in cuius vertice arbor quædam, supra cæteras omnes longe caput proferens conspicitur. Ad huius montis respectum occidentalem sinus magnus quidã, fluuio similis cõparet. Hinc itaq; versus Euronotum à littore sesquimilliari progressu facto, contra nos angulum quendam, & item curuaturã protractiorem attigimus, ad quam piscatorias quasdam rates properare, & *Iuncos* itidem aliquot anchoris subsistere videbamus. Ibidem itaq; & nosmet 10. orgiis anchoras fundo cæruleo lutoso iactauimus: vbi tamen desubito coorta tempestate, anchoræ firmiter stare non potuerunt. Loci itaque incolæ cum nos conspicati essent, ad compellandos *Paraus* vnam emiserunt. Quæ turbinibus vrgentibus ad nauem Amsterdam littori proximam appulsa, de aduentu prospero gratificata est, denuncians, si ad posterum vsq; diem ibi commorari placeret, id è re & voto nostro futurũ. Præsto enim aromata quędam, vt Garyophyllos, Macem, nuces Myristicas, & alia esse, quæ nobis vendituri essent. Re itaq; inde ad naues cæteras disiectiores expedita, pernoctare ibi visum quidẽ erat. sed cũ anchoræ fundo lutoso nihil firmarẽtur, cõpulsi vela fecimus. Impetum ergo nauis Hollandia secutura, Pinæ tam violento insultu collisa est, vt eius stylum maiorem cum Corbe mali confractũ deiiceret, & ipsa simul haud leuiter collisione ea quateretur. Coactæ itaq; illæ denuo iactarunt anchoras, accepti damni nos interim grandiore disploso tormento commonefacientes. Nos tamen signo hoc nihil pensitato, velis minoribus altum mare iam iis restrictis, iam diductis petiuimus, vt diem posterum consequeremur. Die 3. conuersi ad naues cæteras iuxta littus, anchoras misimus, intellecturi, cuius generis merces & qua quantitate adipisci liceret. Terra hęc & ipsa collibus asperata, tribusq; longis planis montibus, veluti mensis nuptialibus, Lusitanice *Las Mesas de Tubaon*, Malaice *Batto Gilling* dictis, intersignata est. Cum aduenis itaq; cæteris nauibus colloquio instituto, comperimus, discretas quasdam, *Paraus*, rebus ad commeatum spectantibus oneratas iam ante nos ad eas appulisse, & indicasse simul, tres *Iuncos* Garyophyllis & myristicis refertas à Dominis earum nobis venum oblatas esse. Pro cuius tamen certificatione virum vnum cum Guzarate emisimus, & tres incolarum pro obsidibus retinuimus. Ad hanc metam ciuitates quatuor sibi inuicem vicinæ spectabantur: Vna occidentalis *Tubaon*, altera *Cydayo*, tertia *Brandaon*, & quarta orientalis *Surubaya*, cæteris minor. A meridie cum *Guzarate* emisitius noster rediit, significans Regem se generoso equo pompatice spectandum præbuisse, 30. equitibus promissas hastas gestãtibus, & peditibus quamplurimis, districtis acinacibus coruscis stipatum. Specimen insuper optimorum Garyophyllorum obtulisse, aiebant, de quib. incolæ prius ad nos edisseruissent. Sed
*Auis Eeme.* & aue Eeme nos donauerat, quem in Hollandiam nobiscum aueximus.

Decemb.

Decemb.4. Paraus aliquammultæ nauibus appulere,quibus & defectitius quidam Lusitanus veniebat, qui, vt referebat, septem annis in ista regione habitauit:quem nos tamen à Lusitanis cæteris emissum credidimus, vt quod coxit postmodum,infortunij intritum quęreret. Hic ad Moluccam nobis vectores offerebat seu viæ indices, & à Rege *Tubaon* se missum significabat, vt aduentui nostro gratularetur: & tandem obsidem se offerebat, dum à reb. necessariis omnibus instructi essemus. Interim è nostris duo iterum in terram emissi, ibi promptos paratosque binos equos inuenerunt,quibus ad Regem *Lella* dictum pergerent. Quod tamen nostri officium recusantes, pedites ad regem profecti, ab eo humanissime excepti sunt: qui se postero die ipsum ad naues venturum affirmabat: & vt tuto in Continentem egrederemur, obsides se tam præstantes missurum pollicebatur,vt eorum præsentia contenti futuri simus. Nostratibus deinde (quantum quidem metiri oculis licebat) 20.onera Garyophyllorũ monstrabant, quæ si vellemus, bona pace & æquo pretio nobis vendituri essent. Quibus transactis, ad naues nostri redierunt. Die postero ad regem excipiendum paratis & instructis omnibus, tum aplustria velatilia fecimus, tum nauem ornamentis præsentibus illustrauimus. Quod videntes incolæ, cur aplustria proferremus, missa Parao causam quæsiuerunt, cum tamen amici nostri, & Bantanorum, apud quos idem fecissemus belli tempore, hostes essent. Quibus cum hæc in honorem regis fieri responderetur,remis impulsis terram repetiuerunt. Lusitanus postea ad Mauritium nauem reuersus,res quasdam videndas rogauit, nimirum thoracem ferreum, & pannum rubrum,quæ regi empturus ille videbatur. Quibus tamen denegatis ad terram rediit.Interim duas *Iuncos* à littore in altum mare excurrere, & breui reuerti vidimus: eo videlicet instituto hoc factitantes, vt nos à nauium tutela longius prolicientes, post opprimerent. Paulo post sex prægrandes *Paraus*, instar Triremium, hominibus instructissimi ad naues appulerunt, quarum tres ad nauem Amsterdam, cæteræ ad pinam diuertebant. Illi, qui naui Amsterdam vicini veniebant, pecudes duas proferentes, eas nostris dono daturi videbantur. Cum vero nauem ipsam admissi ascendissent, pugiones suos, quos *Creis* vocant, distringentes,proximos quosuis inuadentes confoderunt. Quorum dux Sabander commissarium ipsum, & nauclerum cum binis aliis lethali vulnere illico sauciauit: & reliquos quoque, quotquot in superiore nauis parte inermes stabant, simili furore infestauit. Quem tumultum, cum, qui in inferiore naui erant, audirent, quibuscunque obuiis armis, vt verubus, hastis, & machæris arreptis prosilientes, in medios hostes irruerunt, eorumque quamplurimos breui laniena prostrauerunt. Quo successu crescente ipsis animo, è nauis editiore loco coniectis lapidibus tam violenter eos impetiuerunt, vt Iauani de nauibus præcipitari paulatim inciperent. Ad nauem *Paraus* vna suberat, & sanis & vulneratis quamplurimis onerata: quam nostri displosis tormentis concussam funditus destruxerunt. Interim cum cæteri,qui Pinæ acclinauerant, suos confertim de naui Amsterdam præcipites deiici viderent, de eadem alea contra Pinam tentanda desperantes, nauem Amsterdam reuersi prætercurrerunt.

*Lella, rex.*

*Insidiosum & nefariũ facinus.*

*Sabander dux & autor proditionis.*

Nos vero qui cæteris in nauibus harum rerum ignari latebamus, cum ad tormentorum fragorem excitati, Iauanos tanta multitudine è nauibus exturbari videremus, adeoque proditionem quandam gliscere suspicaremur: Celocem nostram insilientes fugitiuas Paraos consectati, earum vnam attigimus: quam & tormentis fulminantibus & acinacibus districtis ita cõcussimus, vt & illorum, & cæterorum pariter, qui è naui Amsterdam deturbati passim magno numero obnatabant, pauci superstites relinquerentur. Huic tumultui qui è littore attendebant, cum viderent, in natantes Iauanos nos tam acres & indesinentes

furere, cum 13. gradibus *Paraus*, instructis hominibus quamplurimis plenis ad nos soluerunt. Quos tamen continuis tormentorum fulminibus naues cæteræ ita præsenter exceperunt, vt ad littus remeare omnino cogerentur. Cædendis itaque hostibus iam defatigati, illorum captiuos quosdam ad Amsterdam nauem nobiscum abduximus. In qua tam miserum illico spectaculum nobis exhibitum est, vt verbis id commode exprimi non possit. Nam in primo illico aditu cæsorum tum amicorum, tum hostium magna strata turba comparuit. Et quod omnes omnium maxime in commiserationem pertrahebat, cæsio pueri eiusdem, 10. vel 11. annos nati, nauclerique cognati erat: quem frendentes & crudeles illi latrones etiam iam mortuum, vulneribus 13. immaniter pertuderant. Cuius crudelitatis innouata memoria ita nos commouerat, vt captiuos nostros omnes cæsim punctimque ex tempore conficeremus. Hi prius commemorauerant nobis, quod ex Bantam ideo in Iacatram appulissent, vt fucum nobis monstrata myristicarum Iunco intentarent. Iuncos quoque illas binas, quas dudum è littore in altum prouehere conspicati essemus, ad nos proliciendos, & dein in medio cursu opprimendos emissas fuisse. Conflictu isto Iauanorum 150. & nostrorum 12. ceciderunt, & præter hos quatuor alij vulnerati, qui tamen sanati euaserunt. Tota dies hæc eiiciendis è naui cadaueribus consumebatur, quæ Iauani tamen sedulo interim piscabantur, à nostris aliquoties elisis tormentis impetiti.

*Miserā pueri vndecennis laniena.*

*Cæsorum numerus.*

# Caput XXXVII.

## *De classis in Maduram, & hinc ad Pulo Le Bock prouectione: & quid in cursu hoc obuenerit.*



ATROCINII itaque huius facta pensitatione, cum de tota nostra negotiatione ibi actum esse, neque commodam nobis vlciscendi occasionem (ipsa enim ciuitas muris & vallis munitissima, nos contra ad eam oppugnandam insufficientes eramus) prostare prouideremus: anchoris sublatis sub noctem terrestri vento soluentes, Amsterdam nauem viris muniuimus, & cursu recta in Maduram insulam versus partem occidentalem tenuimus. Quo loco oppidum primarium situm est, *Cheriffæ* habitatum: iuxta quod 8. orgiis anchoras depressimus. Breui tempore ibidem considentibus duæ illico Parao adnauigarunt, magistratus sui mandato, si placeret nobis, negotiationem amicam & æquam denunciantes, & insuper victualia necessaria promittentes. His de strage ad *Cidayo* facta omnia comperta erant, à crebris *Paraus* discursionibus: quæ eos quoque de cauendis nobis admonuerunt. Postero die, cum piscatores innumeros in altum excurrere prospiceremus, classi nostræ *Paraus* quædam appulit, viris 28. instructa, qui se aromata quædam, ex naui quadam ante annum arenæ impulsa redempta, venalia habere commemorabant. Sed mendacium hoc esse postmodum ab aliis cognouimus, qui harum rerum omnimodo ignari erant. Nos tamen nihilominus eorum primario duo specula honoraria obtulimus.

*Cheriffæ sedes.*

Die 8. Decembr. cum cæsorum bonis vendendis occupati essemus, ex Madura tres *Paraus* ad nos soluere vidimus: quarum prima minister & interpres Cheriffæ aduectus num Regi & Cheriffæ ad naues nostras accessus pateret, rogitauit, secum nimirum Capras, oryzam & pueros venales allaturis. Cui, cum licere quidem id responsum esset, seditione & tumultu in Amsterdam naui

inter

inter eos, qui ad *Cidayo* vulnerati fuerant, coorto, interpreti reuocato, iniunctum & denunciatum est, vt Rex ad nauem Mauritium cum suis appelleret, non ad Amsterdam: quo percepto is discessum fecit. Paulo post singulari Parao Rex cum suis, aut obliuione dictorum, aut alio proposito malo actus rectà ad Amsterdam nauem vela fecit, à qua nos haud pridem cum 13. viris ad Mauritium nauem excesseramus.

Cum vero vna istarum nauium hominum duobus ordinibus considentium ingens copia aduheretur: præteritorum malorum memoria terrore nostris incusso, de remedio tumultuarie cogitarunt, directisque in adnauigantes tormentis tribus, contra Paraos intrepide defulminarunt, quarum vna forti collisu ita contacta est, vt & tota vndique discreparet, & hominum eà vectorum pars maxima aut occideretur, aut saltem grauius vulneraretur. Tormentorum itaq; fragore à nobis ex Amsterdam naui obaudito, cum simul in hostili biremi erectas aliquam multas hastas contueremur: celoce nostra in eos confertim irruimus, propiusque contrapugnantibus coniuncti, cæsis multis, 21. homines captiuauimus, inter quos & vna fœmina erat. Occupata itaque Parao, inter cæsos & Cheriffa notatus est, & Rex ipsemet, qui bulla aurea, gemmis quinque decorata, eademque ex cingulo pendula conspicuus erat. Qua ipsi detracta, cadauer tum Regis, tum Cheriffæ (cuius brachia tormentorum glandibus decussa erant) in mare exturbatum est. Captiuis itaque iam ad naues deductis, & sauciis obligatis, quæstione habita comperimus, hoc vno molimine aut proposito eos appulisse, vt, si occasio daretur, nos obtruncarent: sin minus, vt institutum licitandis quibusdam mercibus velarent. Inter captiuos filius quoque Regis numerabatur, annos circiter octo natus, & tum membris, tum corpore vniuerso pulcherrimus: animo cæteroquin ita prudens & sagax, vt eum omnes oppido admiraremur. Puer hic pro suis subditis, saluis & intactis dimittendis, valde sollicitabat. Cui ob id gratificaturi, postquam illis cibum præministrassemus, instructa Parao nouendecim eorum in terram exposuimus, & binos saltem pueros, naui Hollandiæ seruituros retinuimus. Populus hic ad exemplum eorum, qui in Cidayo sunt adeo pertinax & robustus erat, vt siquidem framea aut lancea perfoderentur, per ipsum instrumentum sese ad vindicandum percussorem peradigerent. Quin & insuper ex mediis vndis natitantes tam animose suis pugionibus restiterunt nostris, vt nisi præsidium accepissent maturũ, eos omnino obtruncaturi fuissent. His ergo rerum præsentium periculis nouiter à nobis euolutis & expensis, sub 9. Decemb. noctem locum hunc deserere, & porro vela facere consultum rati sumus. Coacto tamen senatu nautico deliberatum est, saniusne videretur, ad insulam *Bandam*, aut *Amboynam*, aut *Moluccam* nos procurrere, an vero agendis actis nauium vnam deserere. Cuius tamen rei cum statutum expressum fieri non posset, vlterior deliberatio in diem futurum dilata est. Quo cum denuo conuocarentur, Commissarij rebus aliis occupati, suam absentiam excusarunt quidem: sed simul tamen votum suum ad cæteros tale enunciarunt, vt, si nautis porro vela fieri non tutum videretur, altam illam terram tamen, quæ ad Cæciam sita esset, nauibus incurrerent, & sibi disploso tormento huius decreti signum darent. Eo die integro Commissarij in Amsterdam naui occupati fuerunt. Decemb. 11. propius ad terram nauibus actis, ad insulæ faciem occidentalem 15. vel 18. orgiis fundo argilloso consedimus. Hoc die itaque Commissarij libellum nautis obtulerunt, quo, quæ progressa die deliberata fuerunt, repetiuerant: quem tamen nautæ acceptare nolebant. Ibidem in littore viros 22. oberrantes vidimus, inter quos & dynasta quidam spectabatur. Hi monstratum nobis ceruum venum offerentes, responsum nullum acceperunt, quod ad littus propius admouere nobis periculosum videretur.

*Hollandi exẽplo priore cautiores redditi, vim anteuertunt.*

*Madura & Rex, et Cheriffa cæsi.*

*Regij filij animus prudẽtissimus.*

*Incolarum bellicositas.*

*Le Bock terra noua Colonia.*

Postero die scapha parata ego in terram illam egressus sum: quæ *Le Bock* dicebatur, & ad quam ante triennium Regis de Iapara, eius domini mandato Colonia quædam, ductore nobili viro, & terræ eius præfecto futuro immissa erat. Quorum cultu diligenti breui tempore ita fœcundata illa terra fuit, vt iam oryzæ, gallinarum, armentorum, ceruorum, volucrumq; abundatissima sit. Ferrum, plumbumque apprime illi expetunt. Cumque de commerciis cum sex incolis sermonem fecissemus, iussi vt ad auferenda victualia à meridie reuerteremur, naues redadiuimus. A meridie celoce emissa, ab incolis, nos expectantibus, gallinas & fructus oblatos mercati sumus. Sed & *Parao* ad naues acta nostris nunciabatur, Regem loci, vt & Gubernatorem insulæ in littore eos ad colloquium expectare. Qua tamen die cum tempestas aerem turbasset, nihil à nobis actum, sed ad diem posterum omnia dilata sunt. Die itaque 13. egressi, cum feriæ aut sabbathum ipsorum celebraretur, commemoratione dignum nihil fere transegimus. A meridie commissarij libellum iterum scriptum obtulerunt: quem & ipsum tamen nautæ ex causa detrectarunt. Missis itaque Legatis, conceptis verbis commissarij sollicitarunt, vt Hollandia nauis cum Pina sibi traderetur, ad *Moluccanas* insulas cum vltrò futuris sociis adeundas. Quod tamen nec ipsum impetrarunt, naucleris contendentibus, multò fore conducibilius, vt Amsterdam nauis bonis in Mauritium transpositis, deserta illa ad patriam rediremus, & dominis curatoribusque nostris itineris facti rationem redderemus. Discissis itaque vtrinque animis, nihil profectum est, quod nauarchi & separationem nauium non ratam haberent: & ex Amsterdam naui pecuniam paratã quærerent, veriti nimirum, vt nostrorũ alioqui ea longius procurrerent. Nullius itaq; partis suffragio per omnia rato habito, tandẽ, vt leuatis velis in patriam redirent, confirmatum est. Ergo à meridie vento insulano impulsi cursum intra meridiem & septentrionem tenuerunt. Ad dictæ insulæ à Iaua 12. vel 13. milliaribus sitæ angulum quendam breuia quędam conspiciuntur, ex quo itidem loco duo præalti montes Iauani notantur, quos circa *Passaruam* esse, coniectura præferebat.

*Hollandorum dissensus.*

Decemb. 14. die, cum non procul ab insula percurreremus, piscatores se plurimi visendos nobis obtulerunt. Occidentem versus ergo commeantes, stationem quandã tutam peruestigauimus, qua nauium nostrarũ vnam relinqueremus. Nam & ad promouendas naues vniuersas viri non sufficiebant, qui vno numero saltẽ 49. tum ægri, tum claudi, tum sani supereramus: & nauis præterea Amsterdam ex illisu ante Iacatrorum facto ita rimis vndique diducta hiabat, vt nauteæ exigendæ perpetuo studendum esset. Spe ergo commodi loci adeundi vsque ad diem 25. vela vrgentes, priorem insulam ad Cæciam sitam iterum conspectui nostro oblatam accepimus: quam primo intuitu insulam *Chirimaon Iao* crediderамus. Cum vero diebus 12. continuis ad Occidentem tenendum enixe laboraremus: venti vero septentriozephyri, qui eo loco ab Octobri vsque ad Martium spirare solent, magna violentia nobis obuersarentur: coacti in latere Orientali sub insula dicta 27. orgiis fundo arenoso iterum naues defiximus. Eodem die nauclerus *Ian Millenaer* mortuus derepente concidit, cuius obitu vniuersis grauiter perculsis, ita apud plerosque trepidatum est, vt & illi, qui antea vlteriorem nauigationem consuaserant, iam pleno voto reditum in patriam afferent, prius quam venenoso aere isto plures infecti, vitam exuerent. Postero die de nauclero nouo, defuncti loco surrogando deliberatum est.

*Ian Mullenaer subitò mortuus.*

Die 27. Decembris anchoris sublatis, ex insula nonnihil versus Orientem intrandæ commodioris stationis causa promouimus, & orgiis 12. considentes, Amsterdam nauem paulatim exonerare & exarmare occepimus. Quo labore vsque ad 11. Ianuarij diem, anno 1597. occupati, eam tandem admoto Vulcano, succremauimus. Qua adhuc conflagrante, incolarum multi suis *Canois*, vadis appulerunt,

*Amsterdã nauis comburitur.*

pulerunt, vt ferramenta nauis residua, quæ magnopere expetunt, redimerent. Indies quoque quamplurimæ *Canoæ* ad naues accesserunt cum cibariis & refectamentis necessariis aliis: quæ omnia ferramentis ex Amsterdam naui detractis coemimus. Inter eas & Canoas vna venerat, causam satagens, cur potius nauem exustam, quam Regi aut Gubernatori loci venditam voluissemus, qui eam pretio non vili redemturus fuisset. Die 12. Ian. pueri duo ad Maduram capti, ex Hollandia naui profugi, enatando se in insulam *Le Bock* proripuerunt, cum scaphæ nostræ pro aduehenda aqua abessent. Eodem die, cum propter puluinum fluuio prætensum nobis aquam haurire difficile futurum videretur, anchoras proposito fines ad Iauam orientales adeundi, & ad reditum nostrum in patriam nos necessariis omnibus instruendo concepto, releuauimus. In medio itaq; cursu breuis ad insulas obiectis Hollandia nauis tam violenter impegit, vt tota retro consiliret. Deinde vero loci statu explorato nos in mediis scopulorum cinctibus versari conspicati sumus, adeo, vt, quo aditu ingressi essemus, per eundem nobis omnino regrediendum foret. Poli eleuationem ibi tentantes, austrum sex gradibus & minutiis 10. attolli obseruauimus. Ostium itaque dictum iam rursus pertransituris nobis, ex Hollandia naui nauta quidam elapsus, oculis nunquam videndus periit. Ostio enauigato, cum propter obiectos vndiquaq; scopulos nulla porro pateret transitus, cursum versus orientem in Maduram relegimus, insulæ vicinæ littus perpetuo tenentes, quam humilem pressamque, & nullis montibus exurgentibus asperam notauimus. Die 14. sinum orientalem occupantes, versus austrum deflexímus iuxta porrectum Ballabuan, vt Iauan ponè ambiremus. Nam ad Septentrionem procurrere, nec per ventos aduersos, nec per anni conditionem nobis licebat. Ex eo loco continentem Iauæ, valde montosam, *Panarucæ* finitimam conspeximus. A qua cum 4. adhuc milliaribus abessemus, rectà ad littus austrozephyrum perreximus. Pinas, quæ sub 17. diei auroram nos præuolauerat, interea nobis tormenta disploso terrorem incutiebat haud modicum, quod de ea male agi suspicaremur: hac præsertim de causa, quod propter crassas tenebras, nec eam consequi omnino possemus, nec ignem succensum eius peruidere. Denuo itaq; ex tormento signo dato, scapham nobis etiam obuiam misit, vt ex breuiis, quibus impegisset, eam expediremus. Quam missis aliquot de nostris iactata anchora ob id extricauimus. Manè ardentem supra *Panarucam* montem iterum conspeximus, quem cum magno incolarum incommodo vix ante decennium erupisse primum supra cômemorauimus. Ex eo crassissimum & densissimum fumum eleuari procul spectabamus, vt & montem iuxtà alium, *Sierra* de *Pagode* siue *Pracada*, à *Pagode*, grandi templo super eum extructo, aut ab oppido *Pracada*, iuxta fluuium ibi sito nuncupatum. Ad imum huius montis, vt diximus, Pina nostra illiserat. In *Pracadæ* oppidi confinio duo adhuc oppidula alia prouisebantur, ad quorum vnum *Chandanam* tres *Iunco*, anchoris nitebantur.

*Pueri Madurēses capti profugiunt.*

*Hollandia violenter illidit.*

*Ex Hollandia naui nauta elapsus perit.*

*Pinas impingit.*

*Mons sulphurinomus.*

*Sierra de Pagode siue Pracada mons.*

*Pracada.*

*Chandana.*

Hoc ipso adhuc die fretum ad *Ballabuam* in littoris Iauani longitudine procurrentes attigimus, qui locus crebris curuaturis difficilis, insuper quoque scopulis & breuiis multis periculosus obuenit. Ibi ergo 9. orgiis in fundo lutoso consedimus, versus ortum Baly insulam, & versus occasum Iauam habentes, quæ omnis regio valde montosa, & oryza plerunque obsita concernitur. Hic vespertiliones videre licet, gallinas magnitudine æquantes, quas assas indigenæ manducant.

*Vespertiliones instar gallinarū esiles.*

Hollandia itaque nauis littus Baly incurrens, cum angulum eius prope iam abiuisset, fluuius eidem occurrens tanta violentia & insultu eam retropulit, vt perniciſsime volitare putaretur. Cui sustinendæ nulla vel robustissima rudens sufficiebat. Nam impetu vno iam & ad tria versus Septentrionem millia-

*Hollandia fluuij vertice repulsa periclitatur.*

milliaria retroacta fuerat, & parum aberat, quin paruæ cuidam insulæ intra Balui & Iauam sitæ, impegisset. Primo insultu anchora è naui iactabatur: cuius tamen rudens breui minutim dirupta est. Tandem vero denuo infra Iauæ insulam iactantes, 45. orgiis eandem obfirmarunt, è conspectu nostro prope emotam. Ianuar. 18. die aurora promicante iuxta Bahy insulam Iauæ subiacentem, 26. orgiis anchoras demisimus. Die 19. Hollandia ad nos rediit, vbi cum *Paraos* in littore Iauano multas conspicaremur, celoce expositi ad eos appulimus, vt de dulci aqua haurienda percontaremur. Propius congressi in vna Parao septem viros offendimus, quia modo ex *Panarucam* se venire dicebant, vbi quidem aquam haurire liceret, sed multo minore copia, quam quæ nobis sufficeret. In *Ballambuam* vero vnius diei meta à nobis absita fluuium quendam amœnissimum nos inuenturos affirmabant, ex quo abundantia summa nos reficere possemus: ad quem propediem se quoque vela facturos spondebant. Hos itaque nonnullis merculis donatos, vt propius ad naues nostras accederent, & inde nos in ciuitatem educerent, rogauimus: operam se non frustraneam facturos promittentes. Cuius præstandi ipsi quidem nobis fidem receperunt. Nos interea ad commeatus parandi occasionem excurrentes, Iuncos iuxta Chandanam morantes aggressi, eius copiam sufficientem impetrauimus. Sed & nobilis ex *Panarucan* ad naues nostras propinquabat, commemorans, se à Rege ad pagum quendam emissum eò, ex quo omnes incolæ metu belli, quod Rex *Passaruan Ballambuanis* iam grauiter obsessis, fecisset, profugissent: Hic se nos in portum ad Ballambuan deducturum spondebat.

His ita agitatis, iuxta Bahy oram in sinu quodam innumera vela cum hominum vi maxima consistere prospeximus, quos nobilis ad saluandam & præsidio eruendam ciuitatem ibi conuenisse annuebat, qui numerari illic poterant, viri 8000. erant, iis exceptis, qui aliis locis vel secretioribus, vel remotioribus videri non poterant. Nos tamen nobilis fidem parum ratam habentes, omnes illas copias ex Iaua eò ad nos impetendos, & intercludendum transitum confluxisse potius suspicati sumus. Certo itaque ordine collecti & dispositi, ad vim reprimendam nos accinximus.

Die 21. celoce nostra in terram egressi, cum incolis collocuti sumus, vt & cum obuia quadam militari parao, quæ aqua potabili instructa, naues quoque alias commeatu oneratas in comitatu habebat, ad Ballambuam ciuitatem reficiendam comparatas. In *Passaruan* qui habitant, Mahumetani sunt, & ob id bellum acrius vrget. *Panarucani* vero & *Ballanbuani* cum finitimis aliis Ethnici sunt. Freti transitus intra Austroeurum & Septentriozephyrum porrigitur. Eodem die nauibus nostris duæ *Paraus* acclinauere, ex Ballanbuan egressæ, quibus & Sclauus monachi cuiusdam, qui Christianis in Panaruca concionaretur, & eosdem baptisaret, aduehebatur. Hic longa serie denarrabat nobis, quod iam modo ex Ballambuan veniret, quæ fame misera iam ab obsidionis vsque initio premeretur: & quod tres Lusitani ex Panaruca eò profecti, tormentisque curandis præfecti, iam animum de ciuitate porro seruanda admodũ despondissent. Quibus perceptis, ad ciuitatẽ tam prope naues adegimus, vt & eam prompte cõtueri, & castra hostium, ad fluuium vicinum posita, oculis vsurpare possemus: qui nimirum ex vtroque latere eum aggeribus muniuerat, & palis impactis intercluserat, ita, vt nec commeatus, nec milites illo aduehi possent. Circa vesperam tribus à ciuitate milliaribus in fundo arenoso anchoras emisimus.

*Passaruani Mahumetistæ. Ballambuani Gentiles.*

Die 22. rursus leuatis anchoris, cursum ad ciuitatem propius meditati sumus: quam tamen propter fundi humilitatem obtinere non potuimus. Ad ciuitatis itaque alterum latus sub elatiore terra 10. orgiis vnius milliaris spatio subsedimus, ex quo loco Pinam ad peruestigandam recentem aquam emisimus.

Illa

Illa quam proxime se terræ applicans, fluuio nullo inuento, re infecta ad naues reuersa est. Postea vir quidam nobilis, qui priore nocte ex vrbe elapsus erat, ad naues nostras accedens, obsessæ ciuitatis statum omnem nobis aperuit, quod nimirum summa annonæ penuria iam plurimi confecti periissent, obsidione interim nihilo ignauius continuata, etsi hostium vltra tria millia tam gladio, quam periculis aliis iamdudum occubuissent, quorum primo inuasionis tempore circiter 8000. fuissent. Sed & de causis belli expediebat, quomodo nimirum Rex de *Passaruan* filiam Regis de *Ballanbua* sibi sponsam poposcisset, quam comitatu rege digno ipsi adductam, prius dolose defloratam, pòst ferro nefarie obtruncasset. Qua iniuria nimirum deinde ad regem Ballambuam delata, ad eam vindicandam is militem scripsisset. Contra quem itidem sui tuendi gratia, Passaruan rex ciuitatem dictam obsidione cinxisset: commemorabat illidem, huiusce Regis patrem adhuc in viuis esse, virum ætate grandissimum, & in penitiore terra sedem regiam habentem. Et cum simul mentionē nauis cuiusdam faceret, quæ nostræ similis ante decennium ibi cōspecta fuisset: huius dominum *Capitaneum Candischium*, & illum hunc Regem esse opinati sumus, quem *Candischius* annos 150. excessisse scripsisset. Cymbas hoc loco actuarias octo inuenimus, ex insula *Sambaua* pro Ballanbuæ salute satagēnda eò missas. Hisce omnibus diebus aer crebris & asperrimis ventis molestissimus toti illi regioni fuit. De quo cum incolas rogaremus, an ibi plerunque spirare solitarent: responderunt, & sibi rem hanc nouam videri: ab incolis tamen hanc nobiscum adductam tempestatem esse, passim credi. Die 24. cum Pinam ad explorandam dulcem aquam emisissemus: locis dispectis omnibus, postquam nullibi eam adipisci posse nos constaret, leuatis anchoris in Balin versus ortum traiecimus. Cum vero naues nostræ oræ æquo propius admouerentur, rursus iactare anchoras coactæ postero die *Balin* arripuerunt, vt pro reditu nostro annonam sufficientem oneraremus. Iam etenim præter oryzam & aquæ modicum nobis nihil supererat. Ex supra dicto monte sulphuriuomo hoc loco fumum efflari densissimum conspeximus, vt hæc raritas vniuersis admirationi esset.

*Causa occupata Ballambua.*

*Candischius Capitaneus. Rex 150. annos habens.*

# Caput XXXVIII.

## *Quid Balin insulam subeuntibus obuenerit.*



VVLTVRNO vento istam regionē toto anno perflante, postquā quam proximè secundum oram vela faceremus, à meridie 13. orgiis consedimus. Vbi cum paulo pòst sedato vento cum quibusdam incolis sermones nōnullos obtriuissemus, intelleximus, rectà ante nos fluuium quendam, nostris necessitatibus abunde suffecturum inuentum iri. Eum itaque rectà impellentes, septem orgiis demissas anchoras firmauimus. Interim Paraus vna naues nostras accedens, delata amicitiæ fide significauit, quod tum aquis, tum annona cætera necessaria ex eo loco abunde instrui possemus. Cuius rei, cum iam ante sæpius lusi documentum certius captare cogitaremus, postero die Pinam cum scapha adiuncta eò amandauimus. Quæ fluuium quidem aliquem inuenerunt, sed minime tamen profundum, cuius ostio quoque puluinus præstratus iacebat, vt vacua scapha is adiri non nisi difficulter posset. Ad huius ripam villa quædam 60. fere domibus conspicua prouisebatur, cuius incolarum pars maxima texendis vestibus xylinis occupatur, quas industrie & artificiose ex omni colorum genere parant, & infinitimas insulas diuendunt: adeo, vt commercia illorum tam in *Moluccas*, *Ambon*, *Bandam*,

quam *Iauam, Bantam & Sumatram* excurrant aut extendantur. Ex eodem fluuio incolæ ad naues noſtras ſubinde quamplurimi contendebant, qui magno numero ibidem ad Ballambuæ præſidium excubabant.

De 27. vela verſus angulum quendam fecimus, qui è longinquo inſulæ ſimilis comparebat: quem die poſtero tranſmiſſuri, veſperi 25. orgiis naues defiximus. Die 29. *Paraus* nobis appropinquans, vnde & quid actum veniremus, & quo iter noſtrum meditaremur, rogauit. Quibus cum reſponderemus, à nobis anchoris mittendis ſtationem idoneam quæri, ex qua cibamenta neceſſaria venari poſſemus: locum verſus Orientem decliuiorem monſtrantes in Continentem redierunt. Die ſequenti Paraus alia nauibus applicuit, quibuſdam fructibus & anatibus allatis nos demunerans: pro quibus Regales ipſis aliquot, & res nonnullas alias refudimus. Circa veſperam altera item Paraus acclinauit, referens; Regem datis literis, vndenam veniremus, ſcire percupere. Quibus cum miſſo ſcripto, nos Hollandos profiteremur, qui amice cum Rege negotiatum, & neceſſarium commeatum mercatum veniſſemus, ipſi diſceſſione facta, poſtero die ad nos cum Paraus pluribus replicauerunt.

Die 1. Februarij curſum noſtrum ad angulum quendam Baly inſulæ exuperandum direximus: ſed vento contrà nitente, anchoras decutere coacti ſumus. Tum vero temporis Paraus aliquam multæ cum anatibus & fructibus diſcretis ad naues noſtras appellabant, quas tam æſtuoſo exiſtente mari cum puſillis nauibus ad nos contendere, oppido admirati ſumus. Februar. 2. tribus ante auroram horis ad dictum angulum tranſmittendum, denuo inde ſoluimus.

Cum vero ventus è littore nobis iterum obſtaret, & velorum obliquatione contra fluctus nihil obtineri poſſet: ad mittendas anchoras iterum compulſi, orgiis 25. conſedimus. Eodem loco fumantem ad *Panarucam* montem clare adhuc conſpicati ſumus: tranſitum interim nullum accommodatum explorantes. Quo loco contraluctante vento validiſſimo oborto, anchora nauis Hollandiæ fracta concrepuit, cui tamen confeſtim nouam ſubſtituimus.

*Promontorium porcinum.* Die 3. anchoris iterum attractis promontorium porcorum (quod nos ita indigetabamus) ambiuimus. Cum vero nauis Hollandia ſerius ſe promoueret, turbine aduerſo impedita, infra illud ſubſiſtere, & anchoras fundare coacta eſt. Nos interim qui angulum dictum tranauigaſſemus, ſecundum terræ depreſſæ littus excurrentes, ad breuia bina ibi ſita incolas quoſdam piſcantes attigimus: *Anguſtiæ Draci* à quibus porro quoque anguſtias illas legimus, quas quondam *Franciſcus Draco*, cum orbem vniuerſum ambiret, permeauerat. Inde itaque cum Pina ad ſinum quendam (quem fluuium è longinquo rebamur) progreſſi, eum depreſſiorem, & breuiis interiectis difficiliorem offendimus, quam vt hauriendæ aquæ cauſa ſcaphis penetrabilis eſſet. Attamen hoc loco ſubſiſtentes, naues cæteras quæ promontorium nondum tranſiiſſent, opperti ſumus: ad quas interim incolarum bini cum fructibus venientes, eos ad exuperandum locum viriliter iuuerant.

Die 4. Continentem egreſſi ſumus, vt indigenas quoſdã aquationis locum nobis monſtraturos, venaremur. Nec ſpes fefellit per omnia. Illico enim incolarũ plurimos attigimus, qui (vt videbatur) à foro peregre redirent, & merces ſuas *Modus geſtandorum Bali nobilium.* emptas geſtarent, pecudesq; multas per oræ protractum ſecum agerent. Sed & multos prorſum vorſum ſecundũ littus equis diſcurſitare: vt & quendã à 4. Sclauis ſella compoſitum portari conſpeximus, cui 4. prælongæ haſtæ, longis ex xylo laciniis, tum albis tum nigris deſuper religatæ præferebantur. Ad hunc noſtratium vnum equidem amandaui, qui illum de ſeruo quodam, aquæ hauriendæ metam nobis præmonſtraturo rogitaret. Qui ob id, poſtquam nos aliquot donaſſet fructibus, & obſidem quoque alterum nos poſtulaſſet, ſuorum binis remiſſis vt ad diem futurum eò reuerteremur, iuſſit.

Die

Die 5. plagæ Septentrionaliori accedentes, ad nostros reuehendos scapha cum binis sclauis denuo littus egressi sumus. Postquam itaq; hos primati restituissemus, nostras idem reddere hac de causa inficiabatur, quod extra suũ territorium vela facientes excessissemus. Multis tamen promissis factis, ad scaphã nostram quidã ab eodem missus venit, significans, eum loci huius primatem esse, qui nos locũ mutasse peregre ferret. Nostrorũ vnus Sclauus Lusitanicus fuerat, quem & ipsum pro interprete emissum Primas secum retinuerat. Cum hoc postero die ad Regẽ profectus est, qui se palatio magnifico in Baly ciuitate spectandum exhibebat. Inde ergo cum ab obside nostro ad nauem Hollandiã literę mitterentur, nunciantes, quod cum Sclauo suo à rege humaniter exceptus esset: pro re & veritate certius noscenda, virum aliũ ad littus emisimus: qui reuersus, postquam nostros in terram penitius abductos esse retulisset: scapha emissa quoquouersum iuxta littus excurrimus, vt pro nostris vicissim aliquos captiuos corriperemus. Quod dum illi conarẽtur, interim duæ Paraus cum viris aliquot ad naues nostras appulere, annonam & alia aduehentes, quos ob id nobiscũ retinuimus, scaphæ reuersionis indicium facientes. Horum deinde vnum regi nunciaturum emisimus, sententiam nostris ratam stare captiuorum nullos remittere, nisi liberos itidem is restituisset prius nostros. Leuatis pòst inde anchoris vlterius ad Septentrionem aquæ explorandæ causa promouimus: quam eo loco nullo dubio inuentum iri captiui nostri percensebant. Die 9. ibi defixi, sinum pulcherrimum peramœno fluuio optatum offendimus, ex quo quotidie aquas necessarias depromebamus. Missis ergo literis, vt nobis se iungeret, nauem Hollandiã inuitabamus: quod & annonæ simul, & animalium omnis generis, & fructuum iuxta variorum summa hic abundantia frueremur. Illa vero cum *Porcinum* angulum se haud commode transmittere posse videret, pro Regis admonitione sinum quendam incurrit, quo aquam inuentum iri spem sibi fecerat: Regi interim pro officio 20. vlnas figurati holoserici, partem aliquam corallij, aliquot vitra crystallina, speculas, & huius generis alia deferens.

*Obsides Hollandi retinentur.*

His ita vtrinque agitatis, obses noster cum Sclauis binis rediens, recensuit, quam laute à Rege habitus & admissus esset, & quod idem nostris facultates suas vniuersas addixisset, propediemque tum aquam, tum necessaria alia missurus esset. Nec vanum hoc Regis verbum fuit. Postero enim illico die quatuor porcos cum binis doliis aqua plenis per suos nobis præsentauit, commemorantes pariter, quod ante 18. annos ibidẽ nobis per omnia similes homines appulissent, qui funiculum in quinq; vel sex partes discindentes, eundem redintegratum illico oculis exhibuissent. Quos nos *Dracum* cum suis comitibus fuisse persuasum habebamus. Rex quoq; ipsemet deinde currui artificiose cælato insidens ad littus cõtendebat, quem bini candidi bubali, pannis pretiosis constrati trahebant. Regem stipatores prælongis hastis, & cannis teliuomis, quarũ apices inaurati erant, muniti præcedebant. Discessurus ille, in sui honoris gratiã tormenta aliquot displodi rogitans, id facile impetrauit. Sequenti die vasa adhuc 4. aqua plena nauibus obtulit. Interea ad nauem Hollandiam pedestri itinere nuncium secundum amandauimus, qui eam properare, & ad nos primò illico tempore pergere iuberet: cum eo loco, quo essemus, ad reditum nostrum necessaria omnia adipisci liceret. Ad quam adducendam insuper quoq; Pinam ipsam emisimus. Nuncius autẽ ministrato equo à Rege ad nostros promouebatur interim, quos binis bobus quoque iuxtà donabat. A quo, cum de summa sibi à Rege præstita humanitate edoceremur, tres obsides incolas in terrã quoq; exposuimus, cum prius allati cõmeatus solutionem integram accepissent, & honorariis aliquot affecti essent. Leo nauis intelligens nos tam cõmoda statione vti, & occurrentem sibi hac de causa Pinam prospiciens, leuatis anchoris rectà transmeando Porcino angulo

*Regis Baly apparatus.*

*Regis erga nuncium nostrũ humanitas*

Q 2 sese

ſeſe accommodauit, quem tamen vix magno & moleſto labore die 12. demum exuperauit. Vnde porro iuxta longitudinem littoris vela faciens, & die 16. nos attingens, 25. orgiis anchoras demiſit. Cui ergo loci cõditione explicata, ad aquam hauriendam manus poſtmodum auxiliares præſtitimus.

# Caput XXXIX.

## *Bali inſulæ deſcriptio.*

*Situs Bali.*



INSVLA Bali ad ortum iuxta magnam Iauæ inſulã ſita eſt: cuius borealis angulus ſub gradũ 9½. poli antarctici porrigitur, ambitũ fere mill. 12. Germanicorũ ſortita, ad orã aquilonarem valde montoſa, & populis tamen abundantiſſima. Regionis huius homines nigri ſunt, criſpis capillis ſpectãdi. Regem habent acrem & imperioſum: cæteroquin Ethnici, quoduis primùm de mane obuiũ, eo die adorant. Veſtitum Iauanis & finitimis aliis conſimilẽ gerunt. Vxores plures ducunt, ex quibus adeo liberos frequentes ſuſcipiunt. Et licet indies hominũ magnus numerus venum eat, nihilominus tamen inſulã vltra 600000. alere confirmant. Opificiũ eorum principale eſt, agricultio, & textoria cum goſſypij & ipſa ſimul inſula feraciſſima ſit, & de *Sambaua* lociſq; circumſitis copia indies grãdis importetur. Armentorũ, vt taurorum, bubalorum, caprarum, porcorum ibi magna copia. Equos quoque, ſed puſillos, Gallicanis ſimiles habent: quorum vnus cataphractum ſeſſorem vix ferat. Qui, cum perraro ex inſula transferantur, numero ſuo valde cumulantur. Incolæ pauperiores illis ſaltem vtuntur, pagatim per ſpatia breuia diſcurſuri. Opulentiores ſiquidem & primarij ſellis Sclauorum humeris impoſitis geſtantur, aut curribus, bubalorum opera vehuntur. Oryza oppido abundant, cum interdicto Regis eius nihil inde efferri liceat. Hanc collectã numeroſiſſimi incolæ ſuis cibis adhibent: & ſi quid abundat, caſtellis ad hanc rem montibus ſuperſtructis, aut pro ſterilium annorũ ſolatio, aut pro famis, obſidionis alicuius tempore futuræ remedio recondunt. Oryza enim pręcipua omnium Indiæ orientalis locorum annona eſt. Omnis quoque generis eadem volucres promit, vt gallinas, anates, phaſianos, pauones, perdices, turtures & ſimiles. Fructus eorum primarius *Cocos* eſt, qui incolis pro cibo optatiſſimus venit, ex quo & oleum valde ſalubre exprimunt: cæteri ſunt aurantia, limonia, citria, quorũ prouẽtus in ſyluis eſt. Fructum inſula & aliũ promit, pyrum magnitudine referentem, & cortice tenui intectũ, forma caſtaneæ, minus tamen aculeatũ, interius albicantem, ſaporem iucundũ, nonnihil tamen aſtrictorium linguę offerentẽ: qua qualitate ſcorbuto ſalutare remediũ præſtat. Hic & ſaccharo cõdiri, & ſale macerari poteſt. Qui ſi poſt coquatur, depoſita ſalſugine iterũ cõdulceſcit. Sed & fructus alius ibi natiuus eſt, ſub terra editus magnitudine nucis iuglandis, ſed durior tamen & oleoſior, quo ad cõdiendos cibos vtuntur. Inſuper & phaſeolos virides alboſq;, & quicquid Iaua promit, producit. Aromata quoque ibidem prouenire, nullo indicio captare potuimus, præter zinziber, quod in vniuerſa India creſcit, & paucula alia medica, vt ſunt *Galanga*, *Deringo*, *Canior*, *Bange*. Mare piſces tam grandes, quam minutos elargitur, magna copia: quibus vt maxime victitant. Negotiationes maritimas nullas agunt, niſi forte per paruas Paraos, quibus littus ſaltem Iauanum ad diuendendos pannos xylinos ablegunt. Eadem inſula ſtatio ſatis commoda illis nauibus eſt, qui ad *Moluccanas* inſulas, *Bandam*, *Ambon*, *Maccardo*, *Timor & Solor* hàc tranſeunt, vbi plerunque neceſſariis rebus ſe reficiunt, aut pannos xylinos permutant, quos in inſulis circumiacentibus deinde reuendunt.

*Incolarum habitus.* *Polygamia.* *Studia.* *Loci fœcunditas.* *Incolarum negotiatio.*

Arma

Arma gestant, prælongas hastas, pugiones flammiformes, cõprimis vero Cannas sagittiuomas, ex quibus teretes exilesque sagittulas, ex arundine fabrefactas, in apice vero intoxicatos efflant, valde noxias. Quæ si corpus penetrarint, extrahendæ aculeum in carne relinquunt, qui postmodum putrefactus, veneno partes omnes vicinas inficit, & inflammatione ingentique dolore lancinat, quibus læsi breui moriuntur. Tela hæc Indianis lethalia creduntur. Quibus tamen aliquando nostrum nouem socij multis vulneribus sauciati dolorem nullum alium senserunt, quam qualis ab arundine infixa infertur, quam rem Iauani oppido admirati sunt. Parmas Iauanensibus similes habent. Ad hos interdum & Chinenses commeant, aduehentes acinaces, quibus post incolæ quoque vtuntur. Hoc loco *Caxas* minores in nullo valore sunt, sed tantum maiores, quarum 8000. pro vno Regali octonorum appendunt, quibus suas merces vniuersas permutant. Sed & metallorum varij generis terra ferax est, vt ferri, cupri, auri, cuius tamen mineras aperiri rex non patitur. Socij nostri, qui apud regem fuerant, viderant, eum tum aureis tum argenteis poculis multo pluribus abundare, quam apud quemcunuis alium regem obseruassent: etsi illorum grandem quoq; copiam apud Gubernatorem in Bantam numerassent, quæ à Chinensibus fabrefacta fuerant. Quæ tamen nec numero, nec æstimatione cum huius regis Chrysendetis comparari poterant. Hic enim valde splendide se gerit & Pompatice, adeo, vt nec summis ipsius cum eo colloqui, nisi complicatis manibus liceat. Rex penes se Gubernatorẽ habet quẽ *Quillon* dicunt. Hic æquo modo insulis dominatur, quo magnus Cancellarius regno Poloniæ: cuius decretis omnia & stant & cadunt. Iste subiectos sibi præterea primates multos habet, quorum quilibet ditionem à Rege sibi mandatam moderatur. Quæ officia tanta concordia & tranquillitate obeunt, vt, quamprimum se quidam cæteris temere opponat, coniuncta manu reliqui eundem aut opprimant, aut saltem proscribant. Veluti ante 12. vel 12. annos factitatum audiuimus. Cum enim ex causa quadam Regis familiarissimus & cognatus contra eum rebellasset, adeoque seditione facta, ad eum suis in ædibus obtruncandum copias ingentes eduxisset: prodito instituto vniuersi capti, & mortis supplicio addicti fuerunt. Quorum tamen misertus Rex pœnam mitigauit, & eosdem in incultam quandam Insulam ad Bali Orientem sitam, *& Pulo Rossa* vocatam, proscripsit. Quo ipsi loco adhuc hodie habitant, Regi quidem Bali subditi, sed tamen in insulam Bali intrare non audentes. Hæc insula eadem, nũc populosissima & apprime exculta est: tum Sclauis tum pecoribus illapso tempore valde coaucta. Superstitionis Ethnicæ sunt, non minus ac qui in Bali versantur. Apud quos & hodie perniciosus ille mos vrget, vt cum defunctis viris multæ simul coniuges comburantur eodem rogo, cui oleum suffundunt, & Santalum iniiciunt, si quæ mulieres eundem cum viro rogum conscendere renuunt, parum probæ habentur. Cæteras ad pyram promptas & faciles, honestissimas & viri amãtissimas pronunciant, dignas qui illi in futura quoque vita cohabitent. Ritus iste primitus à rege quodam ideo institutus est, vt mulierum proteruiæ hoc pacto obuiam iretur. Solitabant enim mulieres, viri præsentis saturę & alius ardentes innumeris dolis, aut varie commixtis venenis eum è medio frequenter tollere. Quo flagitio cum rex sibi viros quamplurimos pessum ire viderer, hoc ritu instituto, malitiam muliebrem nonnihil infrenari posse arbitratus est. Nostro tempore cum primate quodam 50. viuas vxores exustum iri referebatur. Cui tamen funesto exemplo nemo nostrum spectator interesse magnopere satagebat.

*Arma.* *Nummi.* *Metalla.* *Regis Chrysendeta.* *Grauitas.* *Officiarij.* *Pulo Rossa, seu desolata insula.* *Bali religio.* *Mos cremandi maritos cum viuis vxoribus.* *Quare institutus.*

# Caput XL.

## *Quæ in Bali insula porro gesta sint, de nostro itidem versus Hollandiam reditu.*



IN sinu dicto cum moram longiusculam ageremus, omne studium rebus in patriam reuersuris necessariis conuehēdis impendimus, & quotidie in terram egressi sumus, vt naues cæteras opera nostra aqua sufficienti oneraremus. Die Febr. 16. Rex ad nos Gubernatore suo ablegato summam nobis amicitiam detulit, & sclopeta aliquot cum pulueris pyrij parte petiit: pro quibus missis armenta aliquot & porcos vicissim dono dedit. Die 20. cum in Continenti essemus, duo nostrū longius in regionē progressuri, abeuntes admonuerunt, ne se diutius fors emansuros præstolaremur. Quos ab eo die nemo nostrum oculis vidit, etsi de illis inquisitiones crebræ fierēt. Die 21. pro felicis in patriam reditus auspicio anchoras sustulimus: quas tamen breui post propter aduersos ventos 12. orgiis iterum iactare coacti fuimus. Postero die recta in altum ascendentes, transitum apud Iauç austrum quæsiuimus, binis saltem nauibus & Pina instructi. Tertiam siquidem ad *Le Bock* insulam exustam esse, supra commemoratum est. Ex hominibus 249. qui nobiscum Hollandia auecti sunt, tum sani tum ægri in omnibus nauibus saltem 90. numerabātur, cæteris 159. medio cursu defunctis. Metam nostram ergo versus Zephyroaustrū dirigentes, secundo & vento & fluctu pronauigauimus. Die 5. April. nauium nostrarum vna fissura adeo discrepuit, vt sentinando integri dies exigerentur. Nam rimam serius inuenire poteramus: quam ex crebris tormentorum exonerationibus actam credere fas erat. Post aliquot elapsos dies nouam item aliam obortam crepaturam experti, ea obturata & obstructa adeo festinis velis prouecti sumus, vt ad diem 24. April. terra de *Natal* conspectui nostro offerretur, quæ plana & editior, versus Africum & Cæciam 13. milliarib. in longū porrigitur. *Caphres* nobis visis passim succensis ignibus multos pro more fumos excitabant. Documento certo hic pernoscebamus, non tantum violentum Austroeurum, sed & ipsius fluctus impetum nobis insigni adiumento fuisse: cum alias 200. adhuc milliaribus à terra nos abesse opinaremur, etsi nos illi iam vicinos esse, pyxide inspecta condoceremur. A meridie eleuationem poli 33. gradib. & 10. minutiis metientes, ventum è terra flantem habuimus: à quo Zephyrus; cum inundatione quadam spirare incepit. Hoc impellente versus Austroeurum cursitantes, proras postmodum ad oram contorsimus. Die 26. nocte Leo cum Pina à littore declinauerunt: ad quod tamen restes Hollandia, postero die desiderata est, turbine incitatissimo ita violenter disiecta, vt vela eius tria vna decuterentur. Sed & cæteræ naues periculi non omnino securæ erant, quæ integra diei parte quarta sine velis fluctuantes, propter æstum vndarum, & laterum hiatus, tormentorum displosione violenta factos, aquæ vim magnam imbiberant. Ad littus itaq; conuersi, tum rapida aura fremente tum fluctuatione crebra inundāte sine velis progressi sumus, & à meridie 36. gradus tenentes, 23. milliaria nos abactos fuisse æstimauimus. Hic bolide iacta fundum nullum attigimus. Quod nobis, fundum ad *Cabo Daguillos* iam teneri, argumēto erat haud temerario. Die 28. iisdem vndosis tempestatibus, mero fluctuum arbitrio nulla velorū ope ad gradum 37 ½ ascendimus. Die 30. aues quamplurimæ rostris albis insignes nobis cōspectæ sunt, à terra nos non longe abesse, haud falsæ indices. Sed & *Faisions* aues hoc loco comparuerunt. Die 6. Maij ex plaga orientali *Cabo Daguillos* à tergo cōspeximus, quod promontorium, presso cacumine, longius in mare porrigitur. Die

*Duo ex comitatu Hollandico disparent. Hollandici reditus auspicium.*

*Numerus. Superstitiū.*

*Terra de Natal.*

*Caphres feri.*

*Nauium à procellis periculum.*

*Cabo seu promontorium Daguillos. Aues Faisons & aliæ terræ propinquæ indices.*

Die 7. cum promõtorium de *Buona Esperanca* transmittere cogitaremus, cursum ad Septentriozephyrum dirigentes, 8. & 9. die *Trombas* seu arundineta fluctuantia conspicati sumus: à quibus longius promouentes, 23. die altitudinem insulæ S. Helenæ obtinuimus. Qua ex occidente in austrum continuata, insulam dictam diei 25. aurora conspectui nostro oblatam accepimus, alte præeminentem, etsi ab ea 14. milliaribns adhuc abessemus. Circa vesperam carbasis lateralibus districtis, ne insulam preteruheheremur, tota nocte obliquauimus. Postero mane, cum ab insula 4. milliaribus distaremus, decreto ita facto, Pinas præcurrens, recta sub angulo Septentrionali stationem occupatura erat. Cum vero quatuor ibi *Karakas* Lusitanicas subsistere videret, periculi alicuius instantis disploso tormento nobis signum dedit. Quo admonitis, cum de re deliberanda conuentus indiceretur, statutum est, vt, si vna saltem *Karaka* præsens esset, iuxta eam recta à nobis anchoræ mitterentur. Propius tamen admoti, cum *Karakas* quatuor postea notassemus, longius à latere stationis perrupimus. Quod videntes, qui in statione erant, socios suos illico, iam ante in terram sparsim egressos, ad naues recollegerunt. Interim postquam nobis bene longo interuallo insula iam transmissa esset, contra nos velum quoddã protendere obseruantes, propius congressi Hollandiam nauẽ eam esse internouimus. Qua conspecta etsi oppido gauderemus: de statione tamen in S. Helenæ insula denegata non leuiter obtristati sumus. Hollandiæ vero naui cum 30. magna dolia, aqua referta, parata intellexissemus, communi suffragio de patria recta repetenda statutum est. Vento ergo Euronoto intra Septentrionem & austrũ impulsi, ad Vesperam grad. 15. min. 20. emensi, postea Calendis Iunij aues quamplurimas notauimus, quorũ ex apparentia nos ab Ascensionis insula non longe abesse, augurati sumus: dum cursu continuato, die sexto & septimo lineam æquinoctialem transcenderemus, quam iam ab integro biennio non tenuissemus.

*Trombarum apparentia.* *Insula S. Helenæ detecta.* *Aues insulæ ascensionis.*

Die 17. Ventorum vi pulueris quamplurimum in nauem Hollandiam impulsum est. Quo viso, ab insula *S. Anthonio* (quæ insularum *Cabo Verde*, id est, capitis viridis occidentalior est) nos haud procul abesse ominati sumus. Insularum Cabo Verde, à Lusitanis habitaturum, numero 10. sunt: *S. Iago, S. Antonio, S. Vincent, S. Lucia, S. Nicola, Ysla Dosal, Ysladi, Buona Vista, ye Mayo, del Fuego, y Braua.* Has cum Lusitani primum detegerent, incultæ quidem & desertæ omnino erant: nunc vero & oryza *& Milie Abrayn,* id est, siligine Turcica prompta perfelix est. Ibidem & aurantia, *& Limonia, & Citra, & Vannanas & Annanas, & Ygnanes, & Batatas, & Melones, & Cucumeres* cum fructibus similibus quamplurimis, magna copia proueniunt. Sed & vites bis anno vno vuas promunt. Nec ficuum Hispanicarum, *Sycomororumque* penuria nulla est. Pecorum vero, maxime Caprorum tanti greges aluntur in insulis *Mayo, Buona Vista & Dosal,* vt iis integræ naues oneratæ in Brasiliam auehantur, quæ propter salis copiam ibi commodius condiuntur. Insulæ siquidem istæ sale multo abundant: cuius materia maris æstu in littus & terræ depressiora eructata, solis ardore postmodũ excoquitur. Volatilia quoque varij generis insulæ hæ alunt, vt Gallinas Numidicas seu Barbaricas, Perdices, Coturnices, alaudas, aues Lusitanis *Flamencos* dictas, cygni aut Ciconiæ instar magnas, in cætero corpore plumis albis, in alis vero saturate rubicundis vestitas, gallinas domesticas, pauones, ardeas, turtures. Piscium quinetiam vim magnam mare suppeditat: qui resiccati aut saliti inde in Brasiliam exportantur. In Mayo insula equos quoque vidimus, sed rariores. Metropolis in S. Iago insula sita est, qua Gubernator consedit, qui Lusitanorum nomine insulis præest. Eadem & Episcopus habitat, templo Cathedrali & aliis pastoralibus celebri. Insulæ hæ nauibus longius abituris valde commodæ sunt. Mayo siquidem insula, ex oriente fluuio amocuo læta, aquas abunde ministrat. Quas, quod nullis incolis habitata sit,

*Puluis obuolitans signum insulæ S. Anthonij.* *Cabo Verde quot insulis constet.* *Insularum summa fertilitas.* *Fructus.* *Pecora.* *Sal.* *Aues.* *Pisces.* *Insularum commoditas.*

ſit, nullo prohibente abunde haurire licet. In reditu inſula S. Antonio nauibus exhauſtis refectioni eſt: quæ præter laticem cibaria quoque quædam & fructus promit, comprimis aurantia mala. Quæ ſuis vſibus accommodare nemo prohibet, etſi Luſitani aliquot iſtic conſederint. In hanc diuertere inſulam etiam nobis propoſitum fuerat. Sed lineam tranſgreſſi, longius ad orientem deflectere coacti ſumus. Inſula ergo hac tranſmiſſa, mare *Sargaſſo* contentim tenebamus, quod protrahebatur, vſque dum gradus 34. ſuperaremus. *Sargaſſo* vero herba quædam eſt, cuius eo loco ingens copia fluctuat, quæ nec vnde impellatur, nec vbi creſcat, ſcitur. Alias enim eadem nullo loco conſpicitur. Cuius vt notitia aliqua haberi poſſit, inferius imagine viua ſua, vt & Tombræ, exprimitur. Appicta quoque coruorum facies eſt, albis roſtris inſignium: qui viſi certum *Cabo de Buona Eſperanca* ſignum ſunt.

*Mare Sargaſſo. Sargaſſo quid?*

Die Iulij 10. ex Hollandia naui puer quidem per imprudentiam elapſus eſt. Quem tamen pinas, dimidij milliaris ſpacio conſecuta ſuſtulit & ſaluauit. Die 12. apud inſulam *Coruo & Flores* nos nauigare rati, terram tamen nullam prouidere potuimus. Die 13. Terram ſpectare opinati ſumus, nullo tamen euentu. Die 17. verſus cæciam promouimus, vento Auſtroeuro perflante. Die Aug. 5. ſub altitudine grad. 47. Canalem nos intraſſe arbitrati ſumus. Die 6. Aug. ventum aduerſum occidentalem nacti, anchoras 80. orgiis iactauimus. Veſperi nauem quandam, vexillum principis oſtentantem conſpeximus: cum qua tamen longius remota colloqui non licuit. A meridie *Heyſant* conſpectui noſtro obuenit: cuius prouiſio haud mediocri nobis gaudio fuit. Die ſequente Continentem Galliæ conſpicati, verſus occidentem properauimus. Eodem & *Kiskias*, & poſt *Angliam* vidimus. Die 9. fretum, vulgo *De Hoefdon*, id eſt, *Capita* incurrimus, vbi nauem quandam ex Amſterdamo attigimus, comitem nobis in patriam futuram. Quæ tamen ante diem ſequentem nobis propter ventorum vim coniungi non poterat. Hæc nobis cereuiſiam, panes, caſeos & alia miniſtrabat: quibus tamen eſitatis gonagra noſtratibus valde exaſperabatur. Magna interim tempeſtate coorta, ante *Petten* conſedimus: vbi Hollandia nauis ſuas anchoras perdidit. Die poſtero, nimirum 11. Auguſti *Texeliam* adnauigauimus, vbi à *Præſidiariis* naui accepti, ordinario Comitatu in illam porro introducti ſumus. Sic itaq; longum & difficile iter confecimus: quo diuina gratia multis præſentaneis & grauiſſimis in periculis clementer ſeruati fuimus. Hollandia tamen nauis, iam viris valde exuta, cum anchoras ſuas attollere non poſſet, circa veſperam nouis & validis tempeſtatibus obortis ita concuſſa & labefactata eſt, vt malum detruncare coacta, ſalutis porro ſuæ ſpem prope nullam ſuperſtitem haberet. Qua vſque ad diem 14. continuata, tandem ceſſante turbine præſidiarij dicti ad eos appulelunt, & anchoras fundo extricare iuuerunt. Qui & ipſi deinde poſt infinitas exantlatas ærumnas *Texeliam* ingreſſi ſunt. Pro quorum, vt & noſtrorum vniuerſorum ſuperſtitum ſalute paterne procurata, Deo trino & vni laus, gloria, & honor in æternum condicta ſint Amen.

*Heyſant conſpicitur.*

*Kiskas & Anglia. Fretum Hoefdon.*

*Pette. Texelia.*

FINIS.

TERTIA



TERTIA PARS

# NAVIGATIONES TRES DISCRETAS, TRIB. CONTINVIS ANNIS PER SEPTENTRIONEM SVPRA NORVEGIAM, MVSCOVIAM ET TARtariam, freto Weygatz & Noua Zembla detectis, ab Hollandis & Zelandis in Cathay & Chinarum regnum versus orientem susceptas, describens.

## PRÆFATIO
### *Gerardi de Veer Amstelredami.*



*Vi Nauiculariam, vt artibus cæteris difficiliorem, sic reipsa iucundiorem, & propter multiplices ex illa in commune commodum redundãtes vtilitates præstantiorem iudicant, hi, vt fallantur, meo iudicio tantum abest, vt hac ipsa veritate nihil quicquam compertius esse videatur. Quæ ob id hac ipsa nostra ætate cum admiratione publica in tantum exculta & illustrata est, vt per eandem regiones distantißimæ, alias incognitæ, cum summa Reipubl. Christianæ vtilitate, exploratæ, aditæ & detectæ sunt. Licet autem tres hæ nauigationes, viæ expeditæ in Cathayam & Chinam inueniendæ gratia institutæ, finem aut euentum non per omnia optatum consecutæ sint: eædem tamen non omnino sine certo fructu, & spe, easdem postmodum facilius & compendiosius adeundi confectæ fuerunt. Apud me siquidẽ, vt bonos plerosque, hæc sententia rata & confirmata est, fore nimirũ, vt, cum iam freti* VVeygatz, *terræ* Nouæ Zemblæ, & pars Groenlandiæ *(quæ versus orientem sub gradu latitudinis octogesimo sita, nulli vnquã homini ante hæc visa aut*

R *accessa*

*accessa est) ratio iterata experientia stabilita sit, deinceps eadem via felicius relegi & opportunius permeari queat. Quod si enim* Cortesius, Nonius, Magellanus *& alij nobilißimi naucleri, terrarũ nobilißimarum & ignotißimarum prouidi exploratores, primæ illico, aut secundæ tertiæve incommodæ profectionis tædio clanguissent, tum gloriæ illius qua postea apud omnem posteritatem claruerunt, fructum nullum vnquam percepissent. Sicut de casu simili Magnus ille Alexander, cum maiore minoreque Asia triumphis peragrata, tandem in extremis Indiæ terminis difficultatibus magnis inuolueretur, generosam sententiam prodidit, dicens:* „ *Nisi tot tantaque pericu-* „ *la, quæ aliis ignauis inuicta videri solent, aleam iactantes ani-* „ *mosius adiissemus, nunc in ipso adhuc Siciliæ aditu obhærescere-* „ *mus, cum tamen interim fortitudine nostra imperij nostri fines* „ *huc vsque protulerimus. Sed & hoc nemini non scitum compertumque est, res quasuis non inueniri simul & perfici: sed successu suo omnia & principium, & medium, & complementum ordinarie consequi. Cui rei & Cicero haud incongrue astipulatur, negans, omnium rerum vni homini à Deo inuentionem attribui, sed posteris suam quoque addendam partem relinqui affirmans. Iam vero si nauigationes illas, quæ hodie & frequentißime & sine omni periculo ex albo mari Anglico aut Hollandico per Norvegiam in Muscoviam obeuntur, & prioribus tamen seculis ante 50. fere annos cum ærumnis infinitis & labore inexhausto primum institutæ sunt, expendimus, quanam sodes re easdem faciliores nunc redditas fatebimur? An non idem hodie, quod olim, mare, eadem vnda est? Imo vero: Sed non eadem experientia, idem transitus est, cum hodie viis exploratis quoquouersum ex arte excurratur, quod antea dubia fortunæ alea tentandum fuerat. Quæ si ita sunt, qua causa & nob. diligenti obseruatione habita transitum in Cathay & Chinam explorari posse non veri fieri simile debeat? Est enim hoc quam verißimum, quod sub gradu latitudinis 80. non tam intensum gelu, ac sub gradu 76. ad nouam Zemblam persenserimus. Sub eodem quoque 80. gradu mense Iunio & virentes vndique herbas, & eas depascentes animantes, vt capreas, ceruas & similes conspeximus, cum tamen sub grad. 76. mense Augusto nec viren-*

*virentes herbas, nec gramina, nec dicta animalia pascentia videre licuerit. Ex quo haud infirma consecutione prolici potest, glaciem & frigus non tam sub ipso polo, quam ad regiones Tartariæ esse, mari congelato insignes: cum ibidem iuxta littora vndiquaque glaciei magna vis inueniatur; quæ ventis postea & procellis vastis quoquouersum disiicitur. In magno vero Oceano intra Continentem sub gradu 80. & nouã Zemblam (quæ 200. fere milliarib. locis oppositis inter se distant) aut nullam aut glaciem perexiguam offendimus. Quoties vero cunque terræ propius admouimus, tum glaciem tum gelu abunde obseruauimus: Ita, vt glaciei præsentia perpetuo nobis terræ propinquæ indicio esset, etsi eam nullis adhuc oculis prospexissemus. Iuxta latus quoq; Orientale Nouæ Zemblæ, quo loco hybernauimus, diligenti obseruatione notauimus, quod semper vento Fauonio aut austrozephyro per procellas glacies abacta fuerit: cum tamen aquiloeurus eandem perpetuo reuexerit. Ex quib. iterum certo argumento colligi potest, quod intra binas illas regiones vastum mare versari necesse sit: & quod item velis longe propius ad polum progredi liceat, quam seculis superioribus persuasum fuit. Quamuis enim veteres nostri commentati sint, vltra gradum 20. poli nec penetrare nec viuere licere, quod intra illum gelu vniuersa dirigeant: nos tamen vltra gradus eleuationis 80. trangressi, à polo vix 10. gradib. abfuimus, & sub gradu 76. mediis tenuissimis hyemem exegimus. Sic itaque iter ad Cathay nullo dubio exigi posset, modo ex Norvegia aut Finmarchia meta intra Septentrionem & ortum exactius teneretur. Quem nos cursum si sedulo sectati fuissemus, finem nauigationis felicem fecissemus: cui tamen continuando & oborta glacies, & temporis breuitas nobis impedimenta obiecerunt. Cum enim iam in noua Zembla essemus, naue nostra glacie media sepulta, rem effectam dare non potuimus. Eo priusquam venissemus, quæ loci & Oceani ratio esset, inexpertis obscurum fuit. Sic itaque ex his causis cursum nostrum emendare haud potuimus. Huius sententiæ dictæ fautor celeberrimus Gubernator* VVilhelmus Barentz *p. m. semper fuit: vt non minus quoque nauta experientissimus* Iacobus Heemskerck. *Et quamuis postrema nauigatione ærumnas & pericula infinita sustinuissemus: nun-*

*quam tamen adeo despondimus animum, quin si nauis vlla arte aut machinatione ex glacie erui potuisset, fortunam porro certiorem experturi fuerimus: certo nimirum documento confirmatissimi, viam hanc prædicto modo obtineri posse. Breuius tamen æquo tempus nobis hanc gloriam inuidit. Quia vero tribus istis nauigationibus, quarum postremis binis ipsemet interfui, mira quædam, insperata, inaudita, & fidem fere transcendentia, nobis obuenerunt: eadem omnia breuiter, si non ornate & polite, at vere tamen & fideliter, vt singula gesta sunt, hoc libro commentari volui, penult. April. Anno 1598.*

# TERTIA PARS NAVIGATIONES TRES HOLLANDORVM ET ZELANDORVM VERSVS SEPTENTRIONEM IN CATHAY ET CHINAM TERNIS

vicibus, nimirum An. 1594. 1595. 1596. factas describens.



NNO salutis humanæ 1594. in Hollandia naues binæ, & Euchusæ vna, instructæ & adornatæ sunt, Norvegiam scilicet, Muscoviam, & Tartariam velis ambituræ, & viam certã ad Cathay & Chinę regiones exploraturæ. Illius autem, quæ Amstelredami condita erat, Wilhelmus Barentz, nauclerus eximius & experientia præstãtissimus præfectus constitutus, ipso pentecostes die inde in Texeliam, Hollandiæ finitimam insulam soluit.

Die 5. Iunij ergo, inde cum suis egressus, prospero vento in Kildyno (alij Kildunum in Lappia situm, Muscoviæ subditum, fuisse arbitrantur) appulit, die nimirum 23. Quod iter, quia passim omnib. notum est, hoc loco describi, superuacuum fuerit.

*Langenes promontorium. C. Baxo. Lombs Bay*

Iulij 4. die intra orientem & austrum versus Nouam Zemblam procurrẽtes, promõtorium quoddam longa porrectione in mare extensum, *& Langenes* dictum, attigerunt, iuxta quod ad orientem sinus se quidam 20. orgiarum pandebat. A Langenes ad Capo Baxo, milliaria 4. numerãtur. Inde ad *Lombs Bay* sinum, nauiumque stationem commodissimam, 6. 7. & 8. orgias profundam, milliaria 5. sunt. Quo loco, celoce in terram egressi, ibi repertum malum pro signo erexerunt.

*Vadum vrsinum. Albus vrsus immanis.*

Die 9. ad vadum vrsinum iuxta Wilhelmi insulam peruenerunt: vbi naues anchoris defixerunt. Dum morarentur, vastum & prodigiosum candentem vrsum conspicati, è scapha sua eundem sclipeto excussa glande traiecerunt. Quo ictu ille irritatus, furore quodam sussiliens in vndam se aduersus nostros demisit.

demisit. Cui obuiantes ipsi cum laqueum eius collo iniecissent, scapha promota eundem secum ad naues pertraxerunt, viuum nimirum captum in Hollandiam inferre cogitantes. Quos contra cum ipse vi admirāda immanissime frenderet, de viuo captando consilium mutarunt, sola pelle adempta contenti futuri. Nam præter horrendos rugitus, editos, etiam robore præstito omnibus terrori erat. Interdum fustibus ille tundebatur, interdū plagis dilatis, scaphas porro pertrahebatur. Quam ipse occasione data primoribus vnguibus pone arreptā, tam valide depressit, vt in proram certatim recipientes, iam iam mersum iri vniuersos se arbitrarentur. Quod periculum fors quoq; nulla industria euasuri fuissent, nisi extemporaneo casu quodam salus eorum emergeret. Nam cum iam vrsus dimidio corpore in scapham insiliisset, funis, quo collum reuinctus erat, paxillo claui mira prouidentia sese ita inuoluit, vt se penitius inferre vrsus non posset. Quem hoc pacto districtum aut implicatum, quidam hasta perfodit, vt ex scapha in mare rursus exturbaretur. Ad naues ergo protractum pelle exuerunt, quam in Hollandiam postea secum importarunt.

Die 10. intra Wilhelmi insulam & vadum vrsinum vela immittentes, ad crucis insulam appulerunt, à crucibus binis ibi erectis inuentis ita dictam. Nauibus egressi hanc valde sterilem & rupibus plenam inuenerunt. Ab oriente in occasum ea semi milliari spatio elongatur, insuper duobus à terra milliaribus portu quodam insignis. *Crucis insula.*

Die 11. Celox eorum à fluctibus & procellis vastis oppressa, funditusq; demersa periit. Tēpore illo nebulæ densissimæ erant, & propter violentos turbines velis vti minime licebat. Hoc ipso loco iam glaciei quædā fragmina notabantur. *Celox mergitur.*

Die 25. cum fundum Orgiarum 130. & postea 100. tenerent, versus Zephyroeurum crustas glaciei grandissimas attigerunt, quibus ita iam sese intricatos sentiebāt, vt de malo præter meram glaciem nihil prospicere liceret. Quam cum perrumpere quidem satagerent, conatum tamen hunc frustraneum conspicati, retro actiose iterum expediuerunt.

Die 30. Per sinum glacialem velificantes 31. die intra terram & glaciem vsq; ad *Orangiæ* insulā peruenerunt: vbi in callente arena 200. circiter *Rosmaros* (*Walruschen* aliàs vocabant) apricari & volutari viderunt. Monstra hæc seu belluæ marinæ roboris maximi sunt, bouem vastitate æquantes. In mari potissimum degunt, corio phocarum simili vestitæ, rictum leonis habent, cum curtis auribus, dentes, elephantinis similes, binos ex ore vlnæ vnius mensura exporrigunt, tam candidos & leues, vt eboris vicem supplere possint. Bestiæ hæ non nisi magno labore trucidantur: facilius tamen, si tempora eorum feriantur, vno partu catulos duos edunt, tresve, cum quibus plerunq; in crustis glaciei stabulantur. Ex quibus, si forte alicunde impetantur, pullos suos deijcientes, cōtra infestatores magno robore & animo insurgere solent: adeo, vt scaphæ nostræ ab iis aliquando nō temnendū periculum impenderit: quam lacessitus, dentibus suis validis minutim lacerasset aut confregisset, nisi clamore nostrorū tumultuario territus aufugisset. Horum animalium, cum, vt dictū est, ingens multitudo in terra excubaret, Hollandi ea securibus, cortelassis, & hastis adorti sunt. Quæ tamen omnia arma sua punctib. & cæsibus crebris cōfregerunt, & bestiarū ne vnicā quidem conficere potuerunt. Quidā tamen excussum dentē secum in Amsterdam auexerūt. Oppugnandis his animalibus itaq; cum omni nisu suo ne tantillum se proficere viderent, tormentis aliquot è nauibus adductis eadē quatere consultū rati sunt. Quorum afferendorū causa recurrentes, in transitu dormientē album vrsum offenderūt, & glāde traiecerūt. Qui fragore & vulnere excitus, in mare se fuga recepit: à nostris tamen scapha consectantib. breui interfectus. Hūc cū fune religatū, glaciei crustæ impacta hasta deuinxissent, porro de tormētis adigēdis laboraturi:

*Sinus glacialis.* *Insula Orāgiæ.* *Rosmari seu VValruschen.*

ventus subito tam concitatus & impetuosus exortus est, vt & cædendorum Rosmarorum animum mutare, & vrsum post se relinquere cogerentur.

Die vltimo Iulij ad Orangiam insulam progressis ipsis, cum nauclerus primarius *Wilhelmus Barentz* præsentiret, susceptum id iter haud facile exactum iri, suosque paulatim viæ & loci pertæsos ad vela promouenda nihil animi habere: communi suffragio de via retromeanda, & sociis in Waygaz per fretum Nassouicum progressis quærendis, decretum factum est: vt nimirum ab his, quid confecissent, docerentur.

*Hollãdi ex Oranga insula reuertuntur in VVaygatz.*

Die 1. Augusti reconuersi sinum glacialem iterum occuparunt, à quo septem milliaribus *Capo de Troost* abest, terra plana, & 30. fere milliaria lata. Ab hac *C. de Nassau* 7. milliaribus distat.

*Sinus glacialis. C. de Troost. C. de Nassau.*

Die 8. cum Nigram insulam tenerent, Wilhelmus Barentz poli altitudinem emetiens, grad. 71. min. 20. inuenit. Postea sinum alium maiorem ingressi sunt, quem Barentz locum, *Costnitsarch* dictum, & ante id tempus *Oliuiero Brunel* tritum, arbitrabatur.

*Niger sinus. Costnitsarch.*

Die 9. ad sinum propugnaculi venerunt, iuxta quem breuia longa & nigra spectabantur. In his crux defixa erat. Ibidem glaciem iterũ copiosam attigerunt, ita vt à terra longius denauigare, & propositum suum de itinere secundum nouam Zemblam in Weygatz continuando mutare cogerentur. Itaque versus occidentem 11. milliaribus progressi sunt, hinc in Septentrionem porro in ortum declinantes: vbi ad *Bay S. Laurentij* peruenerunt, quæ sub grad. 71. min. 4. sita est. Hanc egressi sinum propugnaculi iterum adierunt, in cuius scopulo quodam crux erecta stabat. Ad quam propius videndam, cum scapha sese eò acclinarent, certis signis notarunt, eo loco paulo ante homines quosdam latuisse, qui ad conspectum appellentis scaphæ profugissent. Sub lapidum enim quadam congerie iuxta crucem sex saccos farina secalnia adimpletos defossos inuenerunt, vt & tormenti cuiusdam capsam. In proximo quoque crux alia, cum tribus ædibus Septentrionalium locorum ritu seu forma ex ligno fabrefactis reperiebatur: vt & in ipsis ædibus asseres aliquot dissolutorum doliorum, ex quibus signis vniuersis collegerunt, Salmonum ibi capturam fuisse. Ibidem iuxta scrobem quandam ossa aliquot, & quinque vel sex loculi ossibus impleti inueniebantur. Confracta quoque Russica nauis ibi iacebat, cuius carina pedes 44. longa erat. Homines cæteroquin nullos eo loco videre erat. Portus quinetiam ibidem commodissimus erat, à ventis omnibus liber & immunis, quem portum farinæ propter farinam ibi inuentam indigetauerunt. Ab hoc portu ad insulam humilem duo milliaria sunt. Inde ad duas insulas *S. Claræ* 9. milliaria sunt: vbi iterum glaciem multam repererunt.

*Angulus propugnaculi. Bay S. Laurentij. Sinus propugnaculi. Portus farinæ.*

Die 13. 14. 15. nunc prorsum nunc vorsum, nunc ad latera vela facientes, propius ad insulam, vt ipsi existimabant, *Colgoij* venerunt, vnde versus orientem nauigantes, poli altitudinem 69. grad. 15. min. habuerunt. Hinc porro orientales duæ insulæ *Matflo & Delgoy* apparuerunt, vbi suos socios cum binis primo dictis nauibus, Zelandica nimirũ & Enckhusiana offenderunt, qui eodem die ex Weygatz seu freto Nassouico primum ibi quoque appulerunt. Hi sibi mutuo de viarum successũ, & rerum gestarum modo indicia faciebant. Enckhusana nauis, cuius præfectus *Ioannes Huygen Lintschotanus*, nauiculariæ artis peritissimus erat, recensebat: quod per angustias maris Weygatz, quod fretum Nassouiæ vocant, pertenderit, & fusum latissimumque aliud mare ingressa sit, quod versus ortum 50. vel 60. milliaribus transsulcarit: vt probabilibus argumentis edocta, se ab Obij fluuio ex Asia in mare Tartaricum se exonerante, non abfuisse longius persuasum habuerit. Postea vero cum terram se inde iterum in Septentrioeurum diffundere videret, apud promontorium *Tabyn* (quod apex extremus Asiæ Septentrio-

*Colgoij. Matflo & Delgoy. VVeygat. Obij fluuius. Mare Tartaricum, Prom. Tabyn.*

ptentrionalis est) se proximos fuisse crediderit. Huc ergo vsque progressi cum se satis longã viam emensam putaret,& insuper temporis anni serioris rationem expenderet, cogitaretque sibi mandatum nullum aliud datum esse, quam vt pertentatis talibus ante hyemem se domum receptaret: tum se versus Weygatz reflexisse, & iuxta Tartaricas aut Samoiticas fines insulam quandam 5. fere milliaria latam, insulam *Statuum* appellatam, detexisse: in qua magnam copiam lapillorum, crystallo montano (qui Adamantis genus est) similium repererit. *Samoitici fines.* *Insula Statuum.*

His itaque mutuo sibi inuicem communicatis, tandem in Hollandiam reuerti decreuerunt: adeoque in iubili signum ignibus succensis, & aliquot tormentis displosis, die 16. infra *Matflo & Delgoy* insulam, quod scilicet ventum aduersum haberent, iactatis anchoris consederunt. Hinc 18. die iterum soluentes, angulum terræ Moscouiæ versus occidentem sitæ, & *Candinos* dictæ, 4. milliaribus ad læuam reliquerunt. Die 24. ad insulam *Warthuysen in Tinmarchia* delati, hinc porro in Texeliam vela fecerunt: ex qua Zelandicæ naues tandem in patriam se extulerunt. Enckhusiana nauis quoque Enckhusæ feliciter appulit. *Wilhelmus Barentz* die 16. Septembr. anno 94. cum celoce sua *Amstelredamum* peropportune ingressus est: cuius comites nautæ monstrosum piscem, *Rosmarum* dictum, quondam in fragmine glaciei obtruncatum secum aduexerant. *Matflo & Delgoy.* *Candinos prom.* *VVarchuysen in Tinmarchia.*

*Finis primæ nauigationis.*

# DESCRIPTIO SECVNDÆ NAVIGATIONIS HOLLANDORVM SVPRA NORVEGIAM ET MOSCOVIAM SEV TARTARIAM, AD viam in Cathay & Chinam explorandam susceptæ, Anno 1595.

## *Gerardus de Veer, Lectori S.*



POSTQVAM prædictæ naues sub autumnum Anno 1595. prosperæ rediissent, commemoratis indiciis suis spem plerisque faciebant, fore, vt institutum iter per Weygatz deinceps commodissime teneri posset: ob accuratam potissimum denarrationem nauis Enckhusanæ, cuius, vt supra dictum est, Comes aut præfectus *Ioannes Huygen*, rei nauticæ peritissimus erat: qui de repetenda & cõtinuanda nauigatione multis nominibus indesinenter quoque instabat. A confœderatis itaq; Hollandorum Zelandorumq; statibus re pẽsitata decretum est, vt ad veris initium naues aliquot (quarum post septem selectæ sunt) redinstruerentur, non saltem tractus illos diligentius exploratum, verum etiam merces ad hanc rem necessarias eò aduectum. Cuius rei gratia status prænominati mercatoribus ob id vniuersis liberum faciebant, vt quidquid mercium huic instituto vrgendo commodissimum videretur, nauibus imponeretur: quas postea *Ioan. Hugo à Lintschoten de secunda nauigatione instat.*

Factores

Factores in illis locis pro suo arbitrio distraherent, & de naulo omni, & vectigali aut licentia liberas easdem exportarent. Qui nauigationem hanc vrgebant, præcipuus quoque *Petrus Plancius*, Cosmographus eximius & peritissimus erat: qui chartis confectis monstrabat, quo situ quæuis regio tum Moscouia, tum Tartarica, tum Cathay & China constituta esset, & quem proinde cursum naues tenere cogerentur. Quæ tamen nauigatio pôst ita suscepta, pro voto concepto propter temporis breuitatem absolui integre non potuit. Quod vero hac de causa morosi quidam contendunt, hoc iter ita ea via absolui impossibile esse, cum pro veterum opinione polus 200. milliaribus adiri non possit: horum rationes, cum veterum hac de re sententia falsissima sit, subrui & euerti nulla difficultate queunt: cum & iam antè ad polum propius 150. milliaribus nos penetrauerimus, & totum Septentrionalem Oceanum hodie nauigabilem esse, certis veritatis documentis comperiremus. Quis quæso mortalium crederet vnquam, in Pyrenatis montibus & Italiæ alpibus intensissimum frigus & niues perpetuas esse, cum tamen illis locis Sol vicinissimus sit? Et tamen illi niue multo profundiore indies obteguntur, quam alij, qui frigori magis obnoxij sunt, Solemque remotiorem experiuntur. Cuius tamen euentus hęc fere causa est, quod Sol intra montes ignauior & impotentior, lapsam niuem liquefacere non potis est. Eadem quoque maris Tartarici seu congelati ratio est

*Petr. Plancius Cosmographus excellens.*

*Cauilli quorundam diluuntur.*

*Veterum sententia nihili.*

Circa nouam Zemblam enim ex Tartaricis & Cathaicis fluminibus glacies immensa mole direpta in mare impellitur: vbi cum Solis minor efficacia sit, quam vt eam dissoluere possit, fit, vt ea subinde continuis cumulis congesta, ingens ex illa frigus emergat, quod longe intensius est, quam sub ipso polo sentiri queat. Sicut non minus Pyrenorum montium sub 44. grad. sitorum, niues copiosæ gelu multo acerbius generant, quam quale Anglia aut Belgium experiuntur, qui tamen grad. 51. & 52. plerunque occupant, & versus Septentrionem aut frigoris plagam 120. milliar. Germanic. propius accesserunt. Quæ tamen, vt à nobis ipsis ita comperta hoc loco dicta nolumus, id nostra tamen experientia confirmatum scimus, sub grad. 80. non tam acerbum aut intensum frigus esse, quam ad Weygatz experti sumus. Quorum tamen disputationem aliò differentes, nunc descriptioni ipsi manum admoueamus.

*Mare vnde glaciale.*

Anno redemptionis humani generis 1595. à Confœderatis in Hollandia & Zelandia Statibus, vt & illustrissimo Principe Mauritio, Comite de Nassauu, &c. septem naues, binæ Amstelredami, binæ in Zelandia, binæ Enckhusæ, & vna Roterodami per Weygatz & fretum Nassouiæ, Cathay & Chinam vela facturæ instructæ apparatæque sunt: quarum sex varij generis mercibus & necessaria pecunia onerabantur: septimæ vero Pinæ seu Pinassæ iniungebatur, vt, si cæteræ sex promontorium Tabin (quod angulus extremus Tartariæ Septentrionalis est) transmisissent, ista vestigia Hollandiæ relegeret, & de statu rerum nuncium ordinibus referret.

*Numerus nauiũ secũdo emissarũ & apparatus.*

Nauis Prætoria ex *Mittelburgo*, *Grips* dicta, onera 80. hoc est, centenaria 3200. capiebat, tormentis 22. ferreis, glandes quinque vel plurium librarum eiaculantibus, & mortariis decem, hominibus vero 64. onusta & munita. Huius Dromas seu Liburnica ex Armuia Zelandiæ onera 25. id est, centenariis 1000. tormenta octo, duas vel tres libras iactantia, mortarios quatuor, viros 18. capiebat.

*Grips, nauis prætoria.*

*Dromas. Vsbrãdus.*

Nauis Vicepraetoria ex Enckhusa Hollandiæ illata onera 96. id est, centenarios 3840. ferebat, *Spes* dicta. Hæc tormenta ferrea 24. libras ferri quinque emittentia, mortaria duo, & viros 52. habebat. Carauella eius Enckhusana, *Sors* prospera & aduersa dicta, onera 28. tormenta ferrea sex, mortaria quatuor, viros 15. capiebat.

*Spes. Carauella sortis prospera & aduersa.*

Ex

Ex Amstelredamo nauis Canis venaticus aureus dicta Pina erat, vasa 160. seu centenaria 6400. tormenta ænea quatuor, libras ferri 45. effulminantia, ferrea vero tormenta 32. glandes quinque vel selibres mittentia ferens: in cuius prora duæ serpentinæ, libras 38. excutientes pro præsidio erant. Hæc insuper mortaria 12. tibicines 6. & Musicos alios multos, vt & Adamantum politores, opifices aurarios, & officiarios, aut commissarios aliquot, nautasque 80. vnoque numero viros 108. sufferebat. Isti peritissimus Wilhelmus Barentz summus præfectus præerat, cum Iacobo Hembskirchen cõmissario primario. Hac eadem ego quoque Gerhardus de Veer vehebar. *Canis venaticus.*

Huius liburnica *Mauritius* dicta, ex Amstelredamo aduecta, onera 27. tormenta ferrea 6. mortaria 5. viros 13. ferebat. *Mauritius.*

Roterdamum nauis, *Pinæformis* onera 39. seu 1560. centenaria, ferrea tormenta 6. mortaria 8. capiebat S. Petrus indigetata. *Roterdamum.*

Naues hæ vniuersæ commeatu seu annona omnifaria, vt & præsidiis bellicis pro integro biennio instruebantur, sola Roterdamo excepta, quæ sex mensium tantum annonam vehebat, quod illi breui, vt diximus redeundum esset.

Die 12. Iunij, anno 1595. Amstelredamo soluimus in Texeliani, quo loco naues omnes congregari oportebat.

Die 21. Iulij cete immane dormiens prospeximus, quod nisi & impellentium nauium strepitu, & vectorum clamore excitatum profugisset, nauibus currentibus transiliendum fuisset. *Cete dormiens vastum.*

Die 22. terram Norvvegiæ à nobis 4. fere milliaribus dissitam, niuiumque mole, vix ante paucas primum dies sparsa, adhuc totam contectam conspicati sumus.

Dies 29. nebulosus supra modum erat. Hic cetorum seminis copiam magnam conspicati sumus. Ad quod corbibus captandum aut colligendum remigum se multi emittebant. *Semen seu sperma cete.*

Die 1. Augusti summa malatia erat, quõ tamen Trompsont in Noruegia versus Austroeurum situm notauimus. A Texelia in Trompsont milliaria iam 494. pronauigaueramus. *Trõpsont.*

Die 3. poli eleuationem grad. 73. & minut. 20. habuimus. Hoc loco oram vero cõtinenter legebamus, adeo, vt interdum ab ea vix semimilliari abessemus. In finitimis huius Vsbrandus nauis scopulo illisa, submersionis periculo non caruit. Illo enim insultu ita quassata est, vt puppis quædam tabulæ dirutæ iam in Oceano fluctuare viderentur, Dei tamen auxilio breui se inde eruit. *Vsbrandus breuijs impingit.*

Die 6. aer iterum nebulosus & ventosus vrgebat. Nos interim intra Septentrionem & Eurum cursum nostrum dirigebamus. Circa meridiem vero, cum prandentes accumberemus, & Vsbrandus plenis velis naues cæteras omnes anteuerteret: eam Canis venaticus anticipaturus, ingruentis turbinis vi correptus tam violenter in illam impegit, vt rostra vtriusque confringerentur, & malus posticus prosterneretur. Sic ergo vtræque, etsi adhuc recentes, ista collisione valde labefactatæ fuerunt. *Vsbrandus & canis venaticus aureus collisu frangũtur.*

Die 7. nauem quandam Enchusanam, ex albo mari per Moscouiam nauigantem obuiam habuimus. Naues quinque quoque Gallicas vidimus, quarum duæ ex Hable de Grace, tres vero ex Dieppe soluerant.

Die 15. sub noctem bolidem mittentes, 70. orgias deprehendimus. Hoc eodem die noctes quoque notauimus redire, cum toto cursus nostri tempore perpetuos dies habuissemus, nec quenquam vnquam stellam obseruassemus. Nox huius diei horarum duarum erat, qua rursus stellam quandam magnitudinis mediocris contemplati sumus. *Noctescere rursus incipit.*

Die 17. iuxta nouæ Zemblæ terram glaciei tantam molem prouidimus, vt ex ea quosdam congestos montes arbitraremur. Glacies hæc non ex ipso Oceano emergit, quod veteribus creditum legimus, sed ex insularum & fluuiorum Septentrionalium Moscouiæ Tartariæque oris auulsa eò impellitur, tanta scilicet frequentia, vt haud facile liquescere queat.

*Traenbay.* Die 19. in Weygatz peruenimus: vbi anchoras ad Traenbay iactauimus: sic dictam, quod piscium pinguedo copiosa ibi reperta esset.

*Angustia Nassouica.* Ipsum etiam fretum seu angustia maris Nassouici intra sinum Idolorum & fines Samogithiæ coarctatissima, tum temporis crustis glaciei congestis tam altum erat, vt nulla nauigatione pertransiri posset, cum aliquibus locis strues glaciosæ 16. vel 17. orgiis attollerentur. Interea dum ad Traenbay moraremur, scapham quandam nouam Zemblam adituram emisimus: cuius actores cum loci illius montes eminentissimos ad maris angustias despiciendas & statum noscitandum cæterum conscendissent, glaciei nullis terminis obseruatis ad occasum Solis naues repetiuerunt.

Die 20. Solis altitudinem grad. 69. min. 21. habuimus. Eodem die Almirans cum cæteris officiariis aut consiliariis concilio coacto deliberauit, quanam ratione Samogithij nouæ Zemblæ incolæ in colloquium nostrum illiciendi essent. Deliberationis huius is terminus fuit, vt ex omnibus nauibus aliqui segregarentur, qui armati in Continentem egrederentur. Qua causa quoque viri 54. in littus expositi sunt, vt nouæ Zemblæ conditionem explorarent. Hi egressi, duobus fere à littore milliaribus, decem trahas velleribus damarum, vulpium, vrsorum, & animalium aliorum plenas, vt & piscium colla refertas inuenerunt. Quas incolas nobis conspectis profugos ibi reliquisse, & suis se Rangiferis (qui ceruorum similitudinem habent) saluasse credibile erat. His ergo è signis augurabamur, hominum ibi nullo dubio habitationem quandam reperiri: maxime vero, quod & aliis locis certa tum hominum, tum Rangiferorum vestigia quædam à nobis deprehenderentur. Sed & ad terminum quendam, non procul à maris angustiis absitum, multa idola, & ex ligno sculpta simulachra offendebamus, quam ob causam locum illum Idoli angulum nuncupatum volebamus.

*Viri 54. emissitij.*

*Rangiferi Samogithiorum equi.*

*Idolorum angulus.*

Die 22. Senatus nautici consilio 44. viri item ad trahas illas relictas emissi sunt, qui illasdem priori adhuc statu locatas inuenerunt: quod pauidi incolæ interea ad illas remeare non fuissent ausi. Nostri tamen, cum biscoctos quosdam panes, & nonnullos caseos, halecesque iuxta trahas illas deposuissent, post biduum ad easdem reuersi, trahas quidam abductas, sed cibos tamen ne attactos quidem ab ipsis inuenerunt. Hi homunciones, cur nos tam trepide fugerent, hanc habere causam existimati sunt, quod & à Moscouita, cui ante viginti vel triginta annos subiugati sunt, duriter haberentur: & à Francisco Draco, qui ante septennium per has Septentrionalis maris angustias, transitum molitus esset, diuque ibidem mansisset, mali & incommodi multum passi essent.

*Samogithij Moscouitæ imperio subditi.*

*Nouæ Zemblæ tempeties.* Nouæ Zemblæ insula propter frigus præualens intemperatissima est, & propter ingentem niuis, æstate quoque deruentis, subitoque reliquescentis molem valde inuia & macessa. Hinc itaque ex Weygatz versus Austroeurum progressi, ad ædes quasdam aut homines peruestigandos omne studium impendimus: vt nimirum ab istis de nauigandi loci occasione aut commoditate edoceremur. Sed nec quicquam vel hominum vel domuum inuenire potuimus, etsi paulo post à Samogithiis in Weygatz & noua Zembla homines habitare cognosceremus. Interim dum præsumpta via pergeremus, tritam quandam semitam fortuito attigimus, interdum ad genua, interdum vero minus profundam, & solo

& ſolo tamen ſeu fundo ſubdito duram. Qua cum ad littus maris deſcenderemus, illud glacie vacuum lætabundi offendimus. Vnde pelagum Tartaricum nauigari poſſe, ſpem non temerariam concipiebamus. Circa veſperam cum ad naues noſtras rediiſſemus, itineris noſtri rationem officiariis expoſuimus. Sed & nauta interim noſter celocem quandam actuariam mare Tartaricum prouiſum, & tentatum emiſerat. Quæ tamen obiectu glaciei promouere prohibita, ad crucis ſinum reſtitit, vnde exploratores pedeſtri itinere ad angulum diſſidij vſque ſe extulerunt. Ex quo loco pelagus Tartaricum & anguſtias prope Ruſſiam & Weygatz glacie obſtructiſſima eſſe, prouiderunt.

Die 23. Almirans iterum quoſdam alios, ſed ad latus oppoſitum amandauit. Qui viæ quamplurimum emenſi, homines tandem inuenerunt quidem: ſed cum iiſdem, quod & interiectus quidam fluuius eſſet, & illi ad noſtrorum conſpectum fugerent, nihil colloqui potuerunt.

Eodem die quandam *Logdie*, id eſt, nauem de Petzora attigerunt: qua corticibus arborum conſuta 15. Moſcouitæ vehebantur. Hi commemorabant nobis, quod in Noua Zembla ſub grad. 75. cum feris incolis commercia agitaſſent. A quibus tamen, cum ventum habuiſſent haud commodum, tantum dentes quoſdam Roſmarorum, vt & Ichtiocollam, & anſeres impetraſſent, quæ Ruſſicis nauibus adueherent, breui ſpatio per Weygatz verſus Tartaricum pelagus, ſupra Obij fluuium vſque in Vgolittam, Tartariæ locum nauigaturis: quo loco ſuas plerunque naues hybernare ſolere commemorabant. Addebant iidem, anguſtias dictas nouem aut decem ſeptimanis non congelari. Quibus tamen ſemel congelatis, tantam illico glaciei vaſtitatem emergere, vt in Tartaricum vſque Oceanum, quem *Mer Mare* vocabant, ſupra glaciem meare liceret.

*Logdie genus nauis.*

*Vgolitta Tartariæ locus.*

*Mer Mare.*

Circa veſperam inualeſcens glacies anchoras nos tollere, & portum alium vicinum intrare coegit. Noctu obſeruabamus, incolas feros magno numero ad naues noſtras ſe proripere. Qui tamen ſe conſpectos arbitrati, fuga certatim reſilierunt.

Die 24. Almirans binos interpretes cum ſex viris aliis ad nauem quandam Logdie, de variis rebus ſciſcitatum emiſit: qui tamen Ruſſos iam dum abſceſſiſſe inueniebant.

Die 15. Almirans ad Canem venaticum aureum ſe recepit: quod toto itineris tempore ne dum ſemel factitauerat: vnde decenter & ſplendide exceptus eſt. A meridie quidam liburnicam minorem ingreſſi, tria aut quatuor milliaria, in mare procurrebant, Moſcouitas nimirum conſectaturi. Quos cum eminus conſpicerent, velis incitatioribus eoſdem breui attigerunt, & humaniter cum ipſis collocuti ſunt. Hi ſuæ humanitatis declarandæ gratia, octo ſaginatos anſeres, quorum in ſua Logdie quamplurimos vehebant, noſtris honorario obtulerunt. Quos cum per interpretem viciſſim rogaremus, vt de ſuis aliquot nobiſcum ad naues retro mitterent: ſollicitationi annuentes, ſeptem ad maiorem nauem noſtram amandarunt. Quam cum ante & retro perluſtraſſent, magnitudinem eius valde admirati ſunt, vt & apparatum ordinarium. Tandem cum ipſis carnes, butyrum, & caſei aliquot eſitandi offerentur, detrectantes hoc officium & ieiunium inſtare affirmantes, nihil illorum guſtarunt. Haleces tamen ſalitos forte conſpicati, eoſdem cum capitibus & caudis, & ſquamis crudos quaſi ita deuorarunt. Quibus ob id vaſculum quoddam illis refertum donauimus. Quod cum bona gratia acceptaſſent, nos de rebus neceſſariis quamplurimis certiores fecerunt. Diſcedentes itaque illos celoce noſtra vſque in Traenbay comitati ſumus. Moſcouitæ hi nobis percenſebant, nec Septentrionale, nec Tartaricum mare glacie hyberna vnquam ob-

*Moſcouitarum humanitas.*

*Moſcouitarum ieiunium.*

 duci:

duci: sed solas angustias ad Weygatz, quas Hollandi fretum Nassouiæ vocitabant. Sed & aliàs quidem mare iuxta littora congelari: quod tamen leui quacunque oborta tempestate iterum solueretur, & glacie expediretur, ita vt derasæ huius vi iuxta angustias interdum naues aliquæ comminuerentur. Sicut nos ipsi quoque ex fluctuantibus quibusdam nauium fragmentis manifesto conspiciebamus. Addebant etiam die 20. Septemb. diem 8. horas longum nobis futurum, & eo elapso meras prope tenebras apud nos eo loco continuaturas.

*Incolarum nouæ Zemblæ natura & vita.* De nouæ Zemblæ incolis hi referebant, quod insolidum feri & immites, nec vlla fide aut religione, nec legibus patriis latis viuerent, sed meri Ethnici essent, qui & Solem & Lunam, & stellam Septentrionalem magna deuotione adorarent, & iisdem quotannis victimas damarum, resque alias nuncuparent.

Circa meridiem leuatis anchoris versus Aquiloeurum duobus prope milliaribus ad angulum dissidij progressi, ingentibus tamen crustarum glacialium occursibus retropulsi fuimus, vt ad crucis sinum, quo loco statio se commoda pandebat, pernoctare cogeremur.

Fretum Weygatz versus Orientem vsque ad sinum crucis porrigitur: inde vero versus Dissidij angulum reflexum Aquiloeurum prospicit.

*Oceanus Tartaricus.* Die 26. portum nostrum Traenbay velis redadiuimus, occasionem nauigandi commodiorem præstolaturi.

Die 27. nostrorum aliquammulti Tartaricum Oceanum adeuntes, scaphis suis glaciem penetrare non valuerunt. Quod enim se illa ingentibus molibus accumulasset, nostris ad extricandos sese & rursus expediendos horæ 24. consumendæ fuerant, quod glaciei congestibus vndiquaque cincti essent. Re ergo infecta ad naues redierunt.

Die 28. ingruente vndiquaque glacie ita cingebamur, vt naues nostræ quasi muro circumducto in medio clausæ starent. Nostrorum aliqui naues egressi, in crustis glacialibus ad milliare vnum aut bina progressi ambulabant.

*Nebulæ ita crassæ, vt suffocent.* Die 29. nebula crassissima oborta est. De hac *Oliuier Brunel* autem nauclerus peritissimus (qui 3. successiuis cõtinuis annis à Daniæ rege versus Septentrionem insulam Groenlandiam sciscitatum emissus olim erat) commemorabat, quod in Septentrionalibus locis, sub grad. 75. & 76. nebulas tam crassas & densas sæpe obseruarit, vt iis aliquot homines suffocati perierint. Nebulæ hæ vero mense potissimum Octobri aut Nouembri sentiuntur.

Die 30. anchoris nostris fixi substitimus.

Die 31. venti adhuc perpetuo Austrozephyri spirabant: quo tempore Wilhelmus Barentz præfectus noster cum officiariis aliis octo ad Weygatz latus australe egressus est, compertum, an incolarum fors quosdam in colloquium pellicere posset. Quod molimen ipsi haud improspere cessit. Nam vix milliare vnum profecti, *Samuitas* quosdam offenderunt, numero fere 10. qui nostros præ nimia nebulæ crassitie non animaduerterant, nisi iam propius congressas. Hi duobus se ordinibus numero quinquennario dirimentes, cum arcubus & telis muniti contra nostros constiterant. Quibus tamen cum obuiam noster interpres iret, de suis quoque vnum admiserunt, qui arcui telo imposito ferituro similis stabat. Quo viso, interpres noster inermis, & ob id paucafactis Russica lingua, vt non iacularetur, clamare cœpit, & nos amicos venire attestatus est. Quod audiens & alter, cum telo arcum illico humi illisit, iam ad colloquium miscendum se præparans. Sed & nos congredientes, cum amicos profiteremur, saluere iussi, capite prope in terram declinato ab illis excepti fuimus. Sciscitanti deinde interpreti nostro de ratione terræ Weygatz & maris Tartarici, responderunt, nobis angulum quendam, quinque dierum fere na-

*Samuitæ visi.*

re nauigatione ab eo loco versus Austroeurum dissitum, transambiendum esse, quo loco postea patentissimum nobis mare occursurum esset, votis nostris impetrandis commodissimum. Addebant hi quoque, Moscouitas quotannis per angustias illas vsque ad fluuium *Gilissi* penetrare, vbi à Tartaris pro cacabis æneis, ferro, filo cupreo ad aciculas formandas parato, & Norimbergicis mercibus aliis, pretiosa vellera de Martibus, atris vulpibus & animalibus similibus permutando reciperent. Domi quoque sibi quædam talia vellera esse asserebant: quæ tamen cum sociis Moscovitis permutare auderent, quod Moscovitæ vectigales & subditi essent. *Fluuius Gissilij.*

Homines hi staturæ breuioris sunt, vix pedes 4. longi, crinibus promissis in nodũ plicatis & de collo pendulis insignes. Vultus habẽt latos & patẽtes pressosq;, à frigore rigentes & fuscos habent, caput pro corporis magnitudine grandius habent, oculos paruos, crura breuia, ad arcus formam incurua, cum genua eorum non ad nostram similitudinem prorsum, verum ex latere exteriore promineant aut protuberent. Cursus tamen interim pernicis & adeo celeris sunt, vt à nullo nostrum attingi possent. Vestes ex pellibus Damarum aut Rangiferorum consutas habent, corpori vniuerso exquisitissime applicatas, ita tamen, vt hispida pars extrorsum sit. Vittæ capita eorum strictim velant. Arma gerunt arcus & spicula. Tum viri tum fœminæ variis vestibus vtuntur: ditiorum tamen capitibus rubro panno, pellibus subsuto contectis. Deum nullum norunt. Solem, si præsentem recipiunt (quo tantum 9. septimanis gaudent) cum tum die tum noctu lucentem habent: quem ob id cultu quodam venerentur. Sole recedente aut Lunam aut astrum aquilonium adipiscuntur, quæ & ipsa deuotione quadam, vt & singularia conficta idola colunt. Carnes aut omnino crudas, aut in rigido aere siccatas, animalium ferorum manducant: vt fœtorem cutis fere rancidum expirent. Cæteroquin prudentes & industrij sunt, & suo more scaphas sibi quasdam parant, quibus ad pisces in fluuiis captandas vtuntur. Regem quoque agnoscunt, quem religiose colunt aut venerantur. Hic ad cæterorum fere similitudinem apprime vestitus est, nisi quod vitta ex panno vel rubro vel viridi vel Cyaneo sarto & pellibus pretiosis subsuto caput tegatur. De hoc quidam commentantur, quod nasum & aures plumbi lamina inducere soleat. Primitus regem nullum agnouerant. Cum vero ab Asiaticis populis bello impeterentur, regem è sui medio selegerunt, cui & hodie parent. Mortuos suos sepeliunt, & pro iisdem quotannis tum Soli, tum Lunæ & astro Septentrionali oblationes magnas præstant, ex Damis & Rangiferis, quæ tota pedibus saltem & Cornibus præsectis, adurunt. Partium harum præsectarum loco quodam tam copiosam multitudinem inuenimus, vt iis integra nauis onerari potuisset. *Samuitarum descriptio.* *Vnde Samuitis primus rex cõstitutus.*

Simulachra quædam lignea, crasso modo & rudi dolata habent: quorum facies lata & pansa, nasus nonnihil exertus, & vtroque latere supra Crenis aut foraminibus binis excauatus, quæ oculos significant. Sub naso foramen aliud excisum est, oris symbolum. Idola hæc plerumq; in littora maris exponunt, vbi eorum numerum maximum nos obseruauimus, comprimis apud angulum Idolorum, quem ex euento nomine isthoc donauimus. Hæc nullo dubio ab ipsis adorantur, cum ante eadem multum cineris, vt & cornua pedesq; Damarum strata repererimus.

Discessione tandem vtrinque facta, cum ipsi in penitiorem terram, nos vero ad scapham nostram reuerteremur, nostrorum quidam in littore rude & crassissimum erectum tale Idolum secum abripuit, & scaphæ importauit. Quo facto derepente incolarum quidam ad littus Rangifero suo accurrit, cum

comminatione ſingulari ſublatum Idolum repoſcens. Quod illidem propterea nihil tergiuerſati reſtituimus. Homines hi exteris parum fidunt. Cum enim poſtero die nempe 1. Septembr. denuo in terram, cum iis de rebus quibuſdam contractum, egreſſi eſſemus, & noſtrum quidam, fiducia iam quaſi ſtabilitæ amicitiæ videndum ſibi à quodam arcum ſollicitaret: & nutibus & verbis certis ſe parum fidere, noſtris indicium dabat. Sed & Rex ipſorum paſſim locis multis excubitores ſtatuerat, qui accurate, quid quoque loco fieret, quæ commercia, quæ emptio venditioque agitarentur, attenderent. Incolarum hoc tempore nobiſcum fere 60. fuerant, curribus apparatis per omnia inſtructi. Currus hi ſeu trahæ à binis plerunque rangiferis promouebantur, quibus curſum tam pernicem agitabant, vt equis noſtris incitatis eoſdem conſequi impoſſibile nobis eſſet. Dum mutuo contraheremus, quidam è noſtris Muſcettam forte diſploſerat: cuius fragore illi adeo perculſi ſunt, vt furioſis ſimiles quoquouerſum diſſilirent. Sed tamen cum viderent, ſuorum nullum læſum, & animo haud malo id factitatum eſſe: pacati inſtrumentum illud oppido admirati ſunt. Per interpretem cum ipſis ſignificaremus, inſtrumenta hæc nobis loco arcuum eſſe, documētum ſollicitantes, id videre apprime ſatagebant. E noſtris ergo quidam, lapidem colli cuidam longo interuallo diſtanti imponens, eum ſpectantibus ipſis tam præciſe conferiit, vt in fragmina multa commineretur. Quæ res ipſis inſtar miraculi cuiuſdam erat. Expeditis iam itaq; expediendis, poſtquam diſcedere tempeſtiuum videretur, cum magna vtrinq; reuerentia diſceſſum eſt. Poſtea Wilhelmus *Barentz*, nauclerus primarius cum Almirante & cæteris decreuit, vt omni niſu adactis nauibus de perrumpenda glacie & tranſitu moliendo laboraretur. Die itaque 2. Septembr. primo mane, anchoras noſtras leuauimus, quod & auſtrozephyrus nobis commodus ſpiraret, & ſtatio noſtra propter humilitatem loci non ſatis tuta eſſet. Ad ſinum crucis anchoras iterum iactauimus, vt vicepræctoriam nauem glaciei cumulis impeditam, expectaremus. Quod ſi nauium ſors noſtrarum quædam glaciei fragminibus intricaretur, eam aut excuſſis anchoris eruere coacti ſumus, aut noſtrorum quoſdam in cruſtas glaciales demittere, qui extemporanea ope impactas expedirent. Nauis prædicta cum circa veſperam ad nos rediiſſet, die 3. inde porro vela fecimus, & breui in angulo diſſidij verſus aquilonem appulimus: vnde tamen propter ingentem cruſtarum fluctuationem retrocedere coacti ſumus. Nam & venti horrendum fremebant, & nebulæ tam craſſæ oboriebantur, vt nec curſum recta tenere, nec naues mutuo contueri poſſemus. Et licet nauis noſtra propter magnitudinem ſuam vel è diſtantiſſimo loco videri deberet: ad vnius tamen lapidis iactum propter interiectam nebulam ſpectabilis haud fuit. Vt ergo mutuum ſignum diſploſis Muſcettis & inflatis tubis præſtaremus, neceſſum erat. Quibus ſymbolis cum die integro, bono ordine metæ tamen nullius conſcij procederemus, circa veſperam, prætoriam nauem cum ſocia vicaria ad Statuum inſulam ſe conuertiſſe intelleximus. Nam inde diſploſis maioribus tormentis ſui curſus nobis ſignum dabant: quas ob id & noſtris adactis nauibus pone conſecuti ſumus, tormentorum fragore perducti. Nocte tamen illa ærumnas infinitas paſſi ſumus. Ex colliſis ſiquidem glaciei fruſtis tanti & tam horrendi fragores crepituſque edebantur, vt omnia totius mundi fundamenta euerti credi poſſet. Gratia tamen diuina eruti, mane circa auroram prodeuntem in Statuum inſula conuenimus.

*Samogithij ſclopetorum admiratores.*

*Crucis ſinus.*

*Diſſidij angulus.*

*Statuum inſula.*

Die 4. glaciei iniuriis compulſi, anchoras leuauimus, & intra Somogithiam dictamque inſulam confidentes, à glacie tuti & aliquandiu ſecuri fuimus. Hoc loco ieiuniis & precibus, & binis concionibus audiendis diem confecimus, Deo ſupplices, vt porro curſum noſtrum tueretur. A littore naues hîc noſtræ tam breui ſpacio aberant, vt rudente illi alligari poſſent. Ibidem noſtrum multi

*Deuotio nauigantium.*

multi excurrentes, lepores, aliquot, quorum ingens copia visebatur, ferierunt. *Leporum copia.*

Die 6. Septembr. è nostris aliquot in Continentem Moscoviæ, ( Vrsorum regionem postea dictam ) egressi, multum crystalli, vt & genus quoddam adamanti inuenerunt. *Crystalli & Adamantum copia.* Cum vero diuisi & distracti oberrantes illi longius progrederentur, vrsus quidam macer & vastus ex improuiso prosiliens vnum eorum corripuit & obtruncauit. Ad cuius clamorem cum exciti aliquot accurrissent, vt socium suum vrso eriperent: ipse deserto primo, alterum quoque vnguibus inuasit, & in conspectu cæterorum dilacerauit. *Vrsus binos laniat.* Qua re ad Almirantem à cæteris profugis denunciata, obuiis armis cum sociis multis cõtra vrsum egressus est. Quorum tres audaciores nimirum Cornelius Iacobi, Wilhelmi Barentz nauta, Ioan Nuffeler, ipsius Scriba, & Wilhelmus Gysen gubernator, cum ad vrsum propius adirent, cum irritis aliquot ictibus tentarunt. Tandem Ioan Nuffler, quam potuit proxime, vrso se acclinans, glande caput eius traiecit. Quo tamen ipse ictu non admodum motus, de præda sua voranda nondum abstitit: vsque dum adacto frequentius sclopeto prorsus sterneretur. Cadauera duo direpta & lacerata die 7. Septembr. in dicta Insula post solenni pompa, moreque militari humata sint: & vrso corium detractum est, quod in Hollandiam secum quoque intulerunt. *Vrsus sternitur.*

Die 6. Ex statuum insula soluentes, & oram tantum legentes, impellentibus glaciei crustis retrocedere breui coacti sumus. Eo loco nauis prætoria & Roterdamum fundo illidebantur: sed Dei gratia illæsæ se inde rursus eruerunt.

Die 13. Circa meridiem tempestas maxima cum nebularum densa caligine, & niue creberrima oborta est, ita vt sine velis in mari quoquouersum iactaremur.

Die 14. tempestas hæc nonnihil remisit. Eodem ex nostris aliqui iuxta alterũ latus Continentis Samogithiæ canalem quendam ingressi, ad insulam Caudatam casam quandam ligneam, sed vacuam inuenerunt. *Insula Caudata.* Deinde cum de continuando nostro cursu iterum laboraremus, mare Tartaricum de nouo tentauimus. Contra quos tamen occurrentes glaciei moles tanto impetu deruerunt, vt leuatis anchoris recta fretũ Weygatz deserere, & versus occasum naues agere cogeremur. Ita ergo in patriam reuersuri, eodem die insulam Matflo & Delgoy attigimus, cum tota nocte cœlo valde niuoso vela fecissemus. *Matflo & Delgoy.*

Die 30. In Warthuys appulimus: vbi ad 10. vsque octob. substitimus. Inde vero porro soluentes, die 18. Nouembr. in Hollandia votiue appulimus. *VVarthuysen.*

*Finis secundæ nauigationis.*

TERTIA

# TERTIA NAVIGATIO AB HOLLANDIS SVPRA NORVEGIAM, MOSCOVIAM ET TARTARIAM, VERSVS CATHAY ET CHINAM TENtata. An.1596.



VM septem Hollandicæ naues mense Nouembr. An.1595. ex locis Septentrionalibus rediissent, & Belgij ordinibus rerum gestorumque omnium summam expediuissent: singulis ad exactã amussim pẽsitatis placuit vnitis prouinciis, de tertia insuper classe in dictas regiones emittenda cõsilium aut decretum aliquandiu differre. Si quæ tamen priuatim ciuitas, aut confœderati mertatores suo illam periculo & sumptu adornaturi essent: tum se terrarum illarum inuentoribus grandem pecuniæ vim honorariam, haud irrita stipulatione promittere velle. Qua re ergo ciuitatis Amstelredami senatus anni 1596. initio priuato suo sumptu naues binas instruxit, primæque illarum Iacobum Hembskirch nauarchum & bonorum commissarium, Wilhelmum vero Barentz nauclerum summum præstituit. Alterius nauis præfectus & commissarius *Cornelius Ryp* statuebatur. Naues has, mercibus sibi visis onerarunt, quotquot mercatores lucri periculum facere aliquod voluerunt. Nam & à vectigali immunia erant bona, & de naulo quoque secura. Nautæ autem conditione duplici conducebantur: quid nimirum mercedis accepturi essent, si re infecta reuerterentur, & quid iterum, si feliciter continuato cursu terras illas detegerent. Qui scribebantur nautę, pleriq; omnes cælibes seligebantur.

*Nauium binarum præfecti.*

*Pacta nautarum.*

*An. 1596. 5. Maij.* Die 5. Maij. vtriusque nauis nautarum lustratio instituta est.

Die 10. Ex Amstelredamo soluerunt.

Die 13. in *Vlien*, Texeliæ finitimam insulam peruenerunt.

Die 16. *Ex Vlie* soluerunt. Sed defluo mari, & Cæcia seu aquiloeuro flante in stationem recurrere coacti sunt. Nauis Cornelij in fundo sidens, se breui rursus eruit.

## IVNIVS.

Die 1. Noctem nullam habuimus.

Die 4. vento commodo intra Septentrionem & orientem promouimus. Hoc die Sol circa meridiem prodigiosus apparebat. Ex vtroque enim latere Sole alio stipatus triplex videbatur, iride duplici succinctus: quarum vna soles ternos vndiquaque ambibat: altera transuersum intersecabat: cuius pars inferior grad. 28. supra Horizontem attollebatur.

*Sol triplex prodigiosus.*

Die 6. glaciei tanta moles comparuit, vt eam penetrare non liceret.

Die 9. cum prius cursum varie contorsissemus, insulam quandam attigimus, mill. 5. spatiosam, sub grad. 74. min. 30. poli eleuati sitam.

Die 11. in Continentem seu terram egressi, præalto quodam monte, niuibus vndiquaque constrato, Oua Meroarum plurima inuenimus.

*Oua Meroarum,*

Descensuris propter præcipitium, periculum haud temnendum instabat: quod tam abruptum erat, vt in nates considentibus illud descendendum esset.

Die 12.

Die 12. aurora promicante, album quendam vrſum annatantem conſpicati ſumus. Quem cum variis armis quatuor fere horarum ſpatio fruſtra impetiuiſſemus: tandem ſecuri dorſo impacta tam ſæue vulneratus eſt, vt in profundo corpore ſecuris infixa præſtaret. Quam cum ſauciatus enatando ſecum auferret, pone plagis multis eum inſectantes, tandem interfecerint. Detracta cutis 12. pedes lõga erat. Cuius carnes qui guſtarunt, certam noxam experti ſunt. Regionem hanc Vrſinam vocauimus.

*Vrſus grandis.*

*Regio ſeu terra vrſorum.*

Die 21. Cete vaſtiſſimum mortuum in mari fluctuare conſpeximus, fœtorem tetrum quoquouerſum expirans.

*Cadauer Cete fœtidum.*

Die 21. poſtquam 18. orgiis anchoras demiſiſſemus, ſaburram ad nauem rectius firmandam ingeſſimus. Ibidem comparentem immanem vrſum ſcaphis admiſſis præuertentes, eundem tandem multis fruſtra confractis gladiis proſtrauimus: cuius corium pedes 13. æquabat. Inde ſcapha impulſa milliare vnum progreſſi, portum tutum & fundum commodum adiuimus. Quo bolidem demittentes, orgiis 12. & 16. deprehenſis primum, poſt inſulam quandam verſus ortum conſpicati ſumus.

*Vrſus grãdis.*

Hoc loco anſerum rubentium oua magno numero collegimus. Huius generis anſeres quotannis magna copia in Hollandia ad Wiringam capiuntur: qui quo loco ſua oua excluderent, hactenus nemini adhuc compertum fuit: cum multi eoſdem in Scotiæ arboribus naſci fruſtra contenderint. Quam tamen veritatem nauigatio noſtra confirmatiorem reddidit. Siquidem ante nos quenquam ad grad. eleuat. Poli 80. tranſcendiſſe, nulla hiſtoria teſtata eſt.

*Anſeres rubri, alias Barnicla.*

Sed & hoc obſeruatu dignum eſt, quod hac in regione, (quam Groenlandiam arbitrati ſumus) 80. gradibus eleuata, tum herbas tum gramina virentia, cum de paſcentibus eadem animalibus, vt Capreolis & ſimilibus inuenerimus: cum tamen ſub grad. 76. in Noua Zembla non herbipaſtas animantes, ſed meros vrſos aut vulpes inuenire licuerit.

*Groenlandiæ ſitus.*

Die 23. leuatis anchoris intra Septentrionem & occidentem perreximus. Cum vero propter obſtantem glaciem curſum continuare non poſſemus, ad modo dictam regionem reflectendum fuit. Noctu poli eleuationem æſtimantes, 79. grad. 42. minutias inuenimus. Inde ergo denuo ſoluentes, cum ad occidentem nauigaremus, quidam è noſtris terram egreſſi ſunt, vt pyxidis nauticæ declinationem metirentur. Interea Candidus vrſus ad nauem annatare viſus, cum prolatis ſclopetis impeteretur, conuerſus recta ad illum locum ſe recepit, quo noſtri egreſſi erant.

*Vrſus Candidus.*

Quos cum nullis armis inſtructos eſſe recordaremur, ſcapha in littus expoſiti, clamore concitato eundem à littore abegimus, & contra inſultum eius noſtros admonuimus. Hi ad naues reuerſi, compaſſi ligulam à linea Septentrionali 16. gradib. motam confirmarunt.

Die 24. vento auſtrozephyro ſpirante, cum inſulam egredi ſtatuiſſemus, aduerſo obſtante vento coacti, longius retroceſſimus. In proximo, portum quendam intrauimus. Ex quo noſtrum quidam in terram excendentes, Roſmarorum binos dentes, 6. libras appendentes inuenerunt: quos ad naues apportarunt.

*Dentes Roſmarorum.*

Die 25. ſublatis anchoris iuxta latus auſtrale oram legimus, vſque dum ſub grad. 79. ſinum quendam porrectiſſimum 10. mill. emenſi, eum non amplius peruium deprehenderemus. Vnde velorum obliquatione facta nobis regrediendum fuit.

## IVLIVS.

Calendis Iulij vrſorum terram iterum conſpeximus. Quo tempore, Ioan.

Cornelius cum cæteris officiariis nauem nostram adierunt deliberaturi, qua meta porro procurrendum esset. Cum vero sententiæ dubiæ nutarent, statutum est, vt altera nauis, quoquo vellet, portenderet, & nobis quoque nostro pronauigare auspicio liceret. Illa ergo ad terram supra dictam, sub gradu 80. sitam, vela iterum fecit: quod iuxta vicina littora transitum repertum iri præsumpsisset. Nos vero contra vitandæ glaciei causa austrum versus contendimus.

*Nauium duarum diuortium.*

Die 14. glacie vndiquaque irruente ita inuoluti sumus, vt perrumpere nulla via possemus. Fundus ibi 90. orgiarum erat: polus vero 74. grad. 10. min. eleuabatur: adeo vt propter glaciem cursus nobis relegendus esset.

*Vrsus.*

Die 16. versus austrozephyrum impellentes, glandissimum vrsum glaciei crustæ insidentem conspicati sumus. Quem cum propius annauigantes confossuri essemus, ipse profugit.

Die 19. ad insulam Crucis rediuimus, sub poli gradu 79. & min. 10. sitam.

*Vrsi 2.*

Die 20. Apud dictam insulam substitimus, quod propter glaciem obiectam progredi non liceret. Ex ista cum nostrum octo lintre in terram exponeremur, duo vrsi grandes contra nos posticis pedibus erecti incedebant. Quos tamen cum inermes adoriri non auderemus, passu conuerso ad lintrem nos recepimus.

Die 21. Muscettis & vncatis ad locum priorem redeuntes, cum vrsos nullos inuenissemus, iuxta Cruces binas tertiam ereximus, & lintea nostra vsque ad diem 5. Augu. extensimus. Hoc loco ligulam pyxidis 17. grad. declinasse animaduertimus.

## AVGVSTVS.

Die 4. scapham nostram, in littore lapidibus oneratam, magno labore ad naues deueximus.

Die 6. C. de Nassou attigimus.

Die 17. Sinum Solatij ingressi sumus, qui glacie omnino carebat. Circa vesperam nebula tam densa inualuit, vt naues nostras de glaciei monte quodam religare cogeremur.

Huius congelatio inferne 36. orgiarum, & superne 16. org. erat, aqua omni ad fundum vsque, 36. orgias altum, conglaciatum.

*Vrsus.*

Die 8. & 9. cum adhuc priore loco consideremus, vrsus scaphæ nostræ tabulam transulturus erat. Quem tamen sclopetis effulminatis abegimus.

Die 10. rupta & confracta vndiquaque glacie, ne omnino illius alluuione obuallaremur, magnis laboribus annisi sumus. Crustæ enim latissimæ interdum nauibus nostris tanto fragore illidebantur, vt eam frustillatim minutum iri crederetur.

Die 12. ad sinum glacialem minorem perreximus.

Die 13. Pronauigantes, vrsum fudimus.

*Orangia insula.*

Die 15. Cum ad Orangiæ insulam appulissemus, ibidem glaciei vastis cumulis ita vndiquaque obruti fuimus, vt de naui seruanda spei parum superesset.

Vento itaque austroeuro perflante, in stationem tutam naues agere coacti fuimus.

*C. Desiderij.*

Die 19. non nisi pręgressis multis ærumnis ad C. Desiderij peruenimus. A quo versus austroeurum progressi, locum illum glacie vndiquaq; rigentem offendimus. vt nobis hinc ad capitis angulum, & porro ad caput Vlissingen versus notozephyrum contendendum esset.

Die

Die 21. in portu glaciali pernoctauimus. Postero die inde ad angulum Insulæ promouimus. Quo loco, cum crassæ nebulæ turbinibus mixtæ essent, in ingenti crusta glaciali naues firmauimus. In quam cum postea ex nauibus nos demisissemus, super eo 40. Oua volucrum reperimus.

Die 23. & 24. Cum naues nostræ glaciei procinctum erupturæ essent, inualescentibus cumulis ita oppressi sumus, vt & claui pars magna, & scapha glaciei vi contusa frangerentur: & de ipsis nauibus quoque tuendis spes nulla superesset.

Die 25. Iterum conatu irritu de nauibus eruendis laborauimus. Sole tamen superueniente liquata glacies paulatim defluxit. Qua commoditate cum secundum latus occidentale nouæ Zemblæ in austrum per Weygatz transituri protenderemus, vias omnes obstructas inuenimus. Quibus tot vndiquaque obstantibus malis animum despondentes, iam de reuersione in patriam cogitare occepimus. Quo instituto cum ad *Strombhbaÿ* venissemus, prægressa nocte tam profunde corriguisse mare intelleximus, vt retro naues agere iterum cogeremur. *Decretum reuersus. Strohmbay*

Die 26. commodo vento spirante ad angulum Desiderij nos denuo comparauimus. Portum tamen glacialem præternauigaturi, occurrente glacie vndiquaq; occupati & obsessi fuimus. Ex qua nos eruere nulla industria licebat. Tres nostrum in crustam desilientes, cum soluenda naue occuparentur, hiatu derepente facto quin vniuersi simul perirent, parum aberat. Quorum vnus, cum rostrum nauis, alter funem veli, tertius funem à puppi pendulum corripuisset, ope nostra mature seruati sunt. Circa vesperam, in partem portus glacialis occidentalem incurrimus: quo loco totam hyemem exegimus.

Die 27. glacies nauem nostram vndiquaque obuallauit: quæ tanta copia sese subinde aggerebat, vt nauis nostræ prora pedum 4. altitudine attolleretur, & puppis non secus ac in fundum subsideret. Quare terrefacti nostri, scapham maiorem iam in mare demittebant. *Prora nauis attollitur.*

Die 28. glaciei pars aliqua iterum paulatim defluere cæpit, ita, vt nauis æqualem positum redipisceretur. Wilhelmus Barentz & gubernatores alij, cum se in glaciē emisissent, spectatum an æquali situ nauis tuta staret: tanto fragore glacies repente discrepuit, vt de vita vniuersi periclitarentur.

Die 28. Cum operam omnem naui eruendæ frustra impendi videremus, posterum vni Dei auxilio intendebamus.

Die 30. glacies de nouo tam cōfertim sese accumulauit, vt nauem nostram totam obtectura videretur. Sed & antica parte subeuntibus crebris crustis eadem adeo erecta & eleuata fuit, vt iam stanti fere similis esset.

Die vltimo, nauis nostra 4. pedum altitudine iterum surrecta est. Quo casu, cum iam vita vniuersorum periclitaretur certissime, post 4. horas sese glacies diffundere insperato occepit. De quo euentu quantopere gauisi fuerimus, ij æstiment, qui casibus similibus quondam fors exerciti sunt.

## SEPTEMBER.

Cal. Septembr. Die Dominica quadam precibus dictis, subiens confertim glacies, nauem rursus pedes aliquot surrexit. Itaq; ad vitam seruandam lintrem rursus demittentes, nauem horrendo adeo fragore crepare audiuimus, vt iam omnibus consultum videretur, lintre in terram egredi: cuius rei quoque gratia 13. tonnas panis, & 2. dolia vini in omnem euentum illi imponebantur. *Nauis crepat.*

Die 4. Etsi solem lucentem haberemus, gelu tamen in tantum omnia corrigebant, vt promoueri non liceret.

Die 5. tempeſtas ſerena & Sol clarus fulgebat. Nihilominus tamen glacies nauem noſtram in alterum latus ſubuertit, omnium opinione iam breui tempore funditus perituram. Periculi ergo inſtantis ratione inita, naui velum pro extruendo in Continenti tentorio detractum eſt, vt & ſclopeta, & panes, & vinum, & inſtrumenta cætera extruendæ domui neceſſaria in ſcapham illata ſunt.

*Nauis contorquetur.*

Die 6. & 7. Cum tempeſtas iterum commoda eſſet, de nauis ſalute ſpem nouam nobis faciebamus. Ex noſtris terni in Continentem egreſſi, fluuium aquæ dulcis inuenerunt, ad cuius ripam magna lignorum copia iacebat, aquarum exundatione eo perlatorum.

Die 10. & 11. noſtrorum octo armis neceſſariis probe inſtructi terram ingreſſi ſunt, vt ligni conſpecti ratione certiorem explorarent. Cum enim hyemē præ foribus eſſe, & nullam nauis ſeruandæ ſpem reſtare præuideremus: eo loco hybernare coacti, de domo contra varias hyemis iniurias extruenda neceſſarium decretum fecimus. Et licet in omni noua Zembla ne vnica quidem arbor ſuccreſcat: nihilominus tamen ad inſtitutum noſtrum ea ligna ſufficere videbantur, quæ ad fluuij ripam ex Tartaria aut Moſcouia illata erant. Quod & ipſum ſingulari Dei prouidenria ita procuratum iudicabamus, vt non ſolum ad ædes extruendas, ſed & ſuccendendos focos, ligna abunde nobis ſufficerent. Quibus deſtituti, nullo dubio vitam tueri ſub illo rigore non potuiſſemus.

*Hybernaturi domus extruendæ conſilium ineunt.*

*Noua Zembla arboribus caret.*

Die 12. loco quoque alio ligna quædam inuenimus.

Die 13. propter vicinos vrſos terram ingredi non auſi fuimus, quod denſior nebula illorum proſpectum nobis adimeret.

Die 14. Cœlum clarum quidem, ſed apprime gelidum erat. Eo ergo, priusquam niue obtegerentur, ligna neceſſaria conueximus.

Die 15. quæ Dominica erat, tres Vrſi ſe proferebant. Quorum vno ad glaciei cruſtam reſtitante, duo ſchapham noſtram recta impetiuerunt.

Hi cum in tranſitu mactram quandam, macerata carne plenam à nobis expoſitam inuaſiſſent, eorum alter glande caput traiectus, feſtino concidit. Quo ſpectaculo alter territus aufugit. Cadauer cæſi vrſi exenteratum, & frigori expoſitum exiccaturi eramus, vt illud redituri naui noſtræ imponeremus.

*Vrſus ſternitur.*

Die 16. 17. 18. 19. 20. 21. & 22. ad domum extruendam trahis paratis indies ligna adueximus, paſſuum fere 6000. ſpatium permetientes.

Die 23. Cum nebuloſo oborto aere ventus orientalis ſpirabat. Eodem die tignarius noſter, ſub veſperam ab operis domum reuerſus, ſubito expirauit. Hic ex Purmerent oriundus erat.

*Tignarius obit.*

Die 24. eundem fiſſura ſeu hiatu montis cuiuſdam conſepeliuimus, quod propter intenſum gelu fodere ſolum non liceret.

Die 25. aere obſcuro exiſtente, ventus Zephyroauſter glaciei magnam partem quidem difflauit: nauem tamen noſtram non deſtituit. Hoc die trabes ſeu fundamenta noſtræ domus ſtabiliuimus, cum hybernationis ſententia nobis firma perſtaret.

Die 27. vento aquilone ſpirante, aer intenſo frigore ita corriguit, vt, ſi quis forte more ædificantium clauum ori inderet, eundem extracturis, cutem pertinaciſſime agglutinatam ſimul auelleret. Hoc die glacies iterum nonnihil fluctuare cæpit.

Die 28. & 29. vento primum Zephyro, deinde Euro ſpirante, Sol clarus conſulgebat. Et licet glacie mare fere vacuum eſſet, nihilominus tamen fixa nauis perſtabat.

Die 30. Vento orientali & Euronoto ſpirante, confertim ningebat, adeo, vt ad ligna aduehenda nulla commoditas eſſet.

Octo-

# OCTOBER.

Cal. Octob. tempestate ventis & niue permixta aer ita obumbratus est, vt nulla prospicere liceret.

Die 2. Domum nostram tignis omnibus absoluimus, eius cacumini signum ex niue congelata imponentes.

Die 3. operas continuantes inuicto frigore corriguimus.

Die 4. propter magnam niuis copiam operis vacare ordinariis minime potuimus. Nihilominus tamen anchoras nostras, ad solidius firmandam nauem in glaciem emisimus.

Die 5. Glacies vniuersa è mari dispulsa disparuit: adeo, vt quoquouersum eius nihil residuum videretur. Illa tamen substrata nauis nostra nihilominus firma constabat. Hoc ipso die proræ interioris tabulas detraximus, quas tegendæ nostræ domui accommodaremus. Quæ hoc die eò perducebatur, vt iam contra omnes fere casus munita staret. *Tabulæ nauis detrahuntur.*

Die 6. Venti niue permixti adeo increbuerunt, vt ex naui prospectare nulli tutum esset.

Die 7. aere tranquilliore existente, puppis partem interiorem diruimus, vt tabulis auulsis domus nostræ defectum suppleremus aut sarciremus.

Die 8. Ventorum & niuium tantus fremitus inualuit, vt suffocatione prope omnes extingueremur.

Die 10. aura paulo mitiore & tranquilliore facta, ventoque austrozephyro flante vnda duorum pedum altitudine succreuit.

Die 11. è naui & panes nostros & vina in terram exportauimus. Quibus transferendis cum occuparemur, vrsus occurrens sclopetis elisis fugatus est. *Vrsus.*

Die 12. dimidia pars virorum nostrorum primo in pomo extructa pernoctauit, qua nocte frigoris maxima infestatione percussi sunt: cum nec cubilia accommodate instructa essent, nec propter caminos deficientes ignis succendi necessarius posset.

Die 13. traha cereuisiæ dolium ad domum nouitiam vecturi, oborto ingenti & ventoso frigore, opus deserentes ad nauem nos receperimus. Vbi tamen frigore haud mitiore excepti sumus.

Die 14. ad dolium cereuisiæ relictum remeantes, illud ædibus intulimus: quod tamen frigore rigidum, aquam pro cereuisia deinde ministrabat.

Die 15. aere tranquilliore reddito, vestibulum domus ianuæ præposuimus, vt contra irruentem auram tutiores essemus.

Die 16. asseres aliquot ad vestibulum muniendum à naue diruimus.

Die 17. & 18. mare tam magna glaciei vi iterum perfluctuauit, vt nullius vndæ prospectus esset.

Die 19. cum in naui tres tantum reliquerentur à nostris, inter quos tamen vnus ægrotus, & alter puer erat: vrsus quidem proruens nauem inscendere satagebat. Quem cum arreptis fustibus illi impeterent abigendum, nihilominus tamen tanto robore contranisus est, vt de saluandis se nostri dispicere cogerentur. Cum ergo duo in nauem interiorem se reciperent, & puer dolonem ascenderet: nostrum interea aliqui ad nauem procurrentes: vrsum muscetta traiecerunt, qui se saucium sentiens profugit. *Vrsus.*

Die 20. Sol clarus promicabat, & tamen Oceanus omnis glacie obductus erat. Cereuisiam nostram ex naue in recentem domum transuehentes, illam omnem congelatam, & doliorum insuper ferrea aliquot vincula frigore perfracta inuenimus.

T 1 Die

Die 23. Ad ſocios noſtros cæteros abducendos nauem acceſſimus, qua ægrotum viribus adeo exhauſtum & eneruatum offendimus, vt de abducendo eo conſilium mutandum eſſet.

Die 24. Octo reliqui ſocij noſtri ad domum pergentes, ægrum traha ſecum aduehebant. Sed & ſcapham magno labore domui admouimus, vt ſeruata illa futuris neceſſitatibus ſeruiret. Quo tempore cum recedens Sol nos plane deſtituturus videretur, ex naui indies merces & commeatum, & res alias quaſcunque neceſſarias trahis domui apportauimus.

*Tres vrſi.* Die 25. cum inſtrumenta & armamenta vniuerſa ſcaphæ aut lintri neceſſaria domui inferremus, traham vltimam admoturos ponè tres vrſi cõſectati ſunt. De quibus cauendis cum nauta noſter clamore concito nobis ſignum daret, funiculis tractoriis nos expedientes ego & nauta bipennes arripuimus, vt irruituros perfoderemus. Cæteris interim noſtris ſociis ad naues iterum profugientibus, vnus in glaciei hiatum impingens cecidit, cui ob id cum de vrſis irruituris valde metueremus: accidit tamen, vt illi deſerto aut neglecto hæc cæterorum maiorem numerum conſectarentur, quibus ad nauem intromiſſis, vrſi quoque eandem inſulturi erant: qui tamen poſt variam pugnam obuiis armis à noſtris tandem abacti ſunt.

*Horologiũ. Lampas.* Die 27. Aere valde niuoſo exiſtente, noſtri vulpem candentem glande ferierunt, quem aſſatum quoque comedimus, leporis vicem ſupplentem. Eodem & horologium noſtrum reparabamus, & lampadem inſuper ad lucem nocturnam miniſtrandam concinnabamus, pro oleo adipem indentes, ex cæſis vrſis extractum.

## NOVEMBER.

Cal. Nouemb. cum nocturnæ tenebræ iam prodirent, Lunam ex ortu ſurgere conſpicati ſumus, cum Sol adhuc ſupra Horizontem nonnihil extaret. Hoc die propter rigidiſſimum gelu domo egredi nulli licuit.

*Solis breuiſſima meta.* Die 2. Solis vniuerſum corpus Horizontem non aſcendebat, ſed obliquatione breuiſſima terram ambiebat. Hoc die rurſus vulpem captatum eſitauimus, cum Sol nobis adhuc ſupra horizontem eſſet, vulpes nullos videramus, ſed meros vrſos. Poſtquam vero iam Sol nobis omnino diſparuiſſet, porro nullos vrſos deprehendimus, ſolis vulpibus ſpectatis, vſque dum cum Sole reuerſo reuerterentur quoque vrſi. *Viciſſitudo mira.*

Die 3. Sol apud ortum emergens intra meridiem & occaſum rurſus occidit: ita, vt cum altiſſimus eſſet, vix ſummam eius faciem videre poſſemus, etſi malo nauis altiore loco ſtaremus. Eo tẽpore Sol grad. 11. min. 48. ſcorpionis peragrabat, verſus meridiem ab æquatore declinat. 15. grad. 24. min. facta.

*Sudarium extemporaneum.* Die 4. Aer tranquillus erat. Eodem Solem amplius non vidimus. Chirurgus noſter ſudarium ex grandiuſculo dolio vinario cõſtruxerat, quo ſinguli ſucceſſiue lauabant & ſudabant, cuius vſu plerique oppido reficiebantur & confirmabantur.

Die 5. Ventus ſpirabat æquilunaris. Hoc quidem die Oceanum patere videbamus: ſed noſtra tamen nauis glaciei accreta adhuc immota perſtabat. Et cum iam apud nos perpetuæ noctes eſſent, Lunaque ſupremum ſignum occupaſſet, eam totis diebus & noctibus conſpicuam habuimus, non minus ac antea Solem.

Die 6. etſi tenebræ denſæ eſſent, nihilominus tamen ligna quædam rogo ſuccendendo adueximus.

*Horologiũ à frigore immobile fit.* Die 7. & 8. cum horologium noſtrum frigore obriguiſſet, & non moueretur, ſcire non potuimus, quod vel tempus diei vel noctis eſſet. Sed & præſentis panis

panis quantitatem ſupputantes,& cum dierum,quibus nobis eo loco adhuc manendum eſſet, numero cōferentes, minorem multo copiam inuenimus, quam quæ tempori ſufficeret. Nam cum prius ſingulis diebus quinis vna tonna diſtribueretur, porro id ſingulis octonis diebus fieri oportuit. Ergo qualibet ſeptimana cuilibet libræ 4. cum vnciis decem appendebantur. Carnium aut piſcium partiendorum nulla adhuc neceſſitas comparebat: etſi & potus diſpenſandi conſilium ineundum eſſet. Nam cereuiſia frigore conglaciata, inſipida & minime alimentoſa erat: & aqua iam dum ipſa quoque deficiebat. *Panis partitio.*

Die 10. Quæ nauis noſtræ conditio eſſet, percontatum egreſſi ſumus. Illam ergo aqua adeo adimpletam inuenimus, vt ſupra grauamenta ſeu ſaburram illa promineret, quam tamen congelatam exſentinare non potuimus.

Die 11. Cum aura ſatis commoda eſſet, ex funibus & reticulis factas vulpibus decipulas ſtatuimus. *Decipula vulpium.*

Die 12. Diſtributione vini inſtituta, quilibet indies binos ſaltem hauſtus accipere cœpit. Qua menſura qui non contenti eſſe poterant, hi niuem collectam, & ad rogum liquefactam potare cogebantur. *Vini diſtributio.*

Die 15. nauarchus inter nos pannum laneum diſtribuit, vt ex eo veſtibus ſutis contra gelu tutiores & paratiores eſſemus.

Die 19. Ciſta prolata cuilibet panni lintei ad induſia paranda ſua portio data eſt: cum ea præſentis illius temporis ratio eſſet, vt ad tuendum corpus modi omnes excogitandi eſſent.

Die 20. Cum tempeſtas placida eſſet, linteamina & induſia noſtra exterſimus. Quæ quamprimum ex feruente aqua extraherentur, ſtrictiſſimo illico gelu obrigeſcebant.

Die 22. E caſeis Hollandicis ſuperſtitibus 17. numeratis, ſedecim noſtrum quilibet vnum ſortitus eſt, & decimus ſeptimus æquali pondere in commune diſſectus.

Die 23. Vulpibus indies maiori numero comparentibus, decipulas alias ex craſſioribus aſſeribus erectis, & deſuper lapide aggrauatis, infra vero ligula ſubſtructis, extruximus, quibus vulpes captauimus haud paucos.

Die 24. Aliqui ex noſtris ſanitatis gratia purgabantur pharmacis, & ſudabant. Eodem 4. vulpes captauimus, & eoſdem eſitauimus. Die poſtero duos iterum cœpimus.

Die 26. Tempeſtas valida cum vberrima niue ita confremuit, vt eius copia domus noſtra vniuerſa integeretur, nec cuiquam exitus inde daretur. *Exitus domus interclusus.*

Die 27. & 28. eadem ſimiliter tempeſtas continuauit.

Die 29. perfoſſa & perrupta niuis mole, exitum nobis & egreſſum ex ædibus moliti ſumus. Eodem & decipulas capturæ aptas reparauimus: vt non ſolum captatis vulpibus victitaremus, ſed & eorum pellibus vittas noſtras ſubſueremus, adeoque contra inuictum frigus hoc nos pacto muniremus. *Vulpiū captorum duplex vſus.*

Die vltimo, tempeſtate placida & vento zephyro ſpirante noſtrum ſex ad peruidendam nauem egreſſi, in eadem vulpem viuum captarunt.

## DECEMBER.

Die 1. 2. & 3. Nunc domus noſtra iterum contegebatur, & propter delabentem in conclaue fumum, ignem non ſuccendere licebat: adeo, vt quilibet ſuo in torulo percubaret. Cocus tamen ad elixandos cibos, quacunque arte poterat, ignem adhibebat. Immenſo frigore cum automatarium noſtrum horologium perpetuo reſtitaret: clepſidram arenariam 12. horarum comparauimus, vt ea de diei ſtatu doceri poſſemus.

Die

Die 4. toto in remouenda niue, & exitu foribus parando occupati fuimus, operas succesſiuas inter nos diſpertientes, nauclero tamen & gubernatore ab hac prouincia liberis.

Dies 5. & 6. frigore ſæuiſſimo iterum rigebant, adeo vt ad focum ardentem vix incaleſcere liceret: & vinum Hiſpanicum, natura calidiſſimum, omne congelaretur. Huius quilibet indies partem mẽſuræ octauam ſortiebatur, qua contentos cum niuali aqua eſſe oportebat. Vinum hoc bibituri, id prius ad focum liquare aut diſſoluere coacti fuimus.

*Periculum ex Lithanthracum ſuccenſione.* Die 7. Cum frigus intenderetur acerbius, inter nos deliberatum eſt, qua nam arte inuictum & penetrantiſſimum gelu illud ſuſtinere aut temperare liceret. Ex medio verò noſtro cum quidam ſuaderet, vt Lithanthracibus ſubditis ignem foueremus, eius ſuaſui obtemperantes, id tentauimus, & tum rimas quaſlibet conclauis, tum & camini patorem exquiſita diligentia obturauimus. Breui tamen elapſo tempore vertigine & cephalatria ita confertim occupabamur, vt ægroto noſtro, ita concluſum porro iacere impoſſibile videretur. Quare reſerari caminum opus erat. Cum vero & alius quiſpiam fores domus panderet, occurrente aere attonitus illico in terram prouolutus eſt: quem ſuffuſo aceto vix reficere licuit. Per apertam tamen ianuam frigidior aura ingreſſa, animam omnibus reſtituit: quibus porro integre confirmandis nauarchus aliquid vini præminiſtrauit.

Die 8. & 9. exitum noſtris foribus iterum moliti ſumus.

Die 10. & 11. pedes noſtri frigore ita obriguerunt, vt calcei neceſſario exuendi eſſent. Soccos itaque patentiores conficientes, illorum paria tria vel quatuor pedibus induximus, & pellem ouinam inſuper obdidimus, vt hoc remedio rigorem euitaremus.

Die 13. 14. 15. & 16. cum captatis aliquot vulpibus, lignum pro foco ſuperſtes nullum haberemus, magno illud labore è niuis mole eruere coacti ſumus, duobus iunctim ſemper opus hoc agentibus.

Diem 17. 18. tantum vulpibus capiendis exegimus.

*Solſtit. hyemale.* Die 19. & 20. Cum Solem iam depreſſiſſimum locum tenere recordaremur, de eo nunc paulatim reconſcenſuro nobis mutuo ſolatium amicum præſtitimus, oppido interim dolentes, nobis iucundiſſimo Solis aſpectu tam diu orbatis in craſſis tenebris viuendum eſſe.

Die 21. 22. 23. & 24. fere ſemper niue foribus amouenda occupati fuimus, cum operæ noſtrę & crebro interrumperentur, & loca purgata, niue nouitia ſubinde conſternerentur.

*Iocus triſtis.* Die 25. Tempeſtate ventis & niue aſpera continuante, vulpes quoſdam ſupra tectum noſtrũ diſcurrere audiuimus. Quam rem cum mali ominis quidam pronunciaſſent, de cauſa rogati, iocoſe reſponderunt, dexterioris augurij futurum, ſi verubus affixi hærerent, & ita nobis in cibum darentur.

Die 26. & 27. aere multo grauius rigeſcente, frigus tam immane viguit, vt nulli vel caput foribus proferre immune eſſet. Nam & intus nec ad focum, nec inſtratis tegetibus, nec candefactis ſilicibus frigus ſufficienter amoliri poteramus. Spe tamen & ſolatio iam indies ad nos altius aſcendentes Solis ærumnas iſtas attemperauimus.

Die 28. perſtante rigore quidam è noſtris cum per ædificij foramen quoddam caput extuliſſet, quę rerum foris facies eſſet, prouiſurus, eodem quam celerrime retracto ſignificauit nobis, niuis delapſæ eam altitudinem eſſe, vt ſupra ædes noſtras quam longiſſime emineret.

Die 29. cum per noſtros aliquot, ſcalarum figura niuis cumulos excidiſſemus: iis niuem tranſcendentes, decipulis ſurrigendis operam dedimus.

Die

Die 30. vento & immani turbine niue quoquouersum iactata, tum scalæ tum decipulæ nostræ rursus dirutæ & oppressæ sunt.

Die 31 propter eandem tempestatem, quasi vinculis districti in domo nostra perstitimus.

## ANNI 1597.

## IANVARIVS.

Postquam vero crebris periculis, ærumnis infinitis, frigoreque asperrimo annum 1596. exuperassemus: annum sequentem 1597. ingressi, eius auspicium nihilo lenius experti fuimus.

Nam 1. illico die rigor aeris ita exasperabatur, vt ne pedem quidem domo efferre latum auderemus. Tum temporis prior vini portio cuilibet quoque minuebatur, quod moræ nostræ id minime suffecturum videretur. *Vinum parcius dispensatur.*

Die 2. 3. & 4. perdurante subinde rigore, nec ad aduehenda ligna quoquam nostrum egredi sustinente, cum ad ignes sufflandos nihil materiæ superesset, ex omnibus angulis fragmenta obuia corrasimus. Truncos quoque tundendis resiccatis piscibus defixos, eruentes, illos foco adhibuimus. Quod si noscendi venti aliquando cupido esset, hastam longiorem, suprema parte linea lacinia religatam, è camino exporreximus, & ex eius motu venti genus captauimus. Quam nisi breui illico tempore retraheremus, vexillum illud in continenti ita obrigescebat, vt instar ligni durum, flecti amplius non posset. *Compendium noscendi venti.*

Die 5. cum frigus nonnihil mitesceret, exitu per effossam niuem facto in aera liberum semel prorupimus, & immunditias captiuitatis nostræ tempore collectas exturbauimus. Sed & lignis cædendis importandisque diem omnem confecimus, vt contra futuros similes casus apparatus nobis aliquis promptus esset. Reiectaneorum quoque gratia vestibuli locum quendam effossum, latrinæ addiximus.

Multis tandem laboribus isto die consumpto, cum vesperam illam tribus Regibus sacram esse recordaremur, patronum nauis compellantes rogauimus, vt aliquam post tot ærumnas nobis recreationem indulgeret, & collegium vini parte quadam muneraret. Quo annuente schedulas pro more patrio, officiis peculiaribus inscriptas, viritim distribuimus: quarum denunciatione Connestablius noster Rex nouæ Zemblæ (quæ terra 200. milliarium ambitum habet, & duobus vtrinque Oceanis clauditur) declaratus erat. Ad huius diei festiuitatem celebrandam binæ nobis purioris farinæ libræ supererant, ex qua placentulas compingentes, easdem in oleo coximus, & biscoctum panem vino intingentes, prandium Regale instruximus, non aliud quam in patria opipare nos victitare persuasum habentes. *Festum trium Regum celebrant.* *Prandium mendicoregium.*

Die 6. tempestate quieta demum egressi decipulas nostras redintegrauimus, & ad condenda ligna foueam latam parauimus.

Die 7. nonnihil ningebat.

Die 8. pacatior tempestas redibat, & cum iam indies Sol altius ascenderet, hoc primum die diei aliquot specimen captauimus, quem à nocte discernere haud obscure potuimus. Quæ res nouo omnibus gaudio obuenerat. *Primum Solis redeuntis documētum.*

Die 9. 10. 11. 12. & 13. Diei incrementum expressum notauimus, ita vt iam interdum globo luderemus, cuius antehac cursum obseruare nobis haud licuerat propter crassas tenebras.

Die 14. & 15. ad nauem progressi, sex à nobis rete nauis *Bolckfanger* dictum detractum, & parte quadam dilaceratum inuenimus. Quod factitasse vrsos certis signis existimari poterat.

Die 16. 17. 18. & 19. clariore subinde aura prodeunte, interdum animi gratia prodeambulauimus, circa meridiem aerem rubicundum obseruantes, quod appropinquantis Solis lætum nobis signum erat, maxime cum & dies noctibus nonnihil calidiores essent. Nihilominus tamen lithranthracibus succensis perpetuo opus erat, quorum tamen virus aperto camino moderari cogebamur.

*Vulpes dissparent, vrsi redeunt.* Die 20. & 21. Captura vulpium deficere cœpit, quod iam Sol iterum appropinquaret, vrsi vero denuo comparebant.

Die 22. & 23. cum tempestas tranquilla esset, iactandis globis nos exercebamus, & de prope euicta hyeme nobis gratulabamur, sperantes, desideratissimam patriam nos breui reuisuros.

Die 24. Ego cum Iacobo Hembskerck nauclero nostro & aliquot viris aliis è domo ad littus maris, versus nouæ Zemblæ australem partem situm progressus, Solis mihi supremam partem videre visus sum, quod nuncium cum ad Wilhelmum Barentz, virum peritissimum deferretur, dictum inficiatus ante 14. dies eum nondum visum iri liquido pronunciauit.

*Vrsi bini.* Die 25. Binos vrsos, quorum nullos iam longo tempore conspexeramus, conspicati sumus.

*Æger obiit.* Die 26. æger noster longo ex morbo misere diuexatus, tandem à media nocte expirauit.

Die 27. eundem qua potuimus solemnitate tumulauimus, & psalmis aliquot decantatis, tempori conuenientes preces loco funebris cōcionis diximus. Nauclerus noster cum forte ex camino, quem animi gratia ascenderat, prospiceret, Solis integrum corpus supra Horizontem extare cōspicatus est. Quod & nos ipsi pòst vocati vniuersi, læto spectaculo verum esse comperimus.

Die 28. cum clara tempestas vigeret, currendo & iaculando corpora nostra exercuimus, vt ignaua & torpida membra agiliora redderemus.

Die 29. & 30. propter tempus niuosum domi nos continuimus.

Die 31. niuem rursus demoliti sumus: interim & vrsum glande traijcientes: qui tamen saucius nobis elapsus est.

## FEBRVARIVS.

Dies 1. & 2. tempestatibus crebris ita horrebant, vt niuis copia rursus includeremur.

Die 3. 4. 5. 6. & 7. sub nebularum caliginem nix iterum tam profunda diruit, vt reserata ianua intus omnes concluderemur. Quod si quapiam fors ex causa foris quis quicquam acturus esset, hunc per caminum & egredi & regredi necesse fuit.

Die 8. mitescente tempestate, aura clarior refulsit, Solem hoc die apud euronotum surgere, & ad austrozephyrum occumbere obseruauimus.

Die 9. 10. 11. & 12. cœlo sereniore, Solis calorem aliquem iam dum sentire cœpimus. Sub noctem vero cum gannitus vulpium obaudiuissemus, & ob id his *Vrsus grandis.* captandis decipulas surrigeremus, interea temporis immanis vrsus quidam recta ad domum nostram irruebat. Quem nos anteuertentes, cum in domum festinanter rediissemus, sclopetis & muscettis prolatis eum ianuæ iam vicinum tam parate excepimus, vt glans pectori impulsa parte posteriore elideretur, instar nummi planata & dilatata. Ab ictu ille ergo resiliens, cum triginta circiter pedes profugisset, demum cecidit. Huic excoriato & exenterato adipem 100. librarum quantitate detraximus: quem liquatum lucernis pòst adhibuimus.

*Bacchanalia agunt.* Die 15. & 16 horrida tempestas perfremebat. Cum vero Bacchanalia instarent, singulis vini sui dimensum in commune conferentibus, ærumnarum nostrarum acorem conuiuatiuncula quadam diluimus.

Die

Die 17. Reclusa domus ianua, quinque è nostris ad nauem perrexerunt. Quam statu priore adhuc positam cum multis vrsorum vestigiis inuenimus.

Die 18.19.20. 21. & 22. Lignorum penuria coacti, è nostris decem armatos emisimus, qui traha ligni aliquantum aduehcrent. Quod tamen niue vndiquaque obsessum difficulter eruerunt. Circa vesperam aquas multas patentes maritimas dispexerunt,gaudio perfusi non modico.

Die 23.24.25.26.27. & 28. tum captandis vulpibus, tum aduehendis sumptibus confecimus.

## MARTIVS.

Calend. Mart. aura valde rigida perflante, nihilominus tamen parcissime ligna impendimus, quod id non nisi magno labore parari posset: Aegris interim silices calefactos ministrantes, & nos ipsos tum saltu, tum cursu,tum exercitiis similibus mouentes.

Die 2. altitudo Solis 6.grad.48. min. erat, vnde poli eleuationem iterum 76.grad.existimauimus.

Die 3. ægri nostri aliquot è lectis surgentes, domi se nonnihil mouebant, sed successu non nimium felici.

Die 4. & 5. vndam maris detectiorem notauimus.Sed tamen & 6.7. die de camino patulum mare quoquouersum conspicati sumus,vnde nobis metus oboriebatur,vt insperantibus nobis nauis aliquando glacie eruta abigeretur.

Die 8.9.&10.Ex naui in media glacie adhuc considente aut defixa nostrum nouem ligna auexerunt.

Die 11. Solis supra Horizontem eleuationem grad.10. min.10. tenuimus. Hæc dies & ipsa nobis propter aduehenda ligna laboriosissima fuerat.

Die 18.19. & 20. & copiose ningebat, & maris glacies violenter rupta latissime magno fragore crepabat, ita, vt ad ædes vsque nostras sonus perueheretur.

Die 21. Sol 1. grad. arietis ingrediebatur, circa meridiem grad. 14. eleuatus. Ex quo rursus nos sub grad. eleuat. poli 76. subsistere, certò concludebamus. Hoc tempore, cum longiore frigore calcei nostri cornu duritiem asciuissent, ex villosis vittis nostris calceos consuimus, priorum abiectorum locum suppleturos.

Die 22.& sequentibus ad finem vsque frigus nihil remisit.Postremo tamen ventus præualidus obortus glaciem violenter diduxit & dimouit, adeo vt iam longissimo tractu mare pateret: naui tamen nostra nihilominus perpetuo fixa stante,in qua vrsi mira vastatione tumultuabantur.

## APRILIS.

Die 1.2.3.4.5.& 6.clara quidem,sed rigidissima aura erat.Ne qua vero nauis soluta glacie solueretur, funibus eam delegauimus. Interea vrso nostræ domui appropinquante, cum ad traijciendum ipsum pergeremus, puluis pyrius humefactus ignem non concipiebat. Vestigia ergo nostra iam vrsus legere incipiebat, & ianuæ patenti ita contente adfestinabat, vt nauta,qui postremus erat,vix effugere posset, post se tamen ianuam occludens. Quin tamen vrsus vnà cum ipso irrueret,parum aberat. Postea trepidatione nostrorum fugatus cum breui spatio abiisset,conuersus, illico rediit, & domus tectum conscendens, caminum quassando & vellicando tantos motus edidit,vt omnia destructum iri trepidi metueremus. Et cum camino extrinsecus velum quoddam pro arcenda pluuia aut niue prætendissemus, illud adortus totum in frusta comminuit, & satiato animo tandem discessit.

*Vrsi immane facinus.*

Die 14. glaciei fragmenta tanta altitudine nauem nostram succinxerunt, vt congestio prææaltissimam domum æquaret. Quæ res vt nobis terrori fuit haud modico: sic quoque nauem non frustillatim conteri & comminui, oppido admirati sumus.

Die 15. septem nostrum spectandæ nauis causa egressi, eandem priore facie adhuc positam offendimus. Sed & ipsum littus surrectis vbilibet ingentibus crustis, turritæ cuidam vrbi simile apparebat.

Die 16.17.18. variante tempestate, super crustis glaciei versus mare incedentes, auem quandam se subinde vndis mergentem conspicati sumus. Quæ res patentis maris nobis indicium promebat. Ibidem ex Solis altitudine poli eleuationem grad. 76. esse, rursus obseruauimus.

Die 19. balneo nostro sudauimus.

Die 20. Lintea nostra mundaturi lebetem trahæ impositum ad locum quendam, ligni copia ditissimum deueximus: vbi minore labore beneficio feruentis aquæ ea extergi poterant.

Die 21.22.23.24.25.&26. aura plerunque tranquilla fuit.

*Sol totis diebus & noctib. visus.*

Die 30. Solem cum versus Septentrionem pressissimus esset, supra horizontem tamen eum leuatum totũ vidimus: à quo tempore deinceps totis tum diebus tum noctibus eundem in conspectu habuimus.

## MAIVS.

Cal. Maij aer lucidus, & ventus occidentalis vigebat. Hoc die salitæ carnis bouinæ partem vltimam decoximus, quam tamen maioribus vsibus diu præseruaramus.

Die 2.&3. vento austrozephyro glacies pleraque ita disiecta est, vt mare iam quoquouersum pateret. Eodem die quoque quicquid carnis suillæ supererat, inter nos æquis partibus distributum est, ita, vt diebus singulis vnicuique vnciæ 4. tantum cederent. Quod ideo nobis maximæ incommoditati fuerat, quia tum temporis refectione magis, quam esurie egeremus.

Die 4. è nostris quinque ad nauem contendentes, eam glacie adhuc obrutissimam inuenerunt.

Die 5. 6. & 7. nix iterum tanta mole deruit, vt eius copia rursus vndiquaq; occluderemur.

*VVilh. Barentz cum comissario de abitu colloquium.*

Die 8. & 9. augescente nostris indies in patriam redeundi desiderio, statuerunt, hanc suam sententiam Wilhemo Barentz, vt gubernatori primario, pandere, eumque rogitare, vt commissario de reditu parando tandem autor esset. Qui tamen rem aliò dilaturus, placidis nos verbis deliniuit & dimisit.

Die 11. Societas apud Barentz iterum rogando institit, vt commissario æquum suum de meditando reditu consilium detegeret. Id quod die 14. repetiimus.

Die 15. cum tempestas placida esset, data opera omnes domo egressi sumus, vt Wilhelmo Barentz commissarium compellandi, eidemque societatis desiderium denunciandi commodior occasio esset. Cui id factitanti responsum est, commodius hanc meditationem in mensem saltem vnicum differri, quo elapso, nisi nauis glacie eruta esset, tum se cymbam nulla longiore mora extructurum. De quo responso plerique oppido gauisi sunt, cum solitudinis illius & miseriæ omnes pertæsi essent.

Die 19. inter nos deliberatum est, quo adminiculo scapha nostra in mare referenda esset.

Die 20. Socij ipsimet Commissario de adornando reditu locuti sunt, qui postquam sibi suam vitam æquè ac aliis charam esse prædixisset, tamen singulis

ad

ad lintea nouanda & ſarciendas veſtes, & neceſſaria alia curanda mandatum dedit: vt nimirum poſt iſtis leuioribus non impedirentur, ſed ad grauiora parati eſſent.

Die 21.22.23.24.& 25. quolibet ad iter ſeſe inſtruente, cum lignorum penuria eſſet, veſtibulo diruto focum pro neceſſitate fouimus.

Die 26.& 27. Vento aquiloeuro iterum magna glaciei copia congeſta eſt.

Die 28. quicquid funium, velorum, & cæterarum rerum ad cymbam noſtram extruendam neceſſarium videbatur, inde aueximus.

Die 29. Maiorem alteram ſcapham, quam ad littus prope nauem reliqueramus, allatum exiuimus. Illa vero, cum profunda in niue quaſi ſepulta eſſet, magnis & operoſis laboribus à nobis effodienda fuit: nec tamen vlla induſtria ad domum noſtram conuehi potuit, quod nec numerus nec vires noſtræ ſufficerent. Itaque cum operam omnem à nobis ludi vidiſſemus, à meridie decreuimus, vt illam ſcapham, quam quondam iuxta domum reclinaueramus inuerſam, aſſutis agglutinatiſque ad latera aſſeribus maiorem & capaciorem conderemus, vt ad mare ſulcandum illa nobis idonea foret. Probe etenim præſcitum habebamus, quod nō niſi infinitis prius exantlatis periculis & ærumnis patriam noſtram reuiſuri eſſemus, etſi arte & opera ſolidiſſima omnia conderemus. Huic ergo rei curandæ cum intenti eſſemus, Vrſus quidem ſæuus & atrox domui noſtræ tam propinque ſucceſſit, vt quendam è noſtris ſub ianua ſtantem incautum prope corripuiſſet. Quem tamen glandibus aliquot perfoſſum, ſtrauimus. Ventre eius aperto, phocam minorem, pelle piliſque adhuc veſtitam, nuperrimeque deuoratam, extraximus. *Scapha ampliatur.* *Phoca in ventre vrſi inuenta.*

Die 30. Vento occidentali cum magno frigore ſpirante, noſtrum aliqui in ſcapha amplianda perreximus, tectum domus & aſſeres alios aliunde deſtruentes, vt illis ad præſentem neceſſitatem vteremur. Domi interea nonnulli alij vela & funes conſuebant.

Die 31. cum condenda naui valde occuparemur, vrſus iterum quidam proſiliens, operas noſtras impediuit. Quem tamen tribus prolatis ſclopetis ſimul & ſemel perfeſſum, haud magno labore confecimus. Nihilominus tamen & à mortuo illo periculum nobis impenderat haud ſperatum. Cum enim exemptum eius hepar noſtri elixaſſent, & deuoraſſent, eius eſu tres illorum adeo infirmati & ægroti redditi ſunt, vt vitæ nulla ſpes ſupereſſet. *Vrſus.* *Mirum ſymptoma ex vrſi iecore vorato.*

His ſaneſcentibus cuticula vniuerſi corporis, à capite ad calcem, miro ſymptomate diſtringebatur aut radebatur.

# IVNIVS.

Cal. Iunij pars noſtrum maxima à comeſo vrſi iecore adhuc languebant, vt ad operas inidonei eſſent. Quatuor tamen, qui cæteris robuſtiores erant, ad nauem progreſſi ſunt, ſpectatum an nihil ad iter noſtrum commodum ibi reſtaret. Qui dolium vnum, piſcibus ſalitis refertum, inuenerunt: quos ob id in commune diuiſimus.

Die 2. qua commodiſſime via ſcapha noſtra in mare prouolui poſſet, diſpectum eſt. Nam glacie altum ſurrecta omnia aſperrima & inaceſſa erant.

Die 3. Cum ægri noſtri vtcunque reualeſcerent, ad extruendam ſcapham communes operas contulimus, vt illa die plane conficeretur. *Scapha abſoluitur.*

Die 4. Ex noſtris vndecim ad nauem egreſſi ſunt, & lintrem illum quoque maiorem fecerunt. Quod enim poſtica parte anguſtus & compreſſus eſſet, illa præciſa, amplior & capacior alia aſſuta fuit, vt ad mare ſulcandum aliquanto aptior fieret. Hoc ipſo die binas trahas annona refertas, ad naues traximus, vt mari commeatus vicinior eſſet. *Linter ampliatur.*

Die 5. ventus grandine & niue permixtus, mare magna parte patefecit. Per hanc tempestatem cum nobis domo egredi non liceret, intus remos, malos, vela & rudentes, vt etiam sclopeta, hastas, gladios, & alia necessaria adornauimus.

Die 6. Cum binis trahis merces aliquas ad nauem prolaturi essemus, ventus iterum turbine & niue consertus tam violenter increbuit, vt tempestatem similem nos nunquam expertos recordaremur. Deserto ergo instituto domum redeundum nobis erat, qua & ipsa tamen contra aeris has iniurias non satis muniti latebamus, quod prioribus diebus ad scapham condendam asseres aliquot de tecto auulsissemus: quod spacium iam saltem tenui prætenso velo, totum hiabat. Tempestate eadem via quoque seu fundus ita emollitus est, vt liquefacta niue, pelliceos nostros calceos deponere, & abiectos priores resumere cogeremur.

Die 7. pretiosiores merces compegimus aut conuasauimus, vt in aperta naue vehendæ, contra imbres tutæ laterent.

Die 8. Merces easdem lintri, iam absoluto, indidimus. Scapham quoque nostram actuariam, immenso labore funibus equorum more innexi, à domo ad nauem protraximus.

Die 9. Indusia & linteamina alia eluimus.

Die 10. Trahis quatuor merces quoque alias naui adduximus vinũ, quod supererat, doliis minoribus diuisimus seu partiti sumus, vt & cuilibet naui sua portio cederet, & si fors glacie rursus obrueremur, dolia minora promptius efferri possent.

Die 11. Cum turbo immanissimus sæuiret, valde metuimus, vt eius impetu glacie rupta, nauis nostra violenter solueretur, & disiiceretur. Qui casus nostram omnem salutem euersurus fuisset, cum res omnium pretiosissimæ, & ad iter peragendum commodissimæ in illa adhuc superessent.

Die 12. Cum securibus, marris & instrumentis aliis ad planandam æquandamque viam vniuersi egressi sumus, vt nimirum via per glaciem in patentem Oceanum commoda esset, qua scapha nostra promoueretur. Cui labori cum vacaremus, vrsus vastus à Tartariæ finibus nos impetens, glande traiectus & obtruncatus est. Cuius excussos dentes asseruauimus.

*VVilh. Barentz ægrotat. Discessus statuitur.*

Die 13. Rebus plerisque absolutis & expeditis, cum nauclerus apertum mare probe explorasset, ventusque spiraret Zephyrus: ille ad Wilhelmum Barentz, iam aliquandiu ægrum, in domum rediens, consultum iam sibi videri, vt tandem in patriam reuersuri, itineri auspicium faceremus, significauit. Vtriusque ergo consensu statutum est, vt scapha in maris vndam impelleretur, & primo quouis tempore ex noua Zembla solueretur. Schedam quandam iam ante Wilhelmus Barentz cortici nucis Indicæ indiderat, eamque ex Camino suspenderat: qua, si fors aliqui alij post nos eo venturi essent, commemoratum descripserat, quod nimirum Hollandi in Chinæ regnum nauigaturi, eo loco glacie impediti domum istam condidissent, & decem continuis mensibus miserias & ærumnas infinitas sustinuissent.

*Schedam post se Hollandi relinquunt.*

Cum vero duæ hæ nostræ scaphæ longissimo illo reditus tractu pericula varia adituræ essent: patronus nauis binas, sed eas tamen vnius argumenti consignauit epistolas, quas manu sua omnes subscripserunt: quarum quæuis nauis vnam assumpsit, vt si in reditu fors disiungerentur, superstes tamen suæ causæ aut necessitatis quoddam testimonium haberet. Quibus ita confirmatis, scapham in mare extrahentes, lintrem quoque ipsum tandem admouimus, & trahis vltro citroque missis, reliqua quoque necessaria adduximus: studiose hoc operam dantes, vt quantumcunque mercium seruare possemus, tantum nobiscum

*Naues Oceano mandant.*

cum aueheremus. Scaphis ergo imposuimus, fasces 6. Panni lanei subtilissimi, cistam plenam panni linei, fasces duos panni holoserici, cistas duas pecuniæ, vasa bina armamentis plena vestes nautarum & indusia, tonnas 13. panis, tonnam 1. casei, tergum vnum lardi, duo olei dolia, sex vini dolia, bina dolia aceti, & supellectilem similem aliam quamplurimam. Quam qui vno cumulo congestam vidisset, vniuersam binis istis nauibus capi posse nunquam credidisset. *Quid rerũ imposuerũt.*

Ista omnia cum iam scaphis indita essent, tum & Wilhelmus Barentz, & Nicolaus Andreas ægroti trahis ad mare adducti sunt, quorum quilibet cuilibet naui imponebatur. Prius vero, quam inde solueremus, consignationes supra dictæ, huius fere argumenti ab vniuersis & singulis subscriptæ fuerunt.

POSTQVAM nos infra scripti ad hunc vsque diem in isthac nouæ Zemblæ regione cum infinitis ærumnis & calamitatibus commorati, spem nostram omnem de naue ex glaciei molibus eruenda & eadem redimenda vanam & frustraneam esse cognouimus, ob hanc causam, nauclerus ego & commissarius cum VVilhelmo Barentz supremo Gubernatore, vt & cum cæteris officiariis nautisq; omnibus rerum omnium accuratam deliberationem institui: Et cum omnibus videretur impossibile esse, vt nauis ex horrendis illis glaciei congestibus vlla industria aut expectatione redimatur, ideo casibus extremis compulsi, de mediis quibusdam cogitauimus, quibus tum nostram vitam, tum merces quasdam tueri aut redimere possemus. Cum vero commodior via nulla ad hoc impetrandum prostaret, quam vt scapham nostram altius extrueremus: ideo summo id studio annisi sumus, vt eam tum contra frigus, tum pericula & aduersitates quascunque alias obuias quam tutissime muniremus ob hanc potissimum causam, quod & iam tum ex nostris quatuor admodum infirmi essent, & qui sanorum rubustissimus videretur, adeo detritis & exhaustis viribus langueret, vt viri vix dimidium robur habeat, cum tamen interim res indies in peius quoque ruere videantur.

Nam & ad cursum nostrum conficiendum apparatus nullus superest, cum panes nostri vix ad vltimum vsque Augusti diem suffecturi videantur, nobisque incertum sit, an interea vllibi locorum reficiendi nostri causa appulsuri simus, His ergo ex causis necessariis nauigationem nostram diutiusprotrahere non potuimus, cum & naturali lege quilibet ad vitam & salutem suam asserendam obligetur & distringatur. Quod ita decretum, & à singulis subscriptum hoc loco attestari voluimus. Actum 1. Iunij, An. 1597.

Cum itaque infra scripti expeditis omnibus, ventum satis commodum & mare quoq; apertum haberemus, diuinæ gratiæ auspicio inde vela fecimus, cum nauis nostra propter profundam glaciem instar cautis adhuc immota perstaret. Quam ob id rebus omnibus desperatis, deserere coacti fuimus. Dat. 13. Iunij Anno 1597.

| | |
|---|---|
| *Iacobus Hembskirch.* | *Gerhardus de Veer.* |
| *VVilhelmus Barentz.* | *M. Ioan. Vos.* |
| *Petrus Petri Vos.* | *Petrus Cornelius.* |
| *Leonhardus Heinirichs.* | *Iacobus Ioan Sterenburg.* |
| *Laurentius VVilhelm.* | *Ioan. Reyniers.* |
| *Iacob Ian Schiedman.* | |

Die tandem 14. Iunij mane primo, cum Sol oreretur, scapha nostra actuaria & lintre, vento occidentali impulsi versus cæciam ex noua Zembla soluimus. Ad insularum angulum promoti, milliarium 5. interuallo, iam illico primum nauigationis auspicium minime secundum experti fuimus, cũ glaciei immensis molibus vndiquaque intricaremur. *Soluunt.* *C. Insularũ. Auspicium malum.*

Quo

Quo loco, cum nostrum 4. loci conditionem dispectum egressi essent, in rupe quadam 4. volucres lapidibus coniectis obtruncarunt.

*C. Vlissingen. C. Desideratorum.* Die 15. Oceano nonnihil rursus expedito vento australi versus aquilonem contendimus, C. Vlissingen permetientes & ad C. Desideratorum 13. mill. progressi.

*Orang. ins.* Die 16. ad *Orangie* insulam 8. mill. processimus: ad quam cum lebete nostro egressi sumus, vt liquata niue bina dolia aquis impleremus, & aues quasdam aut oua pro nostris ægris legeremus. Inde vero austroeuro versus occidentem *Angulus glaciei.* nauigantes, cum pluuiosa tempestate Angulum Glaciei attigimus, propter apertas naues toti madidi & compluti. Hanc ad metam scaphæ nostræ quam proxime iungebantur, adeo vt mutuo colloqui possemus, & de valetudine nostrorum percontari.

*Periculum à glacie.* Die 17. Glacies tanto impetu iterum nostras naues concussit, vt minutissime illæ confractum iri viderentur, nobisque iam præsentanea mors præ foribus esset. Tandem tamen quidam è nostris in ingentem & latissimam crustam exilientes, naues funibus in eandem pertraxerunt & statuerunt, bono quidem *Merces & ægri exponuntur.* euentu, sed vitæ alea periculosissima. Ibi tum merces tum ægros nostros exponentes, naues concussationibus validis oppido labefactatas reparauimus & firmauimus.

Die 18. singulari Dei prouidentia lignorum copiam inuenimus, tum liquandæ pici, tum nobis calefaciendis idoneam. Post in terram egressi pro ægris nostris 4. volucres captauimus.

Die 19. propter obstantem glaciem progredi non potuimus.

Die 20. tempestas tranquilla, & ventus occidentalis erat. Hoc die, cum nunciaretur, Nicolaum Andream, morbo misere tortum, diu non superuicturum, Wilhelmus Barentz, nec se suæ vitæ spem vel minimam habere respon- *VVilh. Barentz & Nic. Andreas diem obeunt.* dit. Et postquam colloquia quædam cum præsentibus de statu rerum contulisset, tandem sibi vini haustum porrigi rogauit. Quod cum datum bibisset, varie corpus & oculos contorquens subitanea morte obiit. Quem paulo post Nicolaus Andreas quoque fato fere simili consecutus est. Quorum obitus nos perculsit haud modice.

Die 21. Glacies Oceani, vento austrozephyro flante dispulsa defluxit.

Die 22. naues nostras magno labore supra glaciem in mare redabegimus, ad passus fere 300. vnde cum solueremus, glacie obuersa ita iterum obcingebamur, vt fixi staremus. Qua tamen breui sua sponte dissoluta, cursum secundum omnia promouimus.

Die 23. Cum Sol intra austrum & orientem mearet, ad Caput Solatij, ab angulo glaciali 25. mill. distans appulimus. Vbi glacie rursus intricabamur. Illo loco solis altitudinem per astrolabium captaturi, eum grad. 37. eleuatum deprehendimus. Aer quidem lucente Sole illustris erat, sed imbecilliores tamen ra- *Aqua parandæ compendium.* dij, quam vt niuem liquare possent. Itaq; vt aquam potabilem compararemus, stannea & cuprea vasa omnia niue plena Soli exposuimus, vt eius radiis illa liquata, magnæ nostræ siti compescendæ aquam colligeremus.

Die 24. Sole in meridie existente, mare rursus ingressi, vento orientali cōmodo quam felicissimo promouimus, ita, vt ad vesperam C. de Nassau intra- *Promontorium de Nassau.* turi videremur. A qua tamen meta glacies tribus milliaribus nos abstinuit, locum præsumptum videntes quidem, sed nō attingentes. Ibi sex nostrum egressi, lignorum copiam offenderunt. De qua quantum quisque sufferre humeris potuit, secum apportauit. Ad succensum ergo ignem pultem aqueam decoximus, vt aliquando tandem cibum calidum ventriculo ingereremus.

*Periculum euidens.* Die 25. & 26. turbo ex austro vehementissimus, crustam illam, qua nauis nostra

nostra confidebat, valenter difrupit, nosq; ea ruina casibus mille exposuit. Nam & de vita omniũ iam spes nulla supererat: & nos nisu omni littus adituri, metam hanc penetrare non poteramus. Inualescentibus ergo magno fremitu procellis, & glaciei cumulis ad cœlum vsq; sese prouehentibus, quin iam viui omnes expiraremus parum abfuit: præcipue autem, quod fluctus tumentes iam se omnibus locis in nauem confertim ingererent. Efficax tamen in extremis Dei manus nos tandem hoc malo clementer eripuit. Fortuna isthac sociam alteram scapham disiectam omnimodo desiderauimus. Quam tamen, Muscetta displosa, ex respõsu dato facile venari potuimus, in mediis nimirum glaciei struibus defixam.

Die 27. promontorium Nassovicum vnius milliaris spacio transmisimus. In Continente illius, Rosmaros (marinas bellicas) tanto grege collectos obseruauimus, vt numerari commode nõ possent. Sed & auium magnum numerum conspicati, illarum vndecim glandibus excussis prostrauimus. *Rosmarorum magni greges.*

Die 28. Cum scaphæ nostræ ingenti crustarum glacialium fluctuatione iterum misere quaterentur: vt submersionis periculum vitare liceret, eas infirmam glaciem rursus extraximus. Quarum ex velis detractis, & fulcris quibusdam obtensis cum tegmentum parassemus, quietem sub eo capturi, quosdam excubitores in vicinia constituimus. Dum ergo propius ad Septentrionem Sol esset, excubitorum vnus, tres vrsos approperare, vociferatus est. Quos propere, facto clamore exciti, prolatis tormentis adorti sumus, & vnum eorum glande grandiore constrauimus, cæteros in fugam coniecimus. Postero die bini iidem vrsi ad cœsum redeuntes, faucibus eum arreptum, & aliquousque pertractum, iam paulatim admordere visi sunt. Quos tamen iterum tormentorum fragore propulsauimus. *Tres Vrsi.*

Die 30. propter nebulas cassissimas dicto loco substitimus: & præter vrsos aliquot nihil obseruauimus.

## IVLIVS.

Cal. Iul. cum Sol. intra austroeurum decurreret, glaciei cumuli se tanta cõgestione inuicem subierunt, vt solida illa & fixa crusta, qua naues nostræ stabant, in partes multas discreparet, & naues extremo periculo exponerentur. Cum ergo omni nisu minorem scapham versus terram propius per contiguam fixã glaciem extraheremus, adeoque recurrentes tum scapham maiorem quoque, tum ex ea merces quasdam allaturi essemus, hinc inde frustillatim dirupta glacie, bonorum pars maxima nobis periit, & Oceano mancipata est. Quod acerbissimum infortunium, quicquid spei & animi iam reliquũ erat, nobis vniuersum vno prope momento elisit, nec nostrimet ipsis consciis, nec medij porro tentadi per omnia gnaris. Scapha illa, qua ægrorum quidam cum cista pecuniaria vehebatur, glaciei crustis tota fere obtrita erat. In qua cum situm nobis esset quamplurimũ, eandem quomodolibet collatis virib. semifractam & laceram extraximus. Qui ærumnosi & periculorum plenissimi labores sex horis integris nos miserando modo fatigabant & conficiebant. Hac tumultuatione & trepidatione tonnas binas panis, cistam vnam panni lintei, vas vnum armorum, annulum astrologicũ, fascem vnum panni coccinei, doliolum olei vnum, & item vini vnum, caseos aliquot & remos perdidimus, quæ omnia cõfractione ista glaciei in mare delapsa mergebantur. Die Iulij 2. sub exortum Solis, vastus se quidam albus vrsus proferens, mox tamen disparuit. Sex ergo nostrum ad redintegrandos scaphas nos parantes, sex alios ligna & lapides, super quibus succenso igne picem liquaremus, quæsitum & allatum emisimus; qui vna quoq; dispicerent, an arborem fors aliquam malo recenti condendo idoneam, reperire possent. Nam tumultu isto & collisu violento malus noster confractus erat. Emissitij illi res omnes nobis ne- *Notabile periculum.*

*Signum, ad C de Nassau fuisse homines.*

cessarias oportune inuenerunt, vt & iam ante cæsa quædam ligna alia, pro rei documento cuneos nimirum illos referẽtes, quib. illa ante nos fissa erant. Quod signũ, iam ante nos ibi homines quosdam fuisse, abunde nobis attestabatur. Sed & socij nostri quasdam secum volucres afferebant, quas glandibus feriissent.

Die 3. sociorum quidam ad mare egressi, ibidem remos duos, fascem panni coccinei, cistam linteorum, & cassidem ex dolio armorum inuenerunt. Illarum rerum, quantum baiulare poterant, apportabant, & rem ad nostros enunciabant. Qui & ipsi eo se recipientes, ex vnda in firmam glaciem omnia extraxerunt. Ad occasum solis, quidam nostrorum occurrentem vrsum traiecit. Qui tamen saucius refugit.

Die 4. Dies tam clara & serena fulgebat, vt similem in omni Noua Zembla non viderimus. Holosericum ergo nostrum, ex vnda salsa madefactum extractum, dulci aqua niuali eluimus, & eundem resiccatum compegimus.

*Ioan. Frãtz Harlem. obit.*

Die 5. Ioannes Frantz Harlemensis, Nicolai Andreæ cognatus, diem fatalem obiit. Interim glacies magno iterum insultu aduersus nos confluctuauit: vt nostris pluribus allatis lignis opus esset.

Die 6. admodum nebulosa, ventus tamen ex austro & ortu perflauit, nobis reficiendis haud incommodus.

Die 7. Volucres 13. confiximus.

Die 8. & 9. Vento glaciei moles fere omnis dispulsa est. Scaphas itaque nostras passibus 340. supra glaciem magno labore prouoluentes, soluimus. Cum vero Sol in occasu esset, priorem locum rursus corripere coacti fuimus, quod ibi glacies nondum omnis defluxisset.

Die 10. parum progressi, obuersante glacie iterum retropulsi sumus.

Die 11. cum adhuc supra glaciem moraremur, grandis & obesus vrsus ad nos contendere visus est. Quem cum Musquettis tribus operiremur, in eum 30. passibus adhuc absentem vna vice ita expedite defulminauimus, vt mortuus in continenti caderet. Pinguedo vulneribus eius effluens, instar olei aquæ supernatabat. Huic cum dentes excussissemus, octo pedes eum crassum dimensi sumus. Circa meridiem nostrum tres Continentem ingressi, è longinquo insulam Crucis conspexerunt. Ad quam postquam Russos aliquos quæsitum & aditum excurrissent, nullos inuenerunt. Ibidem tamen & ouorum & montanorum anatum magnum numerum conspicati sunt. Hoc quoque die vini reliquũ inter nos diuisum est, quolibet mensuram sesquialteram sortiente.

*Vrsus immanis, 8. pedes crassus.*
*Ins. Crucis.*
*Ouorum & anatum copia.*

A Die 12. vsque ad 18. magno omnium tædio supra glaciem, commorati sumus: quod tempus legendis lapillis crystallinis & figendis anatibus fere exegimus. Interea & vrsus, niue ipsa candidior à nobis stratus est, postquam discretis & vicibus & locis quinis sclopetorum glandibus eum traiecissemus. Ex editiore quoque terra despecturi, an alicubi apertum mare esset: illud ad passus 1000. longe à nobis aliqua patere obseruauimus. Indicto ergo labore tum scaphas nostras, tum merces vniuersas supra glaciem è sede nostra promouere illo coacti 18. die leuatis velis, mari nos iterum dedimus, glacie confluctuante tamen breui iterum obsessi: adeo vt in firmam glaciem scaphæ rursus extrahendæ essent, Ex quo loco Insulam crucis ad milliare vnum distantem prospicere potuimus.

*Vrsus, vt nix candens.*

Die 19. Iulij. cùm è loco dicto promouere non liceret, è nostris septem insulam Crucis adierunt. Ex qua versus occidentem apertum mare quoquouersum conspicati sunt. Illico ergo ad naues reconuersi, in reditu 100. circiter oua legerunt, nostrisq; de patente & nauigabili viso Oceano indicium fecerunt. Sperãtes itaq;, hanc vicem fore postremam, qua scaphas nostras per glaciem tracturi essemus, de postrema ista fortiter tentanda alea nos inuicem cohortati sumus. Et cum festinanter decocta oua deuorassemus, opus aggressi, naues cũ mercib. iterum pas-

rum pas-

rum passibus 270. supra glaciem promouimus, validoque cæcia diuinæ gratiæ auspicio vela fecimus. Sub occasum solis iam insulam Crucis transmiseramus, à C. de Nassau 10. milliaribus absitam: quo loco glaciem omnem dispulsam obseruauimus. Velis itaque perniciter impulsis, duodecim quibuslibet horis, nostra opinione octodecim horas promouebamur: qui successus felix iam nobis omnibus votiuus erat.

*Angulus Niger.*
*Inf. Admiralitatis.*
*A Rosmaris 200. periculum.*

Die 20. Constanti felicitate velificantes: cum Sol intra Orientem & meridiem medius esset, angulum Nigrum, à Crucis insula 12. mill. distantē attigimus. Vnde ad occidentem cursum agentes, Sole casuro Insulam *Admiralitatis* prospeximus, 8. mill. à nobis distantem. Infinitimis istis supra crustam quadā glacialem vltra 200. Rosmaros stabulari vidimus. Quos cum prӕternauigantes terrefaciendo abigeremus, desilientes illi, confertim vnoq; impetu scaphas nostras tanta contentione impetiuerunt, vt nisi prosperiore vento eos anteuertissemus, periculum ab iis experturi haud leue fuerimus.

*C. Plancij.*
*C. de Cant.*
*Auium copia mira.*

Die 21. promontorium seu C. Plancij vento secundo transmisimus.

Die 22. C. de Cant tenuimus, & circa meridiem ad scopulum quedā egressi 22. volucres, saxis eiectis interfecimus, ducentas aut trecentas ferituri, nisi vento commodo pergendum fuisset. Sole intra meridiem & occasum medio existente, cum iterum auium ingentem numerum prospexissemus, in continentem egressi, illarum 125. manibus nostris è nidis suis sustulimus, quæ ad nostrum cōspectum ne nidulis se quidem emouebant. Ouorū ibi ingens copia prostabat: quolibet tamen in nido, vno saltem ouo inuento.

*Oua in saxis meris.*

Nidi harum auium nullo fœno aut stramine constrati erant, sed in nudos lapides conserti, quod admiratione digna nos omnes feriit.

His captatis cum scapham repeteremus, commodus noster ventus in aquilozephyrum valde nobis aduersum mutatus est. Contra quem tamen, cum vela obliquaremus, glacie noua obruti sumus. Interim cum versus oram patere vndam conspexissemus, in eam cursum tentauimus. Quod cum alterius scaphæ nauclerus, qui iam profundius in mare procurrerat, vidisset: cursum nostrum sublegens, post binas demum horas, nobis iunctus est. Portum hoc loco commodum, & contra ventos tutissimum nacti sumus. Sed & ouorum, volucrum, lignorumque optata ibidem copia, obuenit. Lignis ad ignem, ouis & auibus ad cibum vsi sumus.

Die 23. propter turbidum & nebulosum aerem, ventumque aquilonarem quieuimus.

Die 24. circa meridiem Solis altitudinem astrolabio metientes, eam 73. grad. 50. min. inuenimus: cuius declinatio 20. grad. 10. minut. fuerat. Qua de inuenta altitudine subtracta, grad. 17. minut. 10. relinquuntur. Hoc loco ex nostris quidam egressi, lapillos quosdam inuentos secum referebant.

Die 25. nebulæ crassissimæ erant.

Die 26. sereniore facto, sole meridiem tenente loco illo soluimus. Qui cum Golfo seu sinus magnus esset, cuius terra penitius in mare porrigeretur, eius terræ angulum seu apicem extremum vix post 12. horas attigeramus. Quo superato, velis positis, secundum terram remis promouimus.

*Costintsarck.*
*Ang. Crucis.*

Die 27. durante aura placida cum perpetuo iuxta terram per effractæ glaciei tramitem procurreremus, occidente sole ad *Costintsarck* nos versari arbitrati sumus: quod ibi sinus seu fluuius magnus, opinione nostra in mare Tartaricum excurrens, conspiceretur. Sole Septentrionem tenente Crucis angulum transmisimus. A quo insulam quandam adiuimus, qua nos scapha altera antegressa opperiebatur.

Die 28. aere lucido, & vento cæcia vigente secundum littus vsque ad Pro-

*Angul. propugnaculi seu Baij S. Laurentij.* pugnaculi angulum, alias Baij S. Laurentij dictum perreximus. Vbi binas *Logdias* seu naues Russicas offendentes, primo oppido gauisi fuimus, quod nunc tandem homines videre liceret, quos 13. mensibus integris non conspicati essemus. Postea tamen, cum multitudinem eorum, nempe viros 30. numeraremus, nonnihil iterum subtristati fuimus, cum, qui & quales essent, nobis incompertum foret. Nihilominus tamen magnis laboribus nos ad terram adigebamus. Illi cum nos appellere vidissent, desertis suis operis, nobis sese acclinare cœperunt. Quibus & nostrum aliquot poterant (nam ex Scorbuto seu Stomacace quidam grauiter decumbebant) obuiabant. Congressi, more cuilibet nationi sueto dextras iunximus, nos manus deosculando ipsi ingeniculãdo & se demittendo. Cũ vero nos tam squalidos & exhaustos auidius contuerentur, nonnulli eorũ nos cognouisse visi sunt. Quos eosdẽ & nos attentius contemplati, illos esse recognouimus, qui ante sesquiannum nobiscum in naui prope Weygatz seu fretum Nassouicum fuissent. Qui gestibus & vultu satis prodebãt, magna se nostri misericordia affici: quod olim tam expeditis & magnifice instructis nauibus euntes, iam tam pannoso habitu, & corpore squalido exiccoque, adeoq; tenui nauium apparatu rediremus. Illorum autem præcipue duo mihi & nauclero valde humaniter loquebantur, manibus humeros nostros pulsantes: eo facto significaturi, nos iam ante hoc tempus pridem familiariter conuersatos fuisse. Et cum de *Crabble* nostra seu naui quærere viderentur, quo loco eam perdidissemus: interpretis defectu tum nutibus, tum signis confictis, eam in glacie periisse innuimus. Ita ergo rogitantibus, *Crabble pro Pal*, id est, periitne vestra nauis *Crabble pro Pal*, id est, periit nauis, respondimus. Et præter hæc paucula cum ipsis colloqui nihil potuimus. Nutibus quoque significare videbantur, quod quondam in naue nostra vinum sibi porrectum bibissent: ideoque quod iam genus potus nobiscum haberemus, sciscitabantur. De quo, vt ipsis responsum daremus, è nostris vnum ad scapham festinãter misimus, qui allatam semiputrem aquam, illis gustandam præberet. Quam cum sapuissent, capite vibrato *No dobbre* id est, non est bona, responderunt. Post hæc nauclerus noster propius ad eos se ingerens, digitum in os intendit, significaturus, nos Stomacace misere torqueri: & hac innuitione de remedio ipsos sollicitaturus. Cum vero ipsi illo nos gestu famem indicare præsumerent, ex Logdie sua cursim panem secalinum grandem, & libras appendentem, cum infumatis quibusdam piscibus attulerunt. Quæ cum gratiis accipientes, eosdem vicissim 6. biscoctis remunerauimus. Sed & binos ex illis præcipuos nauclerus noster in scapham secum abduxit: quibus de duabus vini mensuris adhuc superstitibus præministrauit. Sic itaque amica conuersatione aliquandiu commorantes, ipsorum præsentia ærumnas nostras plerasque commode diluebamus.

*Logdie nauis Russica.*

*Russorum humanitas.*

*Russi abeũt Hollandi sequuntur.* Die 29. cum tempestas satis commoda esset, Russi, vt inde soluerent, se parantes, ex littoris arena defossas aliquot piscium pinguedinis tonnas eruerunt, & Logdiis suis imposuerunt. Quos cum recta cursum in Weygatz tenere videremus, velis incitatis & nosmet eorum vestigia consecuti sumus. In medio autem cursu, nebula crassa oborta è conspectu illos nostro perdidimus, ignari, sinumne quendam ingressi essent, an in mari perrexissent. Nos etiam aquilozephyro versus Euronotum intra duas insulas vela promouebamus, quo loco glacie noua vndiquaque iterum obsepti sumus. Quod nobis augurio erat ab angustiis Weygatz nos non procul abesse. Ibi vero cum ante nos aquam omnem occlusam prospiceremus, conuerso cursu retro in insulas vela fecimus: ad quas Sole intra Septentrionem & Eurum nutante propter tempestatem considere coacti fuimus.

Die 30. eodem loco substitimus.

Die 31. Ad aliam quandam insulam, duabus defixis Crucibus insignem, vela

vela fecimus. In qua cum inuentum iri homines speraremus, terram egressi magno nostro commodo herbam Cochleariam offendimus, contra stomacacen, qua omnes fere macerabamur, medicinam commodissimam. Quam ob id integris manipulis manducauimus, vim aut virtutem eius, antea saltem fama cognitam, opere ipso experientes. *Cochlearia herba contra Scorbutum.*

## AVGVSTVS.

Cal. Aug. ad aliam insulam, Cochleariam quæsitum, traiecimus: qua tam prompte stomacace nostra sanescebat, vt prodigij simile quid esset.

Die 2. Nebula densa oborta est. Hoc tempore cõmeatus noster omnis absumptus erat: vt ad reficiendas vires cibum vno omnes desiderio desiderarent. Nam & laboribus simul & fame enecari, durum erat.

Die 3. Vento commodiore Aquilozephyro perflante terram Nouæ Zemblæ deserere, & in alteram maris partem, Russia celebrem, traiicere decreuimus. Ergo intra meridiem & Septentrionem impellentes, Sole oriente glacie obruente iterum irretiti sumus. Quem euentum cum sperassemus minime, eo de nouo grauiter perculsi sumus: maxime, quod vento nullo flante, solis remis naues per glaciem transadigendæ essent.

Quam tamen diuino auxilio iuti, sole austrozephyrum premente, feliciter perrupimus. Itaq; per patentem porro Oceanum 20. milliar. meantes, Russiã nos breui ingressuros sperabamus. Attamen cum Sol Septentrio zephyrũ tereret, glaciem rursus incurrimus. Qua calamitate iterum perculsi, de perrumpẽda glacie prope vniuersim desperauimus. Quamuis autem actuaria scapha, cum altera pari passu non procederet: attamen gyris conspectis tutioribus illa obiens, breui cum actuaria eandem metam tenuit.

Die 4. vno comitatu scaphis ambabus versus austrum festinantibus, tãdem Moscoviam seu Russiam ex aduerso nobis obiectam conspicati sumus: quod spectaculum ingenti vniuersis gaudio fuit. Ad hanc cum propius appulissemus, velis demissis, remis ad terram adegimus, à noua Zembla 30. milliarib. distantem, pressam humilemque, &, vt videre erat, exundationibus certis obnoxiam. Ibi vero cum ad commodum nostrum nihil appareret, iuxta Russię littus pronauigantes occurrentem Russicam *Iolen* seu nauem attigimus. Ad quam cum remos impelleremus, ipsi nobis visis in superiorem nauis partem se omnes statuerunt. *Russia apparet.* *Iole nauis Russica.*

Quibus cum *Candinos* acclamaremus (rogantes nimirum, an ad mare candidum seu Candinos propius consisteremus) *Petzora Petzora* ipsi responderunt, nos *Petzoræ* proximos esse, indicantes. Cumq; secundum oram perlegentes, pro *Busolæ* seu compassi nostri indicio, nos ab occasu in Septentrionem cursum facere arbitraremur, vt nimirum Cãdinos angulum attingere possemus: à *Busola* nostra, quæ supra cistam binis ferreis Laminis succinctam statuta erat, duabus integris lineis versus meridiem decepti fuimus: vt iam austro opinione nostra viciniores essemus. Pro nostra siquidem supputatione iam Candinos tenere debebamus: vnde triduo integro tamen nos abfuisse, postea demum comperimus. Ea nocte loco illo substitimus. *Candinos mare.* *Compassi dolus.*

Die 5. ex nostris quidam terram ingressus, eam herbis, & fruticibus quibusdã virentem inuenit. Quare reuersus magno clamore suasit, vt cum sclopetis pro feris quibusdam figendis aliqui egrederentur. Quod cum fecissent, re frustra tentata, consultum visum est, vt nauibus desertis penitius in terram discurremus: cum annona nostra omnis adeo consumpta esset, vt fame & inedia iam omnibus ferme pereundum foret. *Fame macerantur.*

Die 6. mitescente tempestate, remis impulsis ad 3. circiter milliaria versus Euronotum promouimus, vt ex sinu illo nos extricare possemus. Vento tamen

nobis aduersissimo impediti,& viribus omnibus fracti,progredi non potuimus. Qua re cum cibus nullus superesset,oppido iterum perculsi fuimus.

Die 7.ventus commodus obortus, ex sinu nos expulit: à quo ad angulum illum, vbi deerraramus prius,progressi, propter recta aduersum ventum,considere coacti sumus,publico omnium planctu & eiulatu, quod tum morbi, tum fames apud nos augescerent, & venti aduersi progressum insuper nostrum inhiberent.

*Exemplum famis.*

Die 8.9.10.Ex vtrisque scaphis bini egressi, phocam in littore semiputrem & late fœtentem inuenerunt. Quam nihilominus, vt prædam nobilem, longo tractu ad scaphas allatam, compescendæ funestissimæ famis gratia vocaturi erant. Quod tamen à nobis dissuasum est, dicentibus, huius esum præsentaneam ipsis mortem attracturum.Deo itaque potius fiderent,qui tot periculis & ærumnis sua ope nos nunquam destituisset.

Die 11. Nauclerus,vt nos pararemus,admonuit.Inde ergo æquo cursu promouentes,vento austrino flante remos inhibuimus, & scaphas ventis commisimus. Circa vesperam validissimo oborto turbine ad littus concessimus:vbi tontoriolum erecturi,vi pluuiarum tonitrubus permixtarum impediti fuimus.

*Russi & Hollandi nutibus saltem colloquuntur.*

Die 12.Ex littore,cœlo claro existente, Russicam quandam Logdien plenis velis currentem conspicati,ad eam expeditis scaphis festino cōtendimus. Quam cum attigissemus,nauclerus noster eam conscendens, de Cādinos distantia eos rogauit. Qui pro responso nihil aliud,quam 5.digitos erexerunt,Candinos quinque cruces habere rati. Cū ergo nec ipsi nos, nec nos ipsos intelligeremus: nauclerus digitum in dolium quoddam piscibus refertum intendit, & manu altera Regalem octonorum protulit.Quod iam intelligentes illi,pro Regali pisces 102. & placentulas aliquot nobis expenderunt: quæ postea magno gaudio inter nos æquis partibus diuisimus. Inde porro vela facientes austro versus aquilonem perreximus.

*Hollandi cibos mercantur.*

Die 13. Vento nobis aduersante,iuxta littora consedimus.Vbi ex nostris aliqui Candinos angulum dispectum in terrā egressi sunt. His bono nuncio reuertentib.Euro perflante pro eorū indicio pronauigauimus. Circa meridiē conspicati sumus,illā terram versus austrū exporrigi: vnde certo documēto concludebamus, illū Candinos angulū esse,& iam mare candidū nobis transmittendum esse. Prægustato itaq; cibo, spe Lappiæ breui tēpore adeundæ animose promouimus.Sub mediā noctem vero ex Septentrione tantus turbo consurrexit, vt nostra nos vela religare, & ea constrictiora facere cogeremur. Quod tamen nostri socij nec sciuerant, nec præ caligine videre poterant.Ipsis ergo scapha expeditiore & incitatiore præfestinantib, hoc sic tempore dirempti & disgregati fuimus.

*Candinos angulus apparet.*

*Binæ scaphæ separantur.*

Die 14. socios nostros longo ante nos interuallo prouidimus, sed eos tamē assequi minime potuimus.Cursum ergo nostrum tenētes, spem nobis fecimus, fore,vt in Septentrionalibus locis certo reconueniremus.

Die 15. Sole in austro versante,iam naue solitaria velificantes terram quandam conspicati sumus, quam Lappiam esse,& mare candidum iam nos exuperasse credebamus. Propius ergo littori appellentes,sex Russicas naues inuenimus, quarum Dominos, quam longe Kilduno in Lappia abessemus percōtati sumus. Etsi vero nostrum sermonem plene non assequerentur, nutibus tamen qualibuscunque, nos inde longissime distare, & vix latus orientale Candinos tenere, responderunt,& manibus porrectis significarunt,mare candidū nobis primum tranauigandum esse. Quam metam si scaphis nostris paruis emensuri essemus, fore, vt magnis periculis obiectaremur. Panes vero cum ab ipsis rogassemus,vnum saltem porrexerunt: quem digressi,iuxta oram nauigantes, aridum deuorauimus. Hic Logdiam aliam quoque contuiti sumus.

Die 16.

Die 16. circa nos vtrinq; cinctos obseruauimus, sinum occupantes. Ad Russicam ergo nauem contendentes, eos de *Sembla de Col*, siue *Kildyn* percontati sumus. Qui capite nutantes, *Semblam de Candinos* esse, responderunt. Quod tamen credere minime nobis promptum erat. Emptis itaque ab illis quibusdam piscibus, desertis illis vela nostra leuantes, longius promouimus. Cum vero nos non legitima aut monstrata via currere iidem viderent, cum grandi pane binos scapha ad nos amandarunt, qui nutibus certis nos ad nauem suam reuocarent, vt ibi de meta commoda rectius institueremur. Ad quos itaq; reuersi fuimus. Cum vero de *Candinos* multum & crebro sua lingua loquerētur, tandem prolata mappa nostra ostenderunt, quod Cuneum Candinos nondum transmisissemus, sed eius partem orientalem adhuc teneremus. Qua re cognita, mœrore haud leui concussi fuimus: quod iam sciremus, mare album cum certo periculo nobis adhuc transulcandum esse, cum tamen nec quicquam annonæ superesset, & insuper socij nostri nos deseruissent. Iubente ergo necessitate à Russis quid annonæ impertiendæ sollicitauimus, qui pecunia numerata, tres farinæ saccos, lardi tergora bina cum dimidio, ollā butyri Russici, doliumq; mellis nobis porrexerunt. Quibus acceptis discedentes, terræ appulimus, & pultem ex farina, lardo & melle coximus, optantes, vt vnà conuiuari nostris liceret sociis absentibus.

Die 17. Ad Russicam nauem quandam è mari albo egressam, admouimus, itineris rationem certius exploraturi. Hi vel non rogati panem illico nobis porrexerunt, qualicunque gestu significantes, quod cum sociis nostris collocuti sint, quorum scilicet septem fuerint, qui iam longa meta nos anteuerterint: & quod nauclerus noster compassum illis donauerit, quem prolatum ostendebant: quod item nostris carnes, panes & pisces vendiderunt. Quibus omnibus cum singulari gaudio perceptis, velis incitatissimis socios nostros assecuturi, sub mediam fere noctem dulcis aquæ fluuium ingressi sumus, vnde scaphas nostras pro necessitate instruximus.

Die 18. Ex hoc fluuio soluentes, paulo post mare album ingressi sumus: quod 40. milliaribus latum, die 20. Augu∫t. Dei gratia 30. horarum spatio vento & remis secundis feliciter tranauigauimus, cum sub ortum Solis Lappiæ terram versus occidentem sitam prius tenuissemus. *Lappa.*

Die 20. cum in Continentē egrederemur, vento Cæcia subitaneo ingruente, scaphas nostras in portum proximum egimus: in quo Russicam nauem inuenimus, iuxta illum & domum quandam, & eam inhabitantes homines offendimus. Quos cum adiissemus, nos humaniter acceperunt, tum in æstuariis vestes nostras resiccantes, tum pisces coctos apponentes. Domo dicta 13. Russi habitabant, qui quotidie Sole oriente duabus scaphis piscatum egrediebātur, parce & tenuiter victitantes, & pisces recentes siccatis piscibus panis loco commanducantes. Præter hos duo quoq; Lappi cum ternis fœminis & infante ibidem habitabāt: qui vitam paupertinam trahentes parcissime & vilissime viuebant, præter piscium capita à Russis porrecta, nihil comedentes. Hi discessuros nos, vt cum ipsis maneremus diutius humaniter obsecrabant. Pro quo tamen officio gratiis actis, ad scaphas nos nostras recepimus. *Russi & Lappi benefici* *Lapporum pauperies.*

Die 21. post matutinam pluuiam à meridie aer clarior effulsit. Cum vero à Russis nauclerus noster pisces magna copia emisset, iis coctis saturi mœrorem nostrum, & famem diutinam pensauimus. Postea cochleariam quæsitum egressi, in colle quodam viros duos conspicati sumus, qui iam ad Russicam nauem visam descensuri erant. Illi cum nobis propiores fierent, socij nostri, ante 16. dies à nobis disgregati, inuenti & agniti sunt. De qua nostra recōuentione vt valde gauisi fuimus, sic ex mutua gestorum relatione comperimus, eos nobis multo pluribus ærumnis & periculis exercitos fuisse. *Diuisi socij cōueniunt.*

Die 22. scapham suam actuariam nostræ iunxerunt. Cum vero panis nobis deficeret, Russico coco farinam nostram pinsendam dedimus. Cum interea à piscatoribus 4. asellos (pisces sunt, saliti qui tonnis induntur) emptos coqueremus & iunctim esitaremus: ad discumbentes Russorum præfectus aduentans, cum nos pane defici videret, de suo nobis apporrexit. Quem cum ad epulum inuitaremus, cõsidere propter ieiunium noluit, nec & de poculo nostro gustare. Adeo suæ religionis tenaces erant.

*Russorũ abstinentia.*

Die 23. pisto pane, & vento meliore flante, loco illo iterum soluimus: postquam petenti Russorum præfecto nõnihil pulueris pyrij, & sociis saccum vnum farinæ cum panibus aliquot impertiuissemus, locum illum *Confort*, id est, refectionem & refocillationem indigetauimus, tum quod amica tractatione ibi vsi essemus, tum quod disiuncti reconuenissemus.

*Confort.*

Die 24. Euro spirante, mane ad 7. insulas peruenimus: ad quas piscatores multos inuenimus. Hos cum de *Cola* seu *Kilduno* percõtaremur, versus occidentem intenderunt digitum: quo & nos loco illam sitam ante opinabamur. Cum vero ad fines insulæ pertigissemus, piscatores aliquot ad nos remigãtes, vbi *Crabble* nostra relicta esset, quæsiuerunt. Quibus cum *Crabble* pro *Pal*, id est, nauem periisse respõdissemus, ipsi nos excipientes, *Cola Brabanse Crabble*, id est, ad Colam Brabanticas naues esse, reclamauerunt. Quibus tamen nos non multum fidebamus, cum versus Warthausen, Danorum regi subditam, vela facere constituissemus, metu Russorum, qui Magno Duci subiecti cursum nostrum perstringere possent.

*7. Insulæ.*

Die 25. Sole austrum tenente, prospecto Kilduno intra Septentrionis & occasus medium impulimus: vbi ad fines insulæ occidentales diligenter dispeximus, an forte domus aliquæ aut homines apparerent. Tandem conspectis nauibus aliquot Russicis, & loco ipso alias commodo apparente, littori appulimus. Nauclerus in Continentem egressus, 5. vel 6. casulas, Lappis habitatas inuenit. A quibus comperit, ibi Kildunum esse, & ad Colam tres Brabãticas naues subsistere, quarum duæ eodem die inde soluere cõstituissent. Nihilominus tamen, cum iter nostrum in Warthausen dirigeremus, inde emouimus. Dum vero metam haud longam emensi essemus, oborta tẽpestate fluctus tam portentose inæstuarunt, vt intra duos scopulos securitatis gratia versus terrã concedere cogeremur. Quo loco in casula quadã tres Russos cum cane inuenimus, nos saluere humaniter iubentes. Qui cum cognouissent, nos in Hollandiam pertẽdere, idem cum prioribus, nimirũ tres naues ad Colam morari affirmarunt. Rogati isti, vt de suis vnum nobiscum in Colam pacta mercede emitterent, renuentes officium, sibi illo loco egredi non licere causati sunt. Sed tamen ad montem quendam proximum nautam nostrum cum alio socio deduxerunt, vbi Lappos multos, & inter hos vnum, qui Regalium duorum mercede aliquem è nostris in Colam comitaretur, inuenerunt. Socio ergo nostro itante, nauta retro ad nos perrexit.

Die 26. valde serena lucente, naues littori admotas, mercibus inditis exonerauimus, & easdem ventilando resiccauimus: ad focos interim Russorum cibos nostros elixantes. Bis enim de die iam epulabamur, quod parata pecunia apud homines istos annonæ nulla caritas esset. Sed & incolarum potus, *Quas* dictus, ex pane certo modo confectus, valde nobis sapidus erat: quod ante id tempus mera aqua bibenda fuisset. In ista regione myrtillos quoque & rubi ideæ fraga, scorbuto valde conferentia, legimus.

*Quas potus Russorum.*

Die 27. Cum nostrum pars maxima apud Russos degeret, oborta sæua tempestate, fluctibus infestis scaphæ nostræ prope submersæ fuerunt, quæ tamen turbine sidente saluæ manserunt.

Die 28. & 29. cum de socio emisso solliciti, reditum eius ex conscenso subinde

inde monte venaremur, sub vesperam Lappum solitarium aduentare conspeximus, qui literas nauclero inscriptas afferebat. Illarum à *Ioanne Cornelio Rypo* subscriptarum hęc fere summa erat: tum se, tum vniuersos comites suos oppido nostrum aduentum mirari, cum pro defunctis iam passim apud omnes dudum habiti essemus. Gaudere se tamen de reditu nostro prospero, & iam prompte cum omnifario commeatu ad nos visendos egredi velle. Etsi vero literæ hæ à Ioanne Cornelio Ryp expresso nomine subscriptæ essent: attamen veri fieri nobis haud potuit simile, cum Ioannem Cornelium illum esse, qui nobiscum altera scapha ex Hollandia soluisset, & mense primum Iulio apud vadum vrsinum à nobis discessisset. Sic ergo de hoc viro omnino ambigui, lætabundi tamen de eius commiseratione & humanitate secure condormiuimus. Iter hoc, quod dierum binorum & totidem noctium erat, Lappus reuersus expeditissima celeritate ita confecerat, vt toto cursu cibum semel tantum sumpserit. Quem ob id iusta mercede, & vestibus insuper Hollandicis probe remunerauimus, vt iam Hollandum omni habitu referret. Is perdicem ad nos secum quoq; attulerat, sclopeto in reditu transfossam.

*Ioan. Cornel. Ryp literæ.*

*Lappi cursores expeditissimi.*

Die 30. cum de Ioanne Cornelio adhuc dubiis iudiciis ambigeremus Iol seu nauem quandam Russicam aduolare conspeximus, qua Ioannes Cornelius cum socio aduentabant. Quibus iam in terram egressis cum gestientes obuiaremus, iunctis dextris tanto cum gaudio nos saluere inuicẽ iussimus, quasi ex mortuis in vitam rediissemus. Aduexerat ille secum dolium vnum cereuisiæ Rosuicensis, cum vino tum simplici, tum sublimato haud pauco, vt & panes, carnes, lardum, salmones, saccharum, & quicquid ad refectionem nostram facturum ipsi videbatur. Diem ergo illum, de optata conuentione gratulabundi genialiter sumpsimus.

*Ioan. Cornelius idem qui antea cum ipsis in eadẽ nauigatione fuerat.*

31. Aeris constitutio satis proba, & ventus orientalis erat. Quo ad Colam adeundam nos parantes, cum de hospitalitate oblatis honorariis dignis Russis gratias egissemus, sub mediam noctem, mari altissimo existente, vela fecimus.

## SEPTEMBER.

Calend. Septemb. sub auroram fluuium Colam ingressi sumus, quem renauigantes tandiu penetrauimus, dum mare æstu suo deflueret. Quo facto lapidem, qui anchoræ vice nobis erat, in fundum iactauimus, dum mare reflueret. Postea à meridie vsque ad noctem mediam iterum promouimus, & tempus reliquum vsque ad diem alterum quieuimus.

Die 2. cursum continuantes, in littore arborem quandam cõspicati sumus, admodum lætabundi, quod integri anni spatio illa nobis prima vidẽda daretur. Ad Salmas vero tribus à Cola milliaribus distantes, peruenientes, aliquandiu illic morati, hilariter epulati sumus, vnde nauem Ioan. Cornelij grandiorem attigimus, eamq; ingressi, sociorum nostrorum, qui priore anno nobiscum ex Hollandia naue Ioan. Cornelij soluerant, quamplurimos inuenimus, quos salute dicta, desideranter amplexi sumus. Hinc soluẽtes, profunda nocte ad Colam appulimus. Ibi nostrorum aliqui in Continentem egressi sunt. Cæteris vero, qui in nauibus remanserãt, cibaria necessaria & optata omnia apportata sunt, vt communi hilaritate sese serenantes, de tot ærumnis & aduersitatibus superatis, Deo gratias meritas funderent. Licet autem ante hæc tempora nauigatio in Colam suscepta valde longinqua putaretur: nostra tamen cum hac collata, vltra terrarum orbis dimensum suscepta merito videri poterat.

*Salmiæ ad Colam.*

Die 3. mercibus ex nauibus omnibus expositis, ibi nos opipare refecimus, & tum famem, tum labores, tum ærumnas misere exantlatas die lætiore diluimus.

Die 11. Scapham nostram actuariam, qua cum omnium ingenti admiratione 400. milliaria emensi sumus, *Bayarti* seu Magni Moscouiæ Ducis præfecti consensu in domum mercatoriam intulimus, inauditæ & distantissimæ nauigationis nostræ indicem testemque perpetuam futuram.

*Scapha in perpetuam memoriam asseruatur.*

Die 15. Cum mercibus & sociis omnibus naue Russica, ad Ioan. Cornelij nauem à ciuitate dimidio milliari distantem, fluuij per decliue descendimus: à meridie tantodem iterum spatio porro promouentes, vbi Cornelium & nauclerum nostrum cum naue aduenturos opperiti sumus: qui die 17. ad nos tandem peruenerunt sub vesperam.

Die 18. diuinæ gratiæ auspicio ex Cola fluuio soluimus, oram vento australi versus aquilozephyrum legentes.

Die 19. apud Warthuysen appulimus, vbi iactatis anchoris nauibus egressi sumus, vt, quæ ibi Cornelius bona haberet, nauibus imponerentur. Illic ad 6. Octobr. vsque diem morati fuimus, quo tempore nos indies paulatim commoda cura refecimus & confirmauimus.

## OCTOBER.

Die 6. circa vesperam ex Warthuysen soluimus: vnde die 29. *Mosæ* ductu in M*asland* Hollandorum appulimus. Quæ nauigatio cum iam trita sit, locorum mentioni supersedere libuit.

*Amstelredamum redeunt An. 1597. 29. Octobr.*

Die 29. ex *Masland per Delfos, Hagam & Harlemum* terrestri itinere contendentes, Cal. Nouemb. circa meridiem Amstelredami feliciter appulimus, vestibus & pileis, pellibus vulpium candidis subsutis, & in noua Zembla paratis, conspiciendi: adeoque in *Petri Hasselars*, ciuitatis in instruendis nauibus commissarij ordinarij ædibus diuertimus, quos reduces, quotquot viderunt, cum stupore admirati sunt, cum iam mortui omnibus crederemur.

Ipso hoc tẽpore *Cancellarius* cum Regiæ Maiestatis Danicæ Legatis in principis aula conuiuabatur. Ad hos à prætore & binis Senatoribus solenniter introducti, coram Legatis & ipso Consule, de tota nauigatione nostra ab ouo ad mala expedire coacti fuimus. Quo facto, domum se quisque suam recepit. Cæteri qui domos nõ habebant proprias, in diuersorium sibi destinatum deducti sunt, dum honorariorum merita dispensatio fieret. Quibus acceptis, quo commodum & volupe fuit, porrò se quisque contulit.

## NOMINA EORVM, QVI AMSTELREDAMUM redierunt, hæc sunt:

*Iacobus Hembskirch, Nauclerus & Commissarius.*

*Gerhardus de Veer.*
*Iacobus Ioannes Sternburg.*
*Laurentius Wilhelmi.*
*Iacob Ioannis Hochvvout.*
*Ioan. de Buyssen.*

*Petrus Petri.*
*Ioannes Fuchs, Chirurgus.*
*Leonhardus Heinrici.*
*Ioan. Hildebrandi.*
*Petrus Cornelius.*
*Iacobus Euerts.*

FINIS.

Larius



Basalucus






Padaus Sarasin









Pagodes



Munken so in den Orientalischen Indien als in CAMBAYA ORMVS MALAVAR COROMANDEL BENGALA SVMATRA MALACA IAVA MOLVCO und in den omligenden Inseln gebraucht werden




Insula D. Helenæ sacra cœli clementia et æquabilitate soli
ubertate et aquarum salubritate nulli secunda, sed
inhabitata, hic receptus navium ex Or. India redē:
tium sita in altitudine 16. graduum, ad austrium li
neæ æquinoctialis.
S. HELENA ist eine Insel, so da ligt vnder dem 16. Grad
zum Suden, had einen Steden lieblichen Lufft, auch
sus Wasser vnd allerleij erfrischendes Obs, der halben
bequem den Schiffen so aus Ost Indien komen, sich
alda zu erfrischen.


O galliaõ de Malaica
A. naõ Capitayna S. Xpuaõ
A. nao nossa Sra da conseiçaõ
A. naõ Sa Maria Souta Capitayna
A. naõ Santa Cruz

Vera effigies et delineatio
Insulæ Ascenstio nuncupatæ
sitæ in altitudine 8 gradūm
ad austrium lineæ
æquinoctialis
Warhafftige Conterfactur vnd
furbildung, der Insel
ASCENSION, so da
ligt vnder dem 8. grad
in Suden.

Nullius mihi terra ferax. atq; indiga potus
Piscatu dives littus et aucupio:
Tota rubore satur medijs atolor in vndis,
Qua videt austrium torida zona polum.
Hooger



Insulæ et arcis Mocam
bique descriptio ad fines
Melinde sitæ ebano puriss.
auro et ambare odorate
affluentis hinc magnus
seruorum numerus in
Indiam abducitur.
H. Linschoten invent.
Eigentliche fuhrbildung
der Insel Sampt dem
Schloss MOSAMBIQVE
So da liget am gestaden
MELINDE mit dem
gelegenheit
Terra firma
Cabaceira
Terra firma
A Fortareza Velha
Sto Doms
S. Gabriel
Fortaresa
Sᵗ Jorgie
Sᵗ Tiaguo



MAR DEL
NORT
EUROPA
GERMANIA
ANGLIA
GALLIA
HISPANIA
ITALIA
Hungaria
Græcia
Pontus Euxinus Majore
MARE MEDITERRAN
BARBARIA
Fez
Maroco
NUMIDIA
BILEDULGERID
TROPICUS
LIBYA INTERIOR
Quæ hodie Sarra appellatur id est Desertum
Tombutto
MELLI
GAGO
GUINEA
Melegeten
Benin
NUBIA
ABISSINI
Insulæ canaria olim Fortunatæ
I s de cabo Verde
I Asores al Flandrica
I da Madera
Candia
Sardinia
Corsica
Sicilia
Cyprus
Arabia desert
LINEA
C de S Augustino
OCEANUS
I S Elena
TROPICUS
ÆTHIOPICUS
Congo
Angola
Zaire lacus
Monomotapa
Caput bonæ spei
Ilhas de tristam da Cunha
Gonzalo Alvarez
Melinde
Magadoxa
Adel

# DESCRIPTIO HYDROGRARHICA

accommodata ad Battavorum navigatione in Javam insulam Indiæ Orientalis, factam ad quam postridie Calendas Aprilis ann 1595 ex Hollandia solverunt et ex qua domum redierunt Idus Augusti anno 1597 Horum exitus, reditusq via his notis demonstratur De hac navigatione extat descriptio lectu perquam admiranda

# EYGENTLICHE VND AVSFVHRLICHE

Mappa de Orientalischen Indien darinen auch mit puncten angezeichnet di hin und wider im Reise der Hollander nach der Insel Java welche den andern tag des Monat Aprils im 1595 Jahr vom Holland sind auß gefahren und den 15 Augusti Ao 1597 wider in Holland an sind komen wi di histori bie von Meldet

Pontus Euxinus
Mare Magiore
NATOLIA
AYAMAN
CANCRI
ARABIA FOELIX
Adel
India intra Gangem
MOGOR
INDIA extra Gangem
MARE
ARABICUM
BENGALA
GOLFO DE
Bengala
Sumatra I
INDICUM
ÆQUINOCTIALIS
ORIENTALIS
IAVA
LUCONIA I.
INSULAE
PHILIP
PINAE
Gilolo I
I Mindanao
IAPAN
Bungo
I.S. Laurentij
Iava Minor
TERRA
AUSTRALIS
INCOGNITA
OCEANUS

Nova tabula Insularum Iavæ, Sumatræ, Borneonis et aliarum Mallaccam usquæ, delineata in insula Iava, ubi ad vivum designantur vada et Brevia Scopulique interjacentes descripta a C.M.A.L.

Nouwe vnd Eijgentliche Furbildung, der Inseln Java, Sumatra, Borneo, bis gen Malaca, mit alen umligenden kleinen Inseln, Corect und mit gansem fleis in der Insel Java observiert und abgerissen durch C.M.A.L.

Cum saepius in hac Tabula reperias Puro notandum Puro idem significart quod fretum ut Cinca Puro id est fretum Cinca quod appidum est Tantampuro et alias multa

Cum sepius hic occurrat P. sivæ Pulo, sciendum, Pulo lingua Malayca insulam signi ficare.

Hispanicæ leucæ 17 2/2. uni gradui competentia.

10 20 30

Miliaria Germanica, quorum 15. uni graduo respondent.

10 20 30

CHERSO NESE

Aurea

BORNEO INSULA

IAUVA INSULA.

Cambaua Insula

Macasser Ins

Bali Ins.

Madura I Insula

Aequinoctialis

Pulo Champida abundan fructibus et aqua recenti, attamen inhabitata

Bancalis oppidum piscibus abundan adeo ut eum sal aduehitur ad piscis ovuam salendum è uno se effici possint

Baixos de Tristan de Tanda

Baixos de los Chineses

Fructuum copia sed Cocos

Patane

P. Capa

Patingara

Paham

Malacca

Pulo Sambilaon

Teraon

Barnar

Bera

Solongior

P. Parcelar

P. Tiga

Tanjam

Dos Lamoes

Ysla Douro

Ysla Apolveria

Pacem

Ambara

Pulo Mesa

Costa de Bracel

Ilsla Daru

Tera Daru

Baraen

Macopa

Campar

Sayda do Canal

Andragiri

Iambe

Speriamon

Baros

Palimbam

Bocas de Palimban

Banca

Linga

Bintam

Champida

Ysla Douro

Andepuro

Manancabo

Anarelhas

Ticos

Batambas

Golpho de bacalha

Las Correntes

Pulo Pugniatan

Lampaon

Hermata

Bandermasch

Tanjampuro

Calandua

Cabura

Ceri barin

P. Cherimara

de Manepin

Chirimao Laua

P. Lebock

P. Manianas

Chandana

Pulo Rossa

Balla buam

Fidayda

Panarucan

Passaruan

Iuanna

Dapa

Surabaya

Tuban

Gerriel

Iaratan

Mandalican

Cidayo

Brandaon

Iapara

Damma

Charabaon

Mataran

Iunculan

Bige


Cambaua

Bima

Care

# A CIDADE DE ANGRA NA ILHA DE IESU XPO DA TERCERA

*Ipsa frequens populo agricolis hæc Angra receptus*
*Pinguia Terceræ qui iuga bobus arant.*
*Tuta quod arce, sacro quod præside & aucta sena*
*tu Imporium rex huc transtulit ... ne maris,*
*Insula ubi quas falconum conspectus Azores,*
*Nescius id, Flandras nauita Belga facit.*
*P. Hoogerb*







*Vda mari saxo stabilis ditissima glasto*
*Fruges ferre bonas non remiente solo*
*Maxima vicinas inter Tercera profundi*
*hac specie occiduis eminet alta vadis,*
*P. Hoogerb.*

*Angræ Vrbis Terceræ quæ insularum quas Azores vocant maxima & copioso glasti proventu ditiss.^a accurata cum arce delineatio Hanc ob Episcopi præfecti et regij senatus auctoritatis aliæ tanque supremam respiciunt. Auctor, Ioannes Hugonius A. linschoten. a^o. 1595.*

*Eygentliche furbildung, der Insel* TERCERA *sampt der Stadt, und Schloß* ANGRA*, welcher alle di Insellen so man* AZORES *nonet under worffen sindt, von wegen des Kunigs Gubernator und Raht so sich alhie auff halten.*



A ILHA E CIDADE DE GOA METROPOLITANA DA INDIÆ PARTES ORIENTAIS QUE ESTA EN 15 GRAOS DA BANDA DO NORTE
Goæ Indiæ Orientalis Metro
polis & Emporij longe ditissi
pro rege Archi episcopo &
supremo Senalocupletis
exacta descriptio
Auctor Ioannes Hugonius A
linschoten
Contrefactur der fuhrnems:
ten hauptstat in Indien, Goa
genant. in welcher der gröste
handel getriben wirt, da
sich auch der erz Bischoff.
Viceroÿ. und der Portigali
sche Raht auf helt.
Erklarung Ellicher Portugallesischer wortter der furnemster orter der Insel unde Stadt Goa
Benesteri. ou Passo de Satiago Be
nesteriÿ-der weg nach S.t Iacob
Passo seco-der truckene weg.
Passo de daugi-nach daugij
Passo de Norua-der weg nach No
rua. Passo de Pangi-nach Pangÿn
Goa velha-Alt Goa.
Cazas do Vicorey-des Vicercÿ.
behausung-Cazas do
Arcebispo-des Erz bischoffs.
behausung-A Camara-das
Raht hauß-Os Contos
Des Konigs Rechencij.
Alfandega—das zolhauß.
O Pezo—Die wog. Asonge
Die Hall-Tronco die
gefencknuß.—O Terreiro
Der Korn speicher-A Moeda
Die Muntz—Banganin Der
Springende Brunen.-Pan
nelin-des Erz bischoff Lust
hauß und garten-Pelourinho
velho e novo—Das alte und
das newe halz Eysen-Bazar
grande—Der große fischmarck
Bangasal—Der holzmarck
Vazar.o de S. Fran.co Der
kleine marck vo S. francisco.
Ribeira grande-Des konigs
großo zimer platz.
Cava-Die alte Graben der
Stadt. Alagoa-Teich.
Leilao-Der Platz da sich
die kauff leut versamlen.
Costa braua da Ylha de
Goa—Daß klipichte Uffer
von der Insel Goa—Praya
de Bardes de Marem
fora—Daß gestetten Bardes
an des Meersseiten.
Endlich wo terreiro
Od terr.o stehet bedeut
ein Ort od platz und
waß fur ein wortt
dabeij stehet ist der
nahme des Orts.
Hetruscis urbem tectis quæ certet et uno
Spectare intuitu vis Orientis opes.
Imos Goa licet nostro semotior orbe
Una tibi sensus expleat atque oculos,
Seu fora seu spectes plateas seu templa Deor
Obma maiestas par et ubique nitor.
Aspice quam prono subductæ littore puppes
Quamque iter emensæ fida rati statio
Haud alia emporio locupletior Indus Eoy
Ditia quam late devidit arva soli.
Hoogerbeets
A LAGOA
ILHA DO CAPATEIRO
S. Mᵃ Magdalena
S. Matheus
S. Thome
S. Paulo
S. Pedro
Doms de Pangin
Os Reys Magos
A ILHA DE NORVA
A ILHA DE DYVAR
A ILHA DE CHORAO
O Passo de Norua

Groenlandiam Sub altitudine 80 graduum nec non adiacentium partium Tartaria promotary Tabin freti Anjan regionis Bargi et partis Americæ versus orientem Autore Wilhelmo Bernardo Amstelredam expertissimo Pilota

und durch WAYGATS noch den Orientallischen Indien fuhrgenomen hatten allen klerlich mit puncten angezeichnet

POLUS ARCTICUS

GROENLAND

GROE LAND

ISLAND

FRIS LAND

CIRCULUS ARCTICUS

ESTRECHO DE ANIAN

Polus Maguetis

VNG

TARCAS

CAPO DE TABIN BARGUS

MONGAL

TAIN GIN

CAROCO RAM

CAVO NA

COLMAC

BAI DA

DAS NEWE LANT

Thomas Cemobium

Vogels Eck

I. Margaster

Die Inseln von Orage

NOVA ZEMBLA

MOLGOMZAIA

TARTARIA PARS

OBDORA

SAMOIEDA

CONDORA

IUGORA

SOMER MEER

MOSC OVIA

FINMARCHIA

LAPPIA

NORVEGIA

SWEDIA

BODDICUS SINUS

OOST FINLANT

SCOTIA

HOLLANDIA

GERMANIÆ PARS

Hebrides Ins.

Schilda Ins.

Orcades Ins.

Hitlant Ins.

Fero Ins.

Miliaria Germanica quorum 15 uni gradum respond.

10 20 30 40 50 60 70 80 90 100

# ICONES SIVE EXPRESSÆ ET ARTIFITIOSAE DELINEATIONES QVARVNDAM MAPPARVM, LOCORVM MARITIMORVM, INSVLARVM, VRbium, & populorum: quibus & horundem vitæ, naturæ, morum, habituumque descriptio adiuncta est: Veluti hæc omnia, in Indicâ nauigatione versus Orientem susceptâ, diligenter obseruata, adeoque tribus hisce INDIÆ ORIENTALIS descriptæ libris inserta sunt.

*VBI MAPPIS ET ICONIBVS SINGVLIS breuis quædam & necessaria explicatio seorsim subdita est.*

OMNIA SCITA ET DILIGENTI INDVSTRIA IN ÆS INCISA, ET OB OCVLOS POSITA à IOAN. THEOD. & IOAN. ISRAELE de BRY fratribus & ciuibus Francofurtensibus ad Mœnum.



FRANCOFVRTI,

*EXCVDEBAT MATTHÆVS BECKER.*

ANNO

*M. DCI.*

I.

# VICEREX CLASSEM EX GOA AD EDOMANDOS PIRATAS quosdam amandat.



*IN historiæ contextu dictum est, piratas quosdam Malabaros ad Indiæ littora grassantes, quoquo versum tum terra tum mari prædando transeuntibus infestos fuisse. Hanc igitur iniuriam vt arceret* ViceRex, Goæ *classem ex fustis 15. instruens, Insulam* Sanguiseo *(quo se prædonum magna vis receperat) recta inuadi, & illos excindi mandauit. Classe verò in duas partes, ad vtrumque insulæ latus confertim occupandum diuisa, cum Almirans pro stato consilio alterius lateris oram, spe & de reliquis ita secuturis concepta, feliciter impelleret: orto ex altera parte de prioritate dissidio & dissensu longissimo, mare interim æstu solito defluum, Almirantis nauem arido seu solido defixit. Quod cum Malabari, antea in montes profugi, ex alto prouiderent, desertoque Almiranti restites cæteras naues auxilio venire non posse censerent: turmatim de montibus, & scopulis sese diffundentes, violenta manu nauem Almirantis inuaserunt, & in ea quemcunuis obuium, enatando non elapsum, hostiliter trucidauerunt. Sed & ipsum Almirantem fortiter & animosissime diu contraluctatum appresserunt, præfectumq; illi Caput præpilatæ hastæ defixum, in cæterarum nauium contumeliam clamose iactauerunt, & dein secum abstulerunt.*

II.

# NAVIS QVAEDAM PRAETORIA EX PORTVGALLIA SOLVENS, ET GOAM in Indiam traiiciens, fracta mergitur.



PRætoria seu Almirans nauis hæc, S. Iago dicta, cum An. 1595. ex Lusitania in Indiam Orientalem soluisset, negligentiâ seu potius arrogantia pilotti aut gubernatoris pessum iuit. Iste enim cum feliciter Capo Bonæ Spei transmisisset, & iam intra S. Laurentij insulas & terram firmam Mozambique nauigaret, iam de omni periculo imminēte ludos faciens, mandauit, vt omnia vela attollerentur, comitibus & nauigationis sociis id præstinate quidem contra suadentibus. Sub mediam itaq; noctem ratus ad Lunæ faculam omnia tutissima esse: ventorum impetu nauis in Corallinas rupes violenter illisa, tota crepuit: vt ex 500 hominib. vna vectis non 90 eriperentur: qui tamē & ipsi infinitis tū ærumnis tum errorib. agitati vix tandē littus attigerunt. Quod in historia fusius denarratur.

# III.
# LVSITANICA CLASSIS A TVRCIS STRATA.



*Claſsis hæc Luſitanica, quam* ViceRex Goa *contra piratas Turcicos emiſit, ab iiſdem ad oſtium maris prope tota fuſa eſt. Qua deinde redintegrata & reparata, mareque rubrum trauecta, cum milites cõfuſe & turbulenter, nulloq́ ordine, in littus ſeu continentem exilirent, prædones prope S. Nicolu aceruatim glomeratos, inſperatò oppreſſum: Turcæ, Luſitanorum confuſionem videntes, equis in medium agmen incitatis, paſſim vniuerſos prope confecerunt: vt fuſis in planicie illa 800 viris, vix 50 aciei erepti Goam cum pudore reuerſi ſint.*

IV.

# DESIGNATIO HORRENDI CVIVSDAM LATROCINII, IN GOA CIVITATE PATRATI: ad quod obtruncati viri coniux tum opem ſuam, tum conſilium proterua contulit.



*HIſtoria hæc ipſo in opere fuſius explicata eſt, Quo lectorem amandamus. Franciſcus quidam, Antvverpius, Adamantum politor, à cognato ſuo data grandi pecuniæ vi ad terr as exteras miſſus eſt, vt ea quæſtum aliquem emendis & vendendis gemmis pararet. Is ergo in Aleppo partem auri dimidiam abliguriens, adeoq; cōſpectum cognati veritus, negotiandi cauſa cum ſuperſtite pecunia Goam traiecit. Vbi Indica ex Gallo patre nata fœmina ducta, negotiationi ſuæ operari cœpit. Interim libidinoſa eius vxor cum Luſitano quodam Franciſci ſecreto amico & diali ſocio irretita, clam viro congreſſu illicito ſe longo tempore permiſcuit, harum rerum matre puellæ per omnia conſcia, & promotrice. Quodam autem tempore, cum Franciſcus collectis quibuſdam amiculis epulum in viridario ſeu horto ſuo ædibus contiguo daret, in cuius parte quadam ruinoſa quædam & vndique eliſis parietibus aperta caſa ſeu ædicula ſtabat: mulier autem Franciſci, q. pudibunda & hoſpites ignotos nonnihil ſubtinens, intus in ædibus cum ancillis & ſeruulis remaneret: accidit, vt re Luſitano patefacta, ipſe ad eam ingrederetur, & manu correptam ad horti dictam caſam, vix paſſus aliquot ab in gramine fuſis conuiuis diſtantem abduceret. Quo loco eam ſub aſpectum tum famulorum tum ancillarum aſtantium exemplo nefario ſubegit & conſtuprauit. Ex qua re cum ad Franciſcum rumuſculi haud infrequentes de vxoris (adulteri tamen nomine haud connarrato) libidine & proteruia peruolitarent indies: ipſe iam hanc rem accuratius obſeruaturus, cum Luſitano, adultero ipſo, de remedio inueniendo ſecreto conſilium iniuit. Cum vero inter cætera percenſeret, cogitare ſe, inuentum ſeu deprehenſum cum coniuge adulterum, medium ferro traiicere: decretum id adulter, vt ſaniſſimum non ſaltem approbauit, ſed ad occaſionem excogitandam facinus q; vrgendum Franciſco opem quoque auxiliariam addixit: ſe interim clam ad Franciſci coniugem recipiens & propoſitum viri vniuerſum denudans. Cum qua ob id deliberationem agens, præuenire viri factum ſtatuerunt, & ad eum prius conficiendum primam quamuis occaſionem meditati ſunt. Quam etiam maturo inuenerunt. Cum enim Franciſcus breui tempore poſt amicos quoſdam cū ſocru ſua cœnulæ adhibuiſſet: hac occaſione freta adultera, cum matre ſcelerata poculum ex Dutroa herba marito cōmiſcuit, cuius hauſtu ipſe inexpergiſcibili ſopore inuaſus illico, cum meretrice coniuge q. bene appotus in lectulum diuertit. Cum itaq; ex pacto & re compoſita ſub noctem adulter adeſſet, illum beſtia per cubiculi feneſtras ad mariti lectum pertractum, iam ad conſtitutum facinus patrandum animoſe adhortata eſt Qui ob id ferrum diſtringens, & punctibus aliquot dormientem alte, medium traiiciens, cum ſocia adultera conuaſatis ingentis pretij gemmis profugit: ſclauis interim fruſtra vicinos ad auxilium clamore excientibus, &c.*

V.

# INVSITATA TERRAE CONCVSSIO, IN INSVLA S. MICHAEL FACTA.



*Nno 1591. in S. Michaël insula ingens terræmotus obortus, à 26 Iulij vsque ad 12 Augusti durauit: vt omni interlapso tempore desertis domibus incolæ in planis campis oberrare cogerentur, vbi magno numero confusi & glomerati, inedia, precationibus & planctibus tempus exegerunt. Per hanc succussationem præter multas ædes, cœnobiaq; vniuersa quoque Ciuitas* Villa Franca *è culmine deruit: sub cuius ruinis infiniti homines expirauerunt. Terra paßim multis sese hiatibus diduxit: rupesq; & saxa ab vno loco in alium disturbata, sedes subinde mutarunt; & montes insuper aliqui submersi sunt.*

# VI.
# SAEVISSIMA TEMPESTAS AD TERCERAM.


*Vm in Tercera morarer, quodam tempore vltra 140 naues conuenerant; quarum pars Hispanorum classis, Flotam ex India operibatur, pars altera Flota ipsa Indica fuerat. Hæc cum aliquando coniungerentur, de subito tanti turbines tempestatesq́ obortæ sunt: vt attestantibus ipsis incolis nulla talis omni memoria iuualuerit. Species hic rerum omnium inusitatissima apparebat. Mare insulam Terceram omni momento absorpturum videbatur. Vndæ æstu maris excussæ littus ipsum longè transiliebant: quod tamen adeò sublimè & elatè attollitur, vt despectantibus desuper vertigo concitetur. Tempestas ea diebus quinque integris horrenda rabie consæuiit, ita vt & in solido qui erant homines lethali horrore concuterentur, ne de iis dicam qui furientium ventorum in nauibus iam non nisi mancipia ludusq́ fuerant. Ad solum Terceræ littus 12 naues perierunt; alibi multò pluribus passim scopulis illisis, aut horrendis vorticibus absorptis. E nauibus nisi fremitus, planctus, eiulatus nihil obaudiebatur. Et licet insulani demissis & arrectis funibus obnatantium extractioni operosè studerent: propter crepidinis tamen vastitatem nihil effectum est. Vt vno q. verbo dicam, Tempestatis huius immanitate tot & naues & homines perierunt, vt tabulis confractis omnis Oceanus q. contegeretur, & insulani expiscandis passim & tumulandis suffocatis, littori admotis, integrum decendium occuparentur.*

VII.

# SEQVENTES HAE FIGVRAE HISTORIAM HOLLANDICÆ NAVIGATIONIS, ET primo, in Insulas Iauam & Sumatram susceptæ adprobè designant.

## *Effigies & habitus earum gentium, quæ ad promontorium seu Capo Bonæ Spei habitant. 1.*




*Ens isthæc staturæ admodum humilis est, coloris phœnicei, tota nuda, nisi quod pallij loco corium bouinum introrsum villosum appendunt. Cesto lato ex eodem cario facto succingunt sese, cuius quadam portiuncula dependente pudorem velant. Pedes nonnulli tenui quodam ligno ad securitatem supplantant. Ornamenta ipsorum potissima sunt, annuli, armillæ ex cupro aut ebore fabrefactæ. Cum aliquando nostris vsibus bouem mactassemus, acclinantes illi ad nos, & viscera execta sollicitantes, data ea cruda & recentia illicò vorarunt. Qui si interdum gulæ blandire volunt,* 4.
*erectis sudibus partem corij bouini pertendunt, vt in medio illud decliuius sit instar Cacabi: cui postquam aquam infudere, lignumq́; seu flammã subiicere, cacabo illi intestina & viscera inuergentes, obiter eadem coquunt, & sic amicis epulis adhibent: Sicut ex effigie hac videre est.*

VIII.

# INSVLA MADAGASCAR,

## ALIAS S. LAVRENTII DICTA: &huius conditio. 2.




M*Adagascar Insulæ vnà cum suis breuiis, vadis, & scopulis, sicut & aliæ similes insulæ, hoc se modo habent, quo hic depictæ sunt.* A. *Locus est, quo anchoras misimus.* B. *Insula, seu Battauorum cæmiterium : ita dictum, quad è gente nostra ibi quamplurimi sepulti sunt.* C. *Lacus aquam dulcem præbens.* D. *Riuus aquæ dulcis.* E. *Battauorum castrum.* F. *Angulus anterior de Porto S. Augustin.* G. *Paruæ insulæ, versus Meridiem sparsæ.* H. *Insula S. Maria.* I. *Sinus eiusdem insulæ.* K. *Insulæ dictæ pagus primarius.* L. M. *Duo maris brachia.* N. *Cautes ad faciem insulæ occidentalem.* P. *Insula parua sinus maioris, vnde aqua dulcis aufertur.* Q. *Riuus est.* R. *Vicus S. Angela.* S. *Vicus Spakenburg.* T. *Vicus ad Septentrionem.* V. *Vicus, ad quem primò anchoras misimus,* X. *Pagus, quo primo negotiati sumus.* Y. Z. *Pagi duo alij.*

C

# IX.
# IMAGO INCOLARVM INSVLÆ MADAGASCAR SEV S. Laurentij. 3.



INcolarum Madagascar arma sunt, tela oblonga, Assagaijas siue Losso dicta, quibus tàm expeditè & directè iaculari norunt, vt sexies continuatis vicibus absq; omni errore præfixum sibi Talerum ferire queant: tanto etiam cum impetu & robore, vt, quicquid sclopeto nostrate transadigi potest, eorum quoque iactum nihil remittentius permittat. Horum semper tria vel quatuor secum gestant. Nec religionem nec politiam vllam colunt: solius naturæ legibus vt bruta viuentes. Hi tres olim Batauos, qui terram illam exploratum venerant, adorti sunt. Quos contra, cum se Batavi districtis gladiis tuerentur: Indi collectis lapidibus, tanta frequentia in eos defulminarunt, vt illi se victos sistere cogerentur. Quos Indi ob id exermantes & vestibus denudantes, nudos iterum dimissos fecerunt.

# X.

# QVO RITV INCOLÆ S. LAVRENTII INSVLÆ choreas agant. 4.



*Insulani hi, quod nos vidimus, hoc ferè modo saltare assolent. In locum choreæ destinatum primò viri numero viginti prodibant. Post eodem tot etiam mulieres. Congregatis itaque omnibus, viri seorsim ad vnum latus statuebant, & suis telis muniti, saltus mirabiles cum quodam strepitu edebant, & pedibus, vt indomiti equi, recalcitrabant, adeò, vt poné stantes ab ipsis sat securi non essent. Fœminæ vero ex altero latere contra stantes, viris pro choraulibus erant. Manibus enim artificiosè complaudentes, vocem suauem consonabant, & pedum proportionata prolatione viris q. tactum ministrabant. Quæ res visu mira spectantibus obuenerat. Hi omnium totius Madagascar insulæ pauperrimi sunt, toti nudi incedentes, viris tenui quadam ex arborum corticibus textura pudenda velantibus.*

# XI.
# ICON REGIS INSVLAE MADAGASCAR. 5.



*Vm in S. Maria insula essem, grandis quædam Canoan siue Galiotta multis hominibus onusta inuehebatur: inter quos & insulæ Madagascar* Rex Pilo *conspiciebatur, baculum seu sceptrum eo modo formatum, vt ex pictura videre est, gestans, & restricta Xylnia veste à lumbis amicitus. Caput acuminata ad modum tiaræ Episcopalis vita, pulcherrimè exornata contegebatur: ex cuius vtroque latere cornu, dimidium cubitum altum, & in apice tomētoso nodulo prominulum, exerebatur. Regulus hic, nobilibus ferè 25 stipatus, postquam nauim nostram circumquaque cum admiratione ingenti perlustrasset, vltrò citroque honorariis datis, ad littus rediit. Sed & hac figura Indus alius sinus, siue Baie insulæ Tangil accola exprimitur: cuius arma sunt prægmagnus quidam ex ligno clypeus, cuius in editiore loco rima est, per quam aduersos contueri, adeoq́ tuto sub vmbone latere possunt. Hastas ij gerunt octo cubitos longas, extrema parte lato quodam eodemq́ acuto ferro munitas. Fœmina ipsorum tonsæ, curtis ad virorum ritum crinibus incedunt: infantes suas eo modo lactantes, quo in tabula videre est.*

# VERA DVORVM INDICORVM IN INSVLA S. MARIA oppidorum delineatio. 6.

Spakenbourch

S. angero




*Ici seu oppida in dicta insula, circumcirca sudibus inclusa, accessum saltem geminum, vnum à terra, alterum à mari habent. Domos quodlibet 200. ferè præfert, palis omnes subnixos, & propendentiis seu subgrundiis promissis contra insecta arrepentia subtectas. In oppidi cuiuslibet medio ampla quædam & cæteris eminentior domus extructa est, qua peruigilia & excubiæ ordinariæ fiunt. Istorum pagorum vnum* Spackenburg, *alterum* S. Angela *indigetauimus. In* Spackenburg *permutatio rerum nobis haud infelix obtigit: in quo regem bene potum offendimus, qui & ipse nobis honorarium potum ex oryza & melle coctum, è bouino cornu præbuit. Sed & in isto vico diuersorium publicum aliud inuenimus, quo nautæ nostri socij cum Indianis perpotantes, hilariter genium suum habuerunt.*

# INDIANORVM, INSVLAE PVGNATAN INCOLARVM, ET item Abexini effigies. 7.



IN Pugnatam insula, nõ procul à Sunda sita, homines toti nudi ambulant ad morem Brasilianorum, quos etiam corporis colore referunt. Crines promissos fouent: & pro armis arcus & tela minuscula habẽt. Piscatu potißimum victitant, & tenui parcaq; diœta vtuntur.

Abexin hic ex presbyteri Ioannis terra aduena est. Gens ea tota nigricat, labra tumida & q. inuersa, oculosq; spatiosos habens. Magna ex parte periti negotiatores, sed nautæ tamen meliores sunt.

# HABITVS MORESQVE INSVLÆ SVMATRA INCOLARVM. 8.



INsula Sumatra rectà ad aditus viæ Sunda posita est: ad cuius pagum quendam Dampin dictum, cum applicuissemus, Primas pagi nobis occurrens, valde humaniter peregrinos accepit, vt populum illum ingenij liberalis esse iudicaremus. Vestitus eorum magna parte ex panno bono coloris cyanei constat. Primatem loci magnus ministrorum comitatus pro quardia ponè consectatur: in quo & fœminæ quædam, cistulam eius Betelle adimpletam, & res alias ferentes numerabantur. Ponè ad latus ferè è vestigio ipsi minister erat, qui vmbraculum contra Solis & pluuiarum vim ipsius capiti præferebat. Mulierum habitus tunica è lumbis dependens est: superiore parte thoracali ad velandas mammas contecta. Crines religatos obiter ex scapulis demittunt, vt ex figura hac clarius intelligi potest.

XV.

# QVAE RATIO CONDITIOVE PORTVVM ET NAVIVM STATIONIS ad ciuitatem Bantam, insulasque & flumina cætera finitima sit. 9.



*Antam insulæ Iaua Metropolis, portum tutißimum & commodißimum habet.* A. *Ciuitas Bantam est.* B. *Insula* Paniam *dicta, ad quam emendam Lusitani 200000. cruciatorum spoponderunt. Sed quod venditio ista ad Iauanensium regni detrimentum spectare videretur, illam ab incolis non obtinuere* C. *Scopulus est, ex media vnda prominens.* D. *Insulæ quinque, post quas nos anchoras miseramus, ab insulanis* Pulo Lima *dictæ.* E. *Insulæ aliæ duæ,* Pulo Duo *nominatæ, Indianis palmis & arboribus fructiferis aliis valde fœta, ad quam pineas nostra cum 24. fustis conflixerat.* F. *Angulus extremus est versus occidentem, vbi vicus quidam* Anio, *& ad hunc parua insula alia consita est.* G. *Duo scopuli.* H. *Insulæ duæ paruæ.* I. K. *Insulæ aliæ duæ altiores, viridariis ornatißimæ.* L. *Insula est, ad quam noctu naues militares contra omnem euentum excubias agunt.* M. N. *Duo fluuij exigui.*

XVI.

# CIVITAS BANTAM TORMENTIS NOSTRIS OPPVGNATA, ET PINEAS CUM FUSTIS 24. CONFLICTATA. 10.



*POstquam intellexissemus, Gubernatorem ciuitatis commercia & negotiationes nostratium inhibere: naues nostras ad ciuitatem tam proxime adegimus, vt displosis contra eam aliquot tormentis ipsum regis palatium contingeremus. Qua re vrbani perculsi, nostrates in liberum pedem statuerunt. Pineas interim nostra, nauem Jauanensem quandam infectata, insperatò in breuia impingens, vix magno labore sese extricare sciebat. Quod è ciuitate prospicientes, desubito 24. cymbas ad illam oppugnandam emiserunt. Contra quas tamen Pineas se tam animose tutata est, vt emissas cymbas non saltem in fugam redigeret, sed etiam multis cæsis, aliquot illarum plane submergeret: de suis interim ne vnico quidem læso.*


XVII.

# SITVS CIVITATIS BANTAM. II.



*Antam Metropolis Insulæ Iauæ maioris, hoc situ, & modo posita est.*

A. *Palatium Regis.* B. *Pacebam siue forum.* C. *Porta terrestris.* D. *Porta Palatij.* E. *Porta ad mare.* F. *Crates ad flumen noctu intercludendum structa.* G. *Templum siue Mesquite.* H. *Chinensium habitatio.* I. *Aedes Capitanei ciuitatis, quem Payera Guban nominant.* K. *Riuus ciuitatem perluens.* L. *Sabandei aula.* M. *Aula Almirantis.* N. *Chinensium forum.* O. *Domus Hollandorum mercatoria.* P. *Gussarattorum & Bengalorum habitatio.* Q. *Bazar siue forum, maiori forma cum mercibus suis deinceps priuatim expressum.*


A
B
C
D
E
F
G
H
I
K
L
N
O
P
Q

# XVIII.

# SOLEMNITAS NVPTIALIS BANTAM INCOLARVM. 12.



N historiæ procinctu fusius declaratum est, quo ritu Bantani liberos suos nuptum dent. Id hic strictim repetere lubet. Igitur præter Sclauos & mancipia, dotis non admodum multum contribuunt. De matrimonio si fors duo conuenerunt vel depacti sunt, ab eo tempore nec sponsus nec sponsa pedem domo efferunt, vsque dum plene exactæ nuptiæ sint. Ad nuptias vero omnes cognati & amici cum seruis & ancillis suis, pulcherrime & delicatissime ornati conueniunt. A sponsi domo vsque ad habitationem sponsæ, vtrinque ex ordine multæ longæ hastæ in terram defiguntur, fasciis seu vexillis ex gossipio vel albo vel rubro desuper religatæ. A. meridie sponso equus commode ornatus & instructus adducitur, quo vniuersam ciuitatem coambit. Eo interim tempore mancipia sponsi dotalia domui se sponsæ sistunt, quolibet donarium suum pro more offerente. Vespere appellente, si pro lubidine sponsus circumspatiatus est, epulum cognatis & amicis primariis datur, quo sumpto domum suam quisque remeat. Velo interim se aliquo sponsus cum sponsa adludendi gratia abripit & occulit, à quo dein tempore sponsa à nullo viro conspicitur.

# XIX.

# QVO RITV HABITVVE DVCES SEV CAPITANEI PER VIAM publicè incedant. 13.



*PEr puplicum procedenti exercitus præfecto seu primati alij hasta vna vel duæ, & gladius pariter vagina ex holoserico vel rubro vel atro conditus præfertur: quem pone ministri sequuntur, quorum vnus cistulam cum Betelle, alter hydriam portat. Supra caput eius vmbraculum illic regionis vsitatum sustinetur. Cui si fors in media via ciuium quispiam occurrat, cum recta pergere nefas sit, tamdiu sese demittere & incuruare coguntur, dum primas iam transierit. Capitanei, succinctorio, filo aureo collecto, contecti ingrediuntur, superne nudi, nisi quod interdum synthesi ex holoserico vel Coccino manicata muniuntur. Caput Cidari Turcica, ex nobili Bengalensi panno voluta teguntur. Pugiones nunc retro, nunc porro, nunc ex lateribus suffigunt, quos* Cris *vocitant, quibus multum fidunt. Passu ingrediuntur pompatico & valde ambitioso, pedes tamen nudi: quos tectos ostendere, certo probro habent.*

XX.

# MILITES IN BANTAM GREGARII CVM SVIS armis. 14.




*Ilites in Bantam peltas interdum contractiores, interdum patentiores ex corio consutas gestare solent, & hastas iuxtà ferro flammiformi præpilatas. Thoraces hi ex quadrangularibus laminis, ferreis annulis cōsutos induunt, in cæterum & gladijs insignes. Sed sclopetis tamen vti non possunt. Tempore siquidem aliquo, cum Jauanus quidam, prius à nobis informatus, taurum syluestrem feriturus esset, sclopetum buccæ admotum & displosum, hominem tam valido illisu prostrauit, vt aliquandiu attonitus, suiq; non bene compos humi iaceret. Qua displosione taurum quidem ferijt: sed ipsi sibi tamen binis excussis dentibus, postmodum ad audendum idem persuaderi nullo modo potuit.*

# EXTRANEORVM MERCATORVM IN BANTAM PRAEfiguratio. 15.




*IN Bantam variarum nationum mercatores se continent, litera* A. B. C. *signati.* A. *Mercator Persicus ex Caracone. Hi gemmis emendis & vendendis negotiantur.* B. *Ex Arabia mercator. Hi mari potissimum circa insulas negotiantur.* C. *Pegusinus est, mercatoriam apprime edoctus. Designatæ hæ nationes Bantam omnes incolunt, quod negotiationis suæ ibi fructum vberem sentiunt. Qui tamen, pro figuræ huius facie, habitu vestituque inter se aliquatenus differunt.*

XXII.

# MERCATORVM EXTRANEORVM IN BANTAM ALIA effigiatio. 16.




*IN Bantam mercatores etiam alij consederunt: vt qui ex Malacca veniunt, litera* D. *notati. Hi quæstum faciunt elocata pecunia, hac ratione seu conditione, vt si negotiaturi aliquô, iter & propositum suum feliciter confectum dederint, pecuniæ duplum creditori refundant.* E. *Quillinus est, qui negotiationi simili modo cum iam dictis fere studet. Qua in re ad lucrum suum asserendum valde industrij sunt. Chinensium inuectas merces compendiose redimunt: quas his iterum profectis pro suo arbitratu censent & vendunt.* F. *Horum mulierum seu coniugum habitus est.*

f 3


XXIII.

# MERCATORVM EX CHINA IN BANTAM NEGOTIANTIVM SCHEMA.



*IN Bantam suas mercaturas Chinenses quoque vrgent, iis mercibus venumdandis, quas ex China conuehunt. Habitus eorũ hic depictus est. In Bantam fœminas mercantur, quas suis officiis, quamdiu ibi commorantur, adhibent. In Chinam redeuntes illasdem reuendunt: aut si liberos ex illis fors susceperunt, secum eas abducunt. Sunt Chinenses, qui ibidem perpetuas suas sedes habent: quorum habitacula à Iauenensibus nonnihil remota sunt. Hi à pago vno ad alium commeant, & à rusticis certo pretio piper colligunt. In quo emendo ne dolum sentiant, stateram secum circumgerunt, ex qua pendulo sacco piper indunt. Quod si satis ponderosum inuenitur, cum rusticis de eo paciscuntur. Vestes coloris fere subciianei gestant, caput texta pulchra vitta exornati.*

# XXIV.
# CHINENSIVM IN BANTAM SVPERSTITIO ET idololatria. 18.



*CHinenses in Bantam peculiare quoddam Idolum venerantur, sub specie Cacodæmonis, hac figura expressi. Huic offerunt omnis generis fructus, quos eius altari deponunt: iuxta quod in faciem proni deuoluti, humo tam diu incubant, dum oblatis satiatum Idolum, & eadem ab ipso satis consecrata putant aut imaginantur. Tum se ergo humo iterum attollentes, fructus sacros domum asportant, & illos cum gaudio quodam esitant, ratum habentes, Idolum porro ipsis nihil incommodi, verum salutaria & votiua omnia præstiturum.*

# XXV.
# QVO RITV BANTANI CONCILIA MILITARIA AGANT. 19.



Ertos & discretos hi dies habent, quibus Senatus iste coit. controuersiæ ergo forenses à meridie audiuntur, quouis causam suam asserente. Quod si vero vel Bellicæ res, vel aliæ grauiores tractādæ sunt, tum eæ sub noctem ad Lunæ facē transiguntur, vbi in secreto omnia decernuntur. Omnes hæ conuentiones in foro publico seu Pacebam propalam fiunt, hoc ordine. A. Gubernator cum primariis Capitaneis. B. Episcopus cum Senioribus. C. Almirans, cum præfectis nauium aliquot. D. Nobilitas ex rure. E. Malayos. F. Turcæ & Arabes. G. Nobiles iuuenes. H. Ministri seu mancipia, suis dominis ad officia parata.

XXVI.

# RVSTICORVM, QVI PRIDEM IVXTA CIVITATEM BANTAM CONſederunt, & Sclauorum aliorum idea. 20.



*Rustici hi, homines ſimplices & agreſtes, Regis permiſſu iam pridem iuxta Bantam habitandi gratia conſederunt: quo loco vrbem,* Sura *dictam, ad radices montis* Gonon Bezar, *piperis prouentu & Reguli ſui ſede celebrem extruxerunt. Ad legem viuunt Pythagoræ, nullo, cuius vita in ſanguine eſt, veſcentes. Cibis vtuntur, oryza, fructibus & herbis natis. Extra omne coniugium caſtos & temperantes ſe gerunt. Vitam plane philoſophicam agentes. Veſtiuntur panno quodam candido, ex cortice, albicante arboris papyri induſtriè contexto: cuius vno corpus ſuc cingunt, altero caput obuelant.*

*Hac figura & Sclaui ſiſtuntur, quo illi modo nauiculas ſuas, & res alias conſtruunt. Hi toti nudi, & cor pore, & capite ingrediuntur, niſi quod pro pudore velando perizonio xylino vtuntur.*

XXVII.

# TRIREMES SEV GALIOTTÆ, ET FVSTAE IAVEnensium. 21.



*Nauibus suis, Cathurs dictis, tempore belli vsurariis, quatuor vel sex tormenta minora vehunt. Inferius in ventre quasi nauis Sclaui sedentes, remos impellunt: Supra hos milites suis armis instructi consistunt. Præfecti nauis primates fere ciuitatis Bantam sunt. Naues hæ vnum tantum malum & vnum velum habent: Claues nostrarum triremium fere consimiles habent, qui in Lassaon Jauæ, ex instructione Turcarum Bantam incolentium, extruuntur.*

XXIIX.

# NAVIVM, QVIBVS BANTANI VTVNTVR, GENERA quatuor. 22.



*PRæter dictas naues Jauani adhuc genera quatuor in vsu habent. Vnum grandius, duobus malis & totidem velis insigne. Secundum minus, quo ferè oram legere, & merces ex loco in locum traijcere solent. Tertium, scaphæ piscatoriæ simile: quo tanta concitatione & celeritate vehuntur, vt volitare propè videantur. Unde & volitantes naues dicuntur. Harum carbasa magno numero in Bantam, aliæ ex arborum folijs, aliæ ex alga conficiuntur. Ad puppim gubernaculum nullum annectunt, sed vtrinque præfixis remis nauem pro lubitu agunt.*

XXIX.


# CHOREA SEV TRIPVDIVM IAVANORVM. 23.



*Altandi libidine Iauanis inceſſente, mares latus alterum fœminæ oppoſitum occupant, eo fere modo, qui de incolis Madagaſcar præſcriptus eſt. Corporis tamen geſtibus diuerſis ſe mouent. Iam enim in hoc, iam illud ſe latus incuruantes bracchia tum exporrigunt, tum reſumunt, & eadem mox pectori applicant, motusq; alios addunt. Inſtrumenta, ad quorum impulſum ſaltitant, cannæ ſaccharinæ ſunt, ex ordine gradatim ad fiſtularum organicarum modum ſcamno iuxta ſeſe poſitæ. Cuiuslibet orificium lamina ſeu orbiculo ex ære tenuato obditur, qui poſtea ſtilo æneo ex ordine pro cantus natura pulſati, ſuauiſſimum iucundiſſimumq; concentum edunt.*

## XXX.

# CHARAGMA PELVIVM SIVE CYMBALORVM, QVIBVS IAVANI CAMPANArum & Musicorum instrumentorum aliorum loco vtuntur. 24.



*INstrumenta hæc ita se habent. Sub porticu seu tecto quodam fusas grandes pelues, alias alias magnitudine exuperantes, suspendunt, & ex ordine quidem, vt toni tum ascendendo tum descendendo euarient. Sonitum ergo si remissiorem expetunt, tum pelues minores eligunt, quas transuersis lignis ceu cratibus imponunt, & malleolis, Vitriariorum clauiculis similibus compulsant, cantumque tam exquisita proportione moderantur, vt audientibus certæ iucunditati sit. His instrumentis etiam vti solent, si regis nomine populo quid significandum aut demandandum est: sicut nostro tempore factum erat, cum Iauanis regis nomine denunciaretur, libera nobis nostra commercia dari.*

h 3

# XXXI.


# NEFARIA OBTRVNCATIO QVORVNDAM IN NAVI HOLlandia dicta, à Iauanensibus instituta. 25.



EX Bantam cum ſoluiſſemus de omni tractatione penitus deſperantes, ad quatuor ciuitates alias à ſe inuicem non procul diſtantes appulimus: quarum nomina ſunt Tubaou, Cydayo, Brandaon & Surubaia: quo loco rex cum aulicis ſuis nos valde humaniter exceperant quidem, ſed ſpecie falſa & cum malo dolo. Poſtquam enim rex ad nos ſignificari curaſſet, venturum ſeſe & noſtram nauem viſitaturum: & nos ob id illam ſingulari ſtudio excoleremus ornaremusque: nauarchusque inſuper in triremi Amſterdam vna cum officiariis cæteris in ſupremam nauem ſcenderet, ibi Regem præſtolatum & cum ſubmiſſione exceptum: tum proditores homines Iauani, qui cum tribus Paraos (naues ipſorum peculiares ſunt) ad nos vehebantur, nauem Amſterdam dictam occupantes, diſtrictis pugionibus quoſcunque obuios inuaſerunt & obtruncarunt. Quo in tumultu Capitaneus ipſe cum Nauarcho & 10. viris aliis, ſupremam nauem tenentibus, cecidit, huius proditionis parum metuens. Quam concitationem cum aliqui ex parte nauis infima exaudirent, & quid rerum gereretur, iam planius viderent: arreptis verubus, haſtis, acinacibus tanto feruore in graſſatores irruere, vt in fugam verſorum pars in mare ſe turbaret, pars alia in ſubditam ſcapham deſiliret, quæ tamen & ipſa tormentis emiſſis poſt ſubmerſa eſt. Quo conflictu noſtrorum duodecim, ſed Iauanenſium 150. cecidere.


XXXII.

# ACCVRATA DESIGNATIO BAZAR SIVE FORI IN BANTAM, CVM SVIS MERCIBVS, 26.




*Forum in Bantam ita constitutum est.* A. *Locus, quo Melones, cucumeres, & cocus venduntur.* B. *Locus vendendo saccharo, & melli destinatus.* C. *Fabarum forum.* D. *Statio Bambi, seu cannarum saccharearum exponendarum.* E. *Locus, quo pugiones, Cris, Acinaces, hastæ, & arma cætera emuntur.* F. *Lineos pannos viri.* G. *eosdem fœminæ vendunt.* H. *Officinæ aromatariæ.* I. *Bengalorum, siue Gussaratarum tabernæ ferramentariæ.* K. *Chinensium tabernæ.* M. *Forum piscatorium.* N. *Forum pomarium.* O. *Forum olitorium.* P. *Forum piperis.* Q. *Forum cæparum.* R. *Forum oryzæ.* S. *Ambulacrum mercatorum.* T. *Gemmariorum tabernæ.* V. *Nauiculæ, aliunde victualia conuehentes.* X. *Forum gallinarium.*

# XXXIII.
# INSVLAE BALY CONTRAFACTVRA. 27.




*INsula hæc versus Orientem ad magnam insulam Jaua sita est, ambitum 12. circiter milliarium Germanicorum habens. Huius angulus Septentrionalis ad gradus $8\frac{1}{2}$ exporrigitur, valde asper & montosus. Meridiem versus insula in profundum fretum aliquousq; protensa excurrit. Hæc valde populosa est, cum cuilibet tot ducere vxores liberum sit, quot animo lubet. Qua occasione indies numero magno crescunt: taceo, quod subinde mancipiorum seu Sclauorum magnum numerum emptione comparent. Negotiantur vt maxime pannis zylinis, quas probe textos postmodum insulanis vendunt. Sed & agricolationi student, cum terra ista omnium rerum, pecorum, frumenti & fructuum aliorum valde ferax sit. Aedes & palatia habent, arte optima ornata & extructa.*


# XXXIV.
# QVOMODO REGES INSVLAE BALY CVRRV VEHANTVR. 28.



*INsula hæc multos equos promit: ſed tamen breues & ignauiores, ideoq; haud tanti æſtimatos. Iis ſoli vulgares homines equitare ſolent. Superiores ſe à Sclauis portari ſinunt: aut curribus à bubalis tractis vehi. Huius exemplum nobis præbuit Rex dictæ inſulæ, qui pulcherrimè exſculpto & cælato curru ad nos in littus expatiabatur. Currum hũc Bubali gemini nitidiſſimi traxerant, ipſi ornamentis & tapetibus precioſis conſtrati. Ponè regem in curru mancipium quoddam ſederat, qui vmbraculum Regis ferebat. Ante & poſt currum regis ſtipatores ſeu apparitores, longis iisq; flammiformiter acuminatis haſtis & telis alijs armati incedebant. Cum ad huius Regis petitum aliquot tormenta diſploderemus, ipſe ſuæ gratiæ delatione officioſa facta à nobis receſſit.*

# XXXV.

# QVOMODO PRIMATES INSVLÆ BALY GESTENTVR. 29.



*PRæfecti & nobiles Baly insulæ, vel ad aulam vel aliorsum ituri, sella artificiose exsculpta, leui tamen portantur: quæ superne contecta pro vectibus Cannas saccharinas habet. Baiulorum duo ordines sequuntur, vt vno lassefacto, alter recens in eius locum subeat: vt sic expeditius iter præsumptũ confici queat. Circumcirca & hi suã quardiam habent, hastis, telis & armis aliis instructam: quos pone & fœminæ capsulas Betelle & hydrias ferentes sequuntur, eædem & cæteris officiis optabiles.*

# XXXVI.

# SEQVVNTVR IAM ELEGANTISSIMÆ QVÆDAM FIGVRÆ ET HISTORIÆ

memorabiles triplicis Hollandorum nauigationis per Norvvegiam, Russiam & Lappiam versus Septentrionem per glacialem Oceanum susceptæ: expressissime & integerrime ex ipso Originali assertæ.

## *Vrsus cymbam nostram inuadit, & quid ei euenerit. 1.*



*Vm naues nostræ apud Bernsurtum anchoris firmarentur, vrsum insperato album immanem animaduertimus. Illico ergo in cymbam nos deiicientes, ex illa sclopeto eliso vrsum transfiximus. Quo ictu bestia truculenta infuriata, saltu rapidissimo in aquam desiliens nos adoritura videbatur. Contra quem, cum qui in naui essent, remos impellerent, laqueo eius collo iniecto viuum in nauem pertracturi erant. Vrsus autem expedite nauem adsiliens, nullo negotio vniuersos oppressisset, nisi singulari Dei consilio laqueus claui vnco circumuolutus, eius insultum prohibuisset. Quem tamen tandem confectum excoriauerunt, & pellem in Hollandiam importarunt.*


# XXXVII.

# VERA EFFIGIES MONSTRORVM MARINORVM ROSMARORVM, ſeu VVallreuſſen dictorum. 2.



*Cum ad inſulam Oraniam commoraremur, in continente genus quoddam monſtrorum marinorum Roſmarorum ſeu Wallreuſſen, dictorum offendimus, animalia equis grandiora, crinibus hiſpida ad læuorem fere canis marini. Pedes quatuor habent, & dentes ex maxilla ſuperiore geminos ad dimidij cubiti longitudinem prominentes, quibus ad iniurias declinandas induſtriè uti norunt. Hos læſi nauiculis tanto robore impingunt, vt quaſi vncis eas euertere leui opere poßint. Id quod & nobis accidiſſet, niſi valido clamore concitato pauefactos eos aſpuliſſemus. Monſtrorum horum ad 200. iuxta littus quoddam in arenarum cumulo ſeſe circumuolutantes conſpeximus. Quæ cum dentium auferendorum gratia adoriremur, eorum tamen nullum interficere potuimus, etſi arma noſtra omnia comminueremus. Hoc tamen loco & alium vrſum candidum confecimus, de quibus in hiſtoria prolixius.*

# XXXVIII.
# EFFIGIES SINVS, SEV ANGVSTIÆ NASSAV, CVM ADiunctis cæteris. 3.




*TAbula hac, via ſeu Iſthmus freti Naſſau exprimitur: vbi ad Traen Bay littus tenentes, noſtrum 54. circiter in Cõtinentem egreßi ſumus, quæſitum, ſi quos fortè perueſtigare homines poſſemus. Sed præter trahas quaſdam velleribus vulpium, dàmarum, vrſorum, adipe item piſcium, & mercibus alijs onuſtas nihil reperimus. Veſtigia tamen quædam hominum ceruorumq; attigimus. Aliquandiu itaque incaſſum oberrantes, ad naues tandem noſtras rediuimus.*

XXXIX.

# HORRENDAE ET INVSITATÆ VASTITATIS VRSVS SOCIORVM nostrorum duos dilaniat. 4.



*CVm in Insula quadam, nostris Insula Statuum dicta, applicaremus, lapillos quosdam Adamantibus haud dissimiles nautæ nostri inibi inuenerunt: quos ob id magna diligentia colligebant. Binis vero eorum quadam in fouea istos quærentibus derepente prægrandis & vastus Vrsus occurrens, alterum collo prehensum, confecit. Quod alter in proximo videns, aufugiens, ad vrsum impetendum sociorum 20. exciuit. Quibus accurrentibus, & telis bestiam adorientibus, è medio illorum adhuc vnus ab ea correptus, frustillatim discerptus est. Vrso tandem strato & deiecto corium detractum Amstelrodamum importatum est.*

XL.

# PHOENOMENON IN COELO.

## VRSVS IMMANIS CAPTVS. 5.




*Vm nauigatione tertia Septentrionali iam mensem circiter vnum exigeremus, in cœlo ostentum apparuit, Tres nimirum soles, aliquot Iridibus circumducti. Paucis diebus post, cum ad glaciei fines propelleremur, vastus vrsus quidam naui nostræ appropinquabat. Quod obseruantes nos arreptis proximis armis in cymbam quãdam concessimus, vt ad eum propius conuecti collo eius laqueũ obstringeremus, monstrũ interea geminatis ictib. punctibusq́; vndelibet insectantes. Etsi vero nostrum quispiã securim eius dorso tam valido ictu impingeret, vt ea profunda in carne defixa hæreret: nihilominus tamẽ primore pede nauiculam nostrã tam forti percussu feriit, vt eius vestigium in ligno relinqueretur. Vt quin nauis mergeretur, parum abesset. Sed & hæc tandem bestia confecta & à nobis obtruncata est.*

# XLI.
# VIVA SAMOGITHIO-
## RVM SPECIES. 6.



*Amogithios hos offendimus in Continente quadam, VVaygat dicta. Externa specie quidem feri, sed illicò tamen ad colloquium nostrum humani, & bene morati inuenti sunt. Staturæ sunt breuis, vultus lati & depressi, oculorum paruorum. Genua ipsis extrorsum prominent. Crines alunt promissos, quos intortos ab occipite religant. Vestitum gerunt ex pellibus hispidis sartum, quo à vertice ad pedes vsque conteguntur. Hi trahis necessaria conuehunt: quarum singulis duas damas præfigentes cursum tam concitatum agunt, vt celeritatem eam nec expeditus equus æquare queat.*

# XLII.
# NAVI NOSTRA GLACIEI CVMVLIS DEFIXA, NOSTRVM tres propè mersi. 7.



*Postquam glaciei obiectu perpetuo nostrum cursum præpediri intelleximus, vnanimi consensu retrò in Hollandiam reuerti statuentes, iam primùm circumquaque congelato mari nos obseptos animaduertimus, ita vt nec porro, nec retrò cursus nobis pateſceret. Nautarum ergo tribus ad reſcindendam glaciem, adeoque nobis eruptum parandum è naui demiſsis, accidit, vt glacie sua sponte diruta & soluta, illi periclitarentur haud leuiter. Qui tamen mutuo cæterorum auxilio nauis retinaculis acceptis, ita erepti & seruati sunt.*

# XLIII.
# DVORVM VRSORVM, NOS IMPETENTIVM HISTORIA. 8.




*Vodam tempore labrum quoddam salitæ carnis aqua eluendæ longius à naui exposueramus. Quam subolfacientes duo vrsi, prædatum accurrerant. Eorum vero alter, qui caput in vas immiserat, cum à nauta glande emissa caput traiiceretur, in terram prouolutus illico expirauit. Cuius casum cum attonitus nonnihil vrsus spectaret socius, aliquo profugiens, iter breui relegit, & ad nostros insultum fecit. Cui ob id cum sclopetis & bipennibus nostri occurrerent, ipse se erigens & pedib. surrectus à quodam glande feruida traiectus, denuo aufugit.*

XLIV.

# RVPTA ET SVCCVMVLATA GLACIES NAVIS NOSTRÆ PRORAM SVRRIGIT. 9.



*Postquam media glacie nauis nostra tota confixa staret, propediem eam resolutum, nobisq́; egressum datũ iri, subinde sperau eramus. Nihilominus tamẽ interim accumulata glacies nauem nostram subiens tanto impetu sustulit, vt prora vltra pedes quinque eleuata staret, nosq́; omnes iam iam perituros persuasum esset. Sociis ergo reliquis, qui in Continentem ex causa egressi fuerant, vexillo nauis maiore suffixo signum dantes, cymbamque in glaciem extrahentes illam doliis aliquot pane cõfertis onerauimus, vt, si omnino nauis pessum iret, vitæ tamen nostræ consultum esset.*

XLV.

# DOMVS A NOBIS EXTRVCTA ET ERECTA, QVA PER HYEMEM commodè lateremus. 10.



*Rebus omnibus desperatis cum animaduerteremus, ante æstatem futuram nos Oceano glaciati haudquaquam ereptum iri: collectis votis decreuimus, loco quodam commodo dispecto, domicilium quoddam, mansioni hybernæ aptum, extruere. Cui instituto mira quoque gratia Deus nobis fauere visus est. Etsi enim tota illa insula, nec ligna, nec stramen, nec folia, aut gramen ferret: ripam tamen quandam ad littus illud indagauimus, tot arboribus, ramis & radicibus, alluuione fortuita, eò illatis obsitam, vt & ad ædes parandas, & hyemis iniurias foco mitigandas ligna abundè sufficerent. Quæ fortuna nisi singulariter nobis alluxisset, propter intensissimum frigus operis cœptis peruacare nullo modo potuissemus. Et quod mirum erat, acerbissimum gelu ita iam inualuerat, vt forte clauo occasione aliqua ori indito cutis tam pertinaciter adhæreret, vt extractum ea expeditè cum certa hæmorrhagia sequeretur.*

## XLVI.
# QVID TRAHAM VLTIMAM IN TERRAM EXTRAHENTIBVS euenerit. II.

*Vm domo nostra iam ad summa euecta, trahã vltimam mercibus oneratam illi admoturi essemus, tres nobis vno incursu vrsi obuenerunt. Fuga ergo ad nauem arrepta, medio cursu sociorum vnus fractæ glaciei illapsus bestijs indubitata præda futurus fuisset, nisi illis partem maiorem nostrum insequentibus ipse neglectus iacuisset. Sed & duo approperantes, bipennibus prætentis illum tutati sunt. Conuersi ergo vrsi nauem nostram vno animo impetentes, fustibus tandem è naue confertim excussis retro acti sunt.*

XLVII.

# EXPRESSA DOMVS NOSTRAE HYBERNÆ FORMA SEV SPECIES. 12.



*Domus extructæ hæc fere figura erat. In medio focus erat, ſupra quem caminus ex aſſeribus extructus tectum exſcēdebat. Ad latera ſuffixa ſcamna erant, ita ſeparata & interſtincta, vt diſcretus cuilibet locus ad lectum ponendum daretur. Parte vna dolium quoddam grandius ſtabat, quod nobis pro balneo faciebat, aut ſudario. Ad huius angulum proximum automatum appendebat: quod tamen immenſi frigoris vi tandem immotum factum eſt. Ideoq; in eius locum horologium arenarium ſufficere coacti ſumus, quod ſingulis horis 12. inaniebatur. Superne è mediæ domus tabulato lampas propendebat noctes atq; dies lucida: ad cuius lumen temporis tædium, canendo, legendoq; & exercitijs alijs fallebamus.*

n 3

XLVIII.

# EX STRATO VRSO ADIPIS PONDO 100. COLLECTA. 13.



*Hoc ergo pacto priuatam & solitariam vitam viuentes, cum aliquoties ad decipulas, vulpibus captandis structas, redintegrãdas domo egrederemur, de improuiso immanis vrsus occurrens, plerosque ad ædes retrò fugauit. Quem tamen arrepto sclopeto quodam tam expeditè per medium pectus transfixit, vt glans cor medium peruadens postica parte prorumperet. A quo ictu, cum adhuc passus 30. procederet, cecidit, & nobis præda mansit. Excoriati pellis pedes nouem longa & septem lata fuerat. Adeps inde ad 100. pondo exemptus, nostris magno commodo venit ad fouendas lucernas.*

XLIX.

# QVO PACTO NOS AD REVERSIOMEM IN HOLLANDIAM præparauimus. 14.




*INgenti rigore, varijs ærumnis & periculis infinitis hyeme tandem hoc loco euicta, Maio menſe maris glacies deinceps ſoluta, nauigationem nobis tutam pollicita eſt. Quod verò nauis noſtra ad iter tam longinquum inepta eſſet, cymbam noſtram firmare & ſarcire, adeoq; altius erigere ſtatuimus, vt ea iter commodius exequi liceret: cùm ad loca hominibus habitata milliaria 300. nobis exuperanda præſtarent, vnicè ergo operis intentos tribus diebus continuis tres nos adorti vrſi ſunt, quos tamen ſclopetorum glandibus tandem ſtrauimus.*

O

L.

# QVA ARTE ET OPERA NOBIS VIAM STRVXIMVS, AD NAuem noſtram cum mercibus mari nuncupandam. 15.

*Bſoluta nauicula noſtra, & ad curſum parata, viam ad mare obtinendum tam aſperam & præruptam offendimus, vt eandem paſtinis, rutris & ligonibus magno labore æquare cogeremur. Quibus ſic iterum operis intentis vrſus prægrandis occurrit: quem tamen ſclopeto confecimus, & ſemiſpirantem effractis dentibus reliquimus.*

# LI.

# NAVIGATIONIS NOSTRAE PRINCIPIVM. 16.



*Ia iam ad apertum mare nobis ſtructa, nauiq; noſtra cum omni commeatu & mercibus, aquis data, ægriſque binis VVilhelmo Bernhardt & Nicolao Andreas adductis, poſtquam geminis nauibus nos æquali numero partiti eſſemus, diuinæ gratiæ auſpicio, magno patriæ deſiderio, & loci hyemalis certo faſtidio ſoluentes, ventis nos dedimus.*

# LII.
# QVO PACTO VIX MAGNA AGILITATE NAVFRAGium euitauimus. 17.



*Vix triduo nauigauimus, cum aliquoties orã repetentes nouis periculis affligebamur. Glacies enim vtramque ratis nostræ partem tanta mole & vi illiserat, vt vitæ nostræ omnes dubij essemus. Nec salutis spes vlla alia superstes fuisset, nisi è medio nostro quidam certo periculo è naui in frustum continenter aliud ab alio insiliisset, nauemque nostram fune firmatæ adhuc glaciei illigasset. Quo loco mercibus nostris iterum expositis, & ægris binis supra glaciem reclinatis, nauem resarciuimus, & nouum periculum adituri, ventos iterum admisimus.*

LIII.

# GLACIEI IMMODERATO INSVLTV COACTI, NAVEM RVRSVS in solidum extraximus. 18.



*IMpetu fragmentorum glacialium porro iterum aliquoties sollicitati, naues in solidam glaciem eduximus. Velis ergo eas integentes, & sub ijs quietem capturientes, vnum in excubias agendas foras amandauimus. Cui cum sub noctem mediam tres vrsi appropinquarent, eius clamore è somno exciti, contra vrsos glandes aliquot effulminauimus, vnumq́; ex tribus constrauimus. Qua re duo reliqui in fugam acti, paulo post tamen remeantes, cadauer alterius frustillatim concerpserunt, & magnam eius partem vorauerunt.*

# LIV.
# QVALENAM NAVI NOSTRAE A ROSMARIS SEV VVALLREVSSEN periculum impenderit. 19.



*Expressa hæc cymbarum nostrarum præfiguratio est, quas ex lacera altera naui extruximus. Illis ergo cum milliaria conficienda 380. fere essent, nosq́ue glaciei periculum iam exantlatum arbitraremur, accidit, vt Admiralitatis insulam præteruectis supra grande quoddam glaciei fragmentum 200. circiter Rosmari conspicerentur, penes quos cum prope traueheremur, nostrumq́ue quidam ludi gratia eos terrendo abigerent, illi confertim in mare desilientes, ronchisq́ue & fremitu horrendo nauem nostram impetentes, procul dubio illam subuertissent, nisi vento secundo eos anteuertissemus, & sic periculum declinassemus.*

p 2

# LV.
# QVO LOCO TANDEM HOMINES ITERVM IN CONSPECTVM nobis dati ſint. 20.



*Ongis & anfractuoſis maris erroribus acti, cùm eius tandem quendam Angulum teneremus, viſis duabus Rußicis nauibus, de terra iam attingenda, oppido gaudebamus, Sed cum in occurſu noſtro vltra 30. Rußij ſtarent, iam animo iterum contractiore, littus occupauimus. Qui tamen nobis obuiam procedentes, humanitatis omnia officia præſtiterunt. Digitis vero cum ora noſtra deſignaremus, nos ſcorbuto affectos indicaturi: rati illi nos famem prodere, è naui ſua panem 8. librarum cum ſiccatis quibuſdam auibus obtulerunt. Quæ cum gratia accipientes, biſcoctos panes ipſis vicißim inſinuauimus. Illi vero cum poſtero die vaſa aliquot, quæ terra obdiderant, refodiſſent, nobis valedicentes inde ſoluerunt.*

# LVI.


# QVO PACTO NOCTVRNA TEMPESTATE QVADAM NAVES NOSTRAE disiectæ & separatæ fuerint, & quæ deinceps secuta sint. 21.



*MEdia nocte quadam tempestate aduersa ingruente sociæ nostra nauis maior ventorum vi disiecta, & à nobis diuulsa est. Quem casum, quod exiguum secum commeatum haberent, animo tulimus ægerrimo. Paulò post Rußica quædam nauis nobis in occursum data est, ex qua pretio dato commeatu nos necessario instruximus. Porro vero exiguo interuallo progreßis, nauis Rußica alia obuiauit, quæ signis & indicijs quibusdam datis nobis spem & opinionem fecit, nauem nostram commeatum ab illa impetrasse, & via longa iam nos anteuertisse.*

LVII.


# QVO PACTO MARE ALBVM TRAIICIENTES, IN LAPPIAM APPVlerimus: vbi sub casis suis quosdam Russos Lapposque offendimus. 22.




*Velis tandem nostris per mare candidum seu album actis, cum iam Lappiam teneremus, propter continuorum imbrium vim flumen quoddam secus scopulos ingredi coacti, grandem nauem Rusicam attigimus, cum casula seu ædicula proxime adsita, qua se 13. viri continebant, piscatum duabus cymbis quotidie in mare excurrentes. Hi tenuiter & parce victitabant, solius piscibus saturi. Panis, quē adhibebant, pisces erant resiccati & indurati. Sed & Lappos binos cum ternis vxoribus & liberis secum habebant, quibus valde tenuiter habitis, solas caudas extremitatesque piscium, alias esui ineptas, obiiciebant. Horum Lapporum vestitum habitumque, & quo fere modo suos liberos gestare soleant, quo item Rusicæ mulieres amiciminis genere vtantur, hac figura expreßimus.*

*Hoc ipso quoque loco sociæ naui, prius perditæ habitæ, rursus coniuncti sumus.*

# LVIII.
# QVOMODO CVRSVM NOSTRVM IN COLAM PORRO PROMOVERIMVS. 23.




*Postquam propter continentem turbinum vim ut & procellarum effrenem insultum, iam pro voto nostro iter porro continuare non possemus, intra* Kildein *& continentem prope binos scopulos impulimus, & anchoras misimus. Quo loco casa quadam tres viros cum vasto quodam cane habitare inuenimus. Hi officiis suis delatis, indicauere nobis, ad* Colam *tres Brabanticas naues iam hærere, quarum duæ hoc eodem die adhuc inde soluturæ essent. Quos ob id rogauimus, vt suorum quendam eo nobiscum emitterent. Quod etsi quidem denegarent, eorũ tamen vnus ad montem vsque quendam nos comitatus, Lappis aliquot adduxit, qui è medio sui quendam nobis in* Colam *ductorem pollicebantur. Quo accepto cum in Colam peruenissemus, Ioannem Cornelis, quondam nostrum priuata naui comitem offendimus: qui nos cum gaudio salutatos omni rerum necessariarum genere impertiuit. Sic ergo de notis familiaribusque redimpetratis, adeoque de itinere post ærumnas & miserias infinitas exuperatas, tandem feliciter confecto Deo æterno gratias maximas egimus.*

*Figura hac quadamtenus vrbs* Cola *expressa est, quomodo nimirum sita & Russis habitata sit: quo item pacto hi scaphas suas ab vno flumine humeris ad alium proferre soleant.*

q 2

# PRAEMISSA TABVLA SEV MAPPA INSVLA NOVA ZEMBLA, VT ET FRETVM VVEYGAT, LITTVS ITEM TARTARICVM ATQVE Russicum ad Kildein vsq; protensum describitur & designatur.

*Quam deinde ex ordine consequitur*

## BREVIS TOTIVS NAVIGATIONIS SEPTENtrionalis secundum milliaria descriptio, vt eam cymbis nostris patentibus in reditu confecerimus.



| | |
|---|---|
| *Rincipio à domo nostra, qua hyeme latuimus, vsque ad ostium* Bay *numerantur* | *4.mill.* |
| *Ab ostio* Bay *ad portus glacialis angulum* O.Z.N. | *3.mill.* |
| *A portu hoc ad angulum Insulæ* O.N.O. | *5.mill.* |
| *Ab Insulæ angulo ad caput Vlissingen* N.O.Z.O. | *3.mill.* |
| *A Capite Vlissingen ad Capitis angulum* N.O. | *4.mill.* |
| *A Capitis angulo ad angulum Desiderij* S.N. | *6.mill.* |
| *A Desiderij angulo ad insulam* Oranien N.W. | *8.mill.* |
| *Ab insula* Oranien *ad angulum glacialem* W.& W.Z.S. | *5.mill.* |
| *Ab angulo glaciali vsque ad Caput Solatij* W.& W.Z.S. | *25.mill.* |
| *A Capite Solatij ad Caput* Nassau W.Z.N. | *10.mill.* |
| *A Capite* Nassau *ad Insulam Crucis* W.Z N. | *8.mill.* |
| *A Crucis insula ad insulam VVilhelmi* W.Z.S. | *3.mill.* |
| *Ab insula VVilhelmi ad Sinum Nigrum* W.S.W. | *6.mill.* |
| *A Sinu nigro ad Orientalem insulam Almirantis* W.S.W. | *7.mill.* |
| *Ab orientali parte ad occidentalem huius insulæ* W.S.W. | *5.mill.* |
| *Ab occidentali parte Almirantis insulæ ad* Capo Plancio S.W.Z.W. | *10.mill.* |
| *A* Capo Plancio *ad* Loms Bay W.S.W. | *8.mill.* |
| *A* Lombs Bay *ad Statuum sinum* W.S.W. | *10.mill.* |
| *A Sinu Statuum ad* Capo de Prior *siue* Langhenes S.W.& S. | *14.mill.* |
| *A* Capo de Prior *siue* Langhenes *ad* Capo de Cant S.W.Z.S. | *6.mill.* |
| *A* Capo de Cant *ad sinum nigræ rupis* S.Z.W. | *4.mill.* |
| *A Sinu nigræ rupis ad nigram insulam* S.S.O. | *3.mill.* |
| *A nigra insula ad* Costintsarck O.& W. | *2.mill.* |
| *A* Costintsarck *ad Sinum Crucis* S.S.O. | *5.mill.* |
| *A Sinu Crucis ad* S.Laurentij Bay S.O. | *6.mill.* |
| *A* S.Laurentij Bay *ad* Farniæ *Portum* S.S.O. | *6.mill.* |
| *A Portu* Farniæ *ad duas insulas* S.S.O. | *16.mill.* |
| *A duabus insulis, vbi ad littus Russicum traiecimus, ad* Matflo *&* Delgoij S.W. | *30.mill.* |
| *A* Matflo *&* Delgoij *ad sinum, circumcirca nobis lectum, & denuo occupatum* | *22.mill.* |
| *A Sinu dicto ad* Colgoij W.N.W. | *18.mill.* |
| *A* Colgoij *ad sinum Orient.* Candenas W. N.W. | *20.mill.* |
| *A* Candenas *ad latus occident. albi maris* W.N.W. | *40.mill.* |
| *Ab occident. latere maris albi ad septem insulas* N.W. | *14.mill.* |
| *A septem insulis ad latus Occident.* Kildein N.W. | *20.mill.* |

*A* Kildein *ad locum quo* Ioan Cornelis *nos conuenit* N.W.Z.W. *7. mill.*
*A loco hoc in* Colam S. *18. mill.*

*Summa milliarium 381.*

*Tot ergo milliaria naui nostra patente emensi sumus. A quo itinere exacto sospites nos & saluos rediisse in patriam, Deo æterno laus & gratia in seculum sit.*

FINIS.

FRANCOFVRTI IMPRIMEBAT MATTHÆVS BECKER SVMPTIBVS IOAN. THEODOR. ET IOAN. ISRAEL. de Bry, fratrum.

ANNO

*M. DCI.*